STUDENTS' LIBRARY
ST. JOSEPH SEMINARY
TEUTOPOLIS, ILL.



CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, J. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT SANCTITÁTI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT.

COMMENTARIORUM IN NOV. TEST. PARS I

IN

LIBROS HISTORICOS

II

EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM

Class A
Section 2
Book No. 510
Accession No.

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

The Catholic Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

COMMENTARIUS

IN

QUATUOR S. EVANGELIA

DOMINI N. IESU CHRISTI

AUCTORE

IOSEPHO KNABENBAUER S. I.

II

EVANGELIUM SECUNDUM S. MARCUM

Cum approbatione Superiorum

STUDENTS' LIBRARY
WITHDRAWN
The Catholic Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.
ST. LOUIS, MO.

220.6
C977c
v.31

PAAISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1894

Omnia iura vindicabuntur.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

220
C977c
v.32

1967

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est : *Commentarius in Evangelium secundum Marcum*, auctore P. Iosepho Knabenbauer, S. I., aliqui ejusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse judicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 30 Aprilis 1893.

Ludov. MARTIN, S. I.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 7 Maii 1893.

† FRANCISCUS, Cardinalis Richard
Archiepiscopus Parisiensis.

CORRIGENDA

P. 39 *lin.* 7 *pro* oe *lege* eo; *p.* 144 *lin.* 6 *pro* agnos cit *scribe* agnos-cit.

PROLEGOMENA

I. — De sancto Marco.

Cum Petrus per angelum e carcere esset liberatus, venit ad domum Mariae matris Ioannis qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes (Act. 12,12). Inde docemur domum matris Marci fuisse sat amplam, in quam quasi in ecclesiam Christifideles convenire solebant, et proinde Marci familiam in urbe Ierusalem satis fuisse opulentam et nobilem et ab initio rei christianae fidelem. Petrum autem illam familiam ad fidem Christi adduxisse vel saltem Marcum veritate fidei imbuisse merito ex eo concluditur quod Marcum vocat filium suum (1 Petr. 5,13); talem enim loquendi usum tempore illo saepe deprehendimus (1 Cor. 4,14. 15. 17. 2 Cor. 6,13. Gal. 4,19. 1 Tim. 1,2. 18. Tit. 1,4. Philem. 10. 1 Ioan. 2,1 etc.). Erat Marcus consobrinus (ἀνεψιός) Barnabae (Col. 4,10) levitae (Act. 4,36); quare eum quoque ex levitico genere fuisse concludunt; immo Ps. Hieronymus (in Marc. praef. *M.* 30,589) eum vocat Petri discipulum et sacerdotem et Beda scribit : tradunt hunc ortum sacerdotali prosapia (in Marc. expos. epist. ad Accam; *M.* 92,133). Cum Barnabas et Saulus traditis eleemosynis reverterentur ab Ierosolymis Antiochiam secum assumpserunt Ioannem qui cognominatus est Marcus (Act. 12,25), qui etiam socius eorum erat in itinere apostolico; « habebant autem et Ioannem in ministerio » (Act. 13,5), dum scil. proficiscerentur Seleuciam, Cyprum, Pergen Pamphiliae; in hac autem urbe Ioannes Marcus discessit ab eis et reversus est Ierosolymam (Act. 13,13). Quare discesserit alii coniectant eum laborum et molestiarum minus fuisse patientem, alii ei displicuisse liberiorem agendi modum Pauli quo ab observatione legalium recederet. Paulum in illo discessu quidquam inconstantiae deprehendisse neque eum approbasse consequitur ex eo quia postmodum cum ad secundum iter apostolicum se accingeret noluit acquiescere Barnabae cupienti secum assumere etiam Ioannem Marcum; Paulus autem censebat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphilia et non isset cum eis in opus) non debere recipi; facta est autem dissensio ita ut discederent ab invi-

cem (Paulus et Barnabas) et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret Cyprum ab Antiochia (Act. 15,36-39). Postea vero Paulus, cum esset Romae in priore captivitate, Marcum consobrinum Barnabae laudat inter eos, qui « soli sunt adiutores mei in regno Dei qui mihi fuerunt solatio » (Col. 4,10. 11) eumque iterum in epistola ad Philemonem suum appellat adiutorem. Et quia et Colossensibus et Philemoni scribit salutationes a Marco, Marcum iis in regionibus operi evangelico institisse concludendum erit, et Paulus Roma eum iterum misit in easdem regiones; scribit enim Colossensibus : si venerit ad vos excipite illum. In altera quoque captivitate romana Paulus desiderat Marcum apud se habere; scribit enim ad Timotheum : Marcum assume et adduc tecum; est enim mihi utilis in ministerium (2 Tim. 4,11).

Marcum etiam multum cum Petro versatum esse, innuitur in epistola Petri (1 Petr. 5,13) et certo affirmatur traditione ecclesiastica. Cum enim Petrus electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae scribat : salutat vos Marcus filius meus, haud immerito assumitur Marcum in iis quoque regionibus ad evangelium propagandum laborasse. Eum autem Petri socium quoque fuisse traditione ecclesiastica affirmatur. Illa enim appellatur ἑρμηνευτὴς Πέτρου, interpres Petri; ita eum vocant Papias (apud Euseb. h. e. 3,39; *M.* 20,300), Irenaeus (adv. haer. 3,1), Tertullianus (c. Marc. 4,5), Hieronymus aliique. Quo autem sensu nominetur interpres, declarat Hieronymus scribens Marcum fuisse beati Petri interpretem, quia eius evangelium Petro narrante et illo scribente compositum est; « denique et duae epistolae quae feruntur Petri, stilo inter se et caractere discrepant structuraque verborum; ex quo intelligimus pro necessitate rerum diversis eum usum esse interpretibus » (ep. ad Hedib. 120,11; *M.* 22,1002). Atque ipsum evangelium Marci, uti omnes fatentur, luculentum reddit testimonium Marcum diutius cum Petro esse commoratum atque plurima ex Petri narrationibus in suum librum transtulisse. De qua re postea erit agendum. Papias, vel potius presbyter ille Ioannes, dicit Marcum non audivisse Dominum neque eum esse secutum (l. c.), i. e. Marcus non fuit inter discipulos et comites Iesu assiduos; nimium inde concludere videtur Hieronymus : Dominum Salvatorem ipse non vidit (in Matth. prolog. *M.* 26,18), sed certe falsum est quod Epiphanius asserit eum fuisse inter septuaginta duos discipulos Iesu (haer. 51,6; *M.* 41,900). Recentiores quidam putabant adolescentem illum (νεανίσκον) de quo Marc. 14,51 fuisse ipsum Marcum; de qua opinione vide infra ad 14,51. Referunt Eusebius, Hieronymus aliique Marcum in Aegyptum quoque profectum et evangelium quod conscripserat ibidem praedicasse et in urbe Alexandria ecclesias constituisse (Euseb. h. e. 2,16; Hier. de vir.

ill. 8). Ceterum vide Acta Sanct. bolland. Sept. VII p. 357; Cornely, Introd. III p. 80-85.

In Act. modo legitur Ioannes qui cognominatus est Marcus (ὁ ἐπικαλούμενος *M.*: 12,12; ὁ ἐπικληθείς 12,25), modo solum Ioannes 13,5. 13, modo solum Marcus 15,39. In epistolis et a Patribus nomine Marci tantum appellatur. Habuit itaque nomen hebraeum et praeterea alterum nomen quod praesertim inter gentes gerebatur; cf. Saulus, Paulus.

Non defuerunt qui duos Marcos esse statuendos existimarent; unum Pauli socium, alterum socium Petri et evangelistam. Ita distinguunt Baronius, Tillemont, Cotelerius, Patrizi (de evangeliis I p. 35 et iterum suam sententiam defendit contra periodicum Tubingense 1854, 4 fascic. in commentario in Marci evangelium p. 233-244), Danko (Hist. revel. N. T. p. 274), Lamy (Introd. II p. 35), Drach (Comment. sur les épîtr. de S. Paul p. 503) et ex protestantibus Grotius, Schleiermacher, Kienlen (cf. Studien und Kritiken 1832 p. 760, 1843 p. 423). At ab aliis longe plerisque haec sententia non admittitur. Et id, ut videtur, merito quidem. Nam, ut ipse Patrizi fatetur, nemo veterum aperte affirmavit duos esse Marcos in novo testamento commemoratos. Dein si multi Patres de Marco tamquam Petri socio loquuntur neque simul commemorant eum Pauli quoque comitem quandoque fuisse (Papias, Irenaeus, Clemens alex. Tertullianus, Origenes, Eusebius, Damasus, Epiphanius, aliique quos enumerat locis indicatis Patrizi in comment. p. 234. 235), id facile explicatur quia obiter solum eius inferunt mentionem et id unum agunt, ut Marci evangelium ad Petri narrationes et auctoritatem referant. Aliqui tamen evangelistam Pauli socium Marcum nominant; ita in Constit. apost. 2,57, in dialogo de recta in Deum fide, Hesychius hier. Neque argui potest ex illis locis in quibus sermo est de Marco socio Pauli neque tamen simul de eo tamquam evangelista; nam prius debet ostendi antequam ex silentio argumentum confici possit debuisse necessario ex materia tractata vel ex fine et intentione auctoris mentionem quoque fieri evangelistae. Alioquin enim exigi nequit ut in unoquoque loco cuncta asserantur. Porro ratione temporis inita non apparet ulla repugnantia in eo, ut Marcus utrique apostolo se adiunxerit adiutorem. Nam apud S. Paulum eum fuisse deprehendimus solum anno 44-46 vel 47; dein Romae in priore captivitate; in altera cupit ut a Timotheo ad se adducatur. — Neque recte obiicitur Marcum teste Hieronymo iam mortuum esse octavo anno Neronis; proinde non posse esse eundem de quo Paulus in altera sua captivitate scribat. Nam ea in re Hieronymus aperte fallitur; quod Eusebius dicit Annianum post Marcum administrationem ecclesiae alexandrinae suscepisse octavo anno Neronis (h. e. 2,24) id Hieronymus perperam ita est interpretatus ac si Marcus eo anno mortem obiisset.

Marcum scripsisse evangelium constat testimoniis quae ad ipsa tempora apostolica ascendunt adeoque certissima sunt. Iam Papias nobis refert quae presbyter Ioannes (probabilissime ipse Ioannes apostolus)

de evangelio Marci dixerit : « Marcus interpres Petri, quorumcumque meminit[1], accurate perscripsit, non tamen ordine, Christi dicta et facta; neque enim ipse Dominum audiverat neque secutus fuerat, sed postea, ut dixi, Petrum, qui pro necessitate doctrinam tradidit, minime vero, ut sermonum Domini seriem completam contexeret. Quare nullo modo peccavit Marcus qui nonnulla (ἔνια) ita scripsit prout (Petrus) narraverat; ad id unum enim attente invigilavit ne quid eorum quae audierat praetermitteret neve in iis falleret » (Euseb. h. e. 3,39). Erat autem Papias, ut Irenaeus dicit, Ioannis auditor et sodalis (ἑταῖρος) Polycarpi, quod Irenaei testimonium eo gravius est, quia ipse ex Asia oriundus a Polycarpo in re christiana erat institutus (cf. Euseb. h. e. 5,20). Quare verba Papiae omni consideratione digna sunt. Illa autem de nostro quod nos habemus evangelio Marci dici pariter certum est ex Eusebii testimonio qui Papiae libros novit et qui praeterea inter alia testatur : « in ipso huius operis exordio polliciti sumus veterum nos Ecclesiae presbyterorum et scriptorum verba suo loco adducturos quibus ea quae a maioribus sibi tradita accepissent de sacris testamenti libris exposuerunt » (5,8). Unde apertum est illa Papiae verba ab Eusebio recitari, ut constet quid de evangelio Marci quod tempore Eusebii habebatur sentiendum sit. Idem elucet ex ipsis verbis quibus 3,39 Eusebius Papiae testimonium inducit se scil. referre velle traditionem παράδοσιν) ἣν περὶ Μάρκου τοῦ τὸ εὐαγγέλιον γεγραφότος ἐκτέθειται. Iam tempore Eusebii idem illud evangelium exstitisse quod nos habemus nemo negat; idcirco pariter certum est, uti Eusebius testimonium Papiae de nostro evangelio intellexit, ita etiam de eodem evangelio dici. Quare nullo modo audiendi sunt recentiores quidam (Schleiermacher, Credner, Schwegler, Baur, Strauss, Davidson, Renan, Reuss) qui quamvis libros Papiae nunquam viderint tamen contendunt verba Papiae non valere de nostro evangelio, sed de alio quodam prisco opere quod nostri evangelii forsitan fuerit fundamentum. Quod quam temere et quam gratuito asseratur aliis quoque testimoniis facile ostenditur.

Exstat scil. etiam Clementis alexandrini testimonium, qui affirmat se accepisse rem a vetustioribus presbyteris traditam παράδοσιν τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων : cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset, multi qui aderant Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum iamdudum sectatus fuisset et dicta eius memoria teneret, ut quae ab apostolo praedicata erant conscriberet; Marcus igitur evangelium composuit. Marci itaque evangelium ex tali occasione ortum est (Euseb. h. e. 6,14; cf. 2,15). Quod Clementis testimonium ut rite aestimetur,

1. Vox ἐμνημόνευσεν habet eam notionem; at verti quoque potest : memoravit (scil. Petrus), quam significationem solam Kaulen admittit.

iterum considerandum est eum id referre de evangelio Marci quod ipse habuit ac novit. Iam pariter extra controversiam est Clementem non alio usum esse evangelio quam eo quod nos vocamus evangelium Marci. Dein attendere oportet eum referre non suam sententiam, sed παράδοσιν traditionem acceptam τῶν ἀνέκαθεν πρεσβυτέρων. Qui sunt οἱ ἀν. πρ.? Clemens erat discipulus Pantaeni; Pantaenus proin ipsi erat et habebatur πρεσβύτερος; sed ut attingantur οἱ ἀν. πρ., etiam per unam generationem erit ascendendum; Pantaenus autem ab apostolorum discipulo de re christiana erat edoctus; proinde quod Clemens refert est illud quod discipuli apostolorum tradiderunt et docuerunt de evangelio Marci et eo quidem evangelio quod, ut Eusebius dicit, φέρεται i. e. in usu est (2,15).

Neque minus ponderis habet testimonium Irenaei qui discipulus erat Polycarpi auditoris Ioannis apostoli : Marcus, discipulus et interpres Petri, quae a Petro praedicata fuerant perscripta nobis tradidit (ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκεν). Irenaeum autem eodem evangelio usum esse quo nos utimur a nullo negatur. Iam ut eius testimonium quid valeat et valere omnino debeat bene percipiatur, oportet notare, quantopere Irenaeus pro re quavis quae ad doctrinam spectet sollicitus sit eam comprobare et definire ex apostolorum traditione. Varios ex eius scriptis locos adduxi in Comment. Matth. I p. 5. 6 et ibidem ita conclusi quod eodem modo dici debet de evangelio Marci : qui vero ita sentit neque ullam doctrinam amplectitur nisi eam ab apostolis traditam cognoverit, certe is non integrum librum tamquam a Petri discipulo conscriptum et Petri praedicationem referentem adeoque maximae auctoritatis documentum suscepisset, nisi certissime scivisset librum esse revera eius cui inscribitur, et qui pro reliquis doctrinis traditionem postulat apostolicam, quomodo censeri posset librum sine tali traditione omnino certa et indubitata agnovisse?

Ad Petri praedicationem evangelium Marci pariter refertur ab Origene qui eodem modo ad antiquam traditionem provocat (ἐν παραδόσει μαθών) evangelium composuisse Marcum, prout Petrus ipsi exposuerat (ὡς Πέτρος ὑφηγήσατο αὐτῷ, Euseb. h. e. 6,25); neque aliter Tertullianus : evangelium quod Marcus edidit Petri affirmatur cuius interpres Marcus (c. Marc. 4,5). Quia itaque Marci evangelium ad Petrum tamquam auctorem primarium referebatur, etiam intelligitur cur Iustinus qui evangelia appellat ἀπομνημονεύματα commentaria apostolorum dicat in commentariis Petri scriptum esse filios Zebedaei cognomen habuisse Boanerges. — Adde evangelium hoc ex tempore antiquissimo titulo esse inscriptum κατὰ Μάρκον, κατὰ autem more hellenistico semper de auctore et scriptore esse intellectum (cf. *Cornely,* Introd. III p. 13). Quare

testimoniis historicis quae plerumque ipsi traditioni apostolicae innituntur constat librum hunc evangelii ad Marcum scriptorem et Petrum rerum testem et narratorem esse referendum. Totius antiquitatis sententiam merito ita complectitur Hieronymus : Marcus discipulus et interpres Petri iuxta quod Petrum referentem audierat rogatus Romae a fratribus breve scripsit evangelium. Quod cum Petrus audisset probavit et Ecclesiae legendum sua auctoritate dedit, sicut scribit Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro et Papias, hieropolitanus episcopus (de vir. illust. 8; cf. Prolog. in Matth., epist. ad Hedib. 120,11).

II. — De evangelio secundum Marcum.

Duo itaque traditione antiquissima asseruntur, Marcum scripsisse secundum ea quae Petrum referentem audierat, eumque Romae Romanis evangelium edidisse. Iam haec duo iis congruunt iisque confirmantur quae ratione et indole evangelii accuratius considerata deprehenduntur.

Et primo quidem hoc evangelium merito dictum est petrinum. Nam, ut a generali quadam ratione et descriptione incipiamus, Petrus suae praedicationis formam breviter designat Act. 1,22 et 10,37 seq., qua scil. initium capiatur a baptismate Ioannis, dein Iesus exhibeatur in Galilaea, unctus Spiritu sancto et virtute, pertransiens benefaciendo, sanans omnes oppressos a diabolo, quem occiderint suspendentes in ligno, quem Deus suscitaverit tertia die dederitque manifestum fieri testibus praeordinatis, qui suos iusserit praedicare, qui tandem assumptus sit (Act. 1,22) et sedeat a dextris Dei (1 Petr. 3,22). Atque evangelium has veluti lineas et hanc quasi adumbrationem accurate sequitur. Incipit a baptismate quod praedicavit Ioannes, Iesum ostendit peragrantem Galilaeam et plurimis sanationibus manifestantem virtutem divinam, neque aliud est evangelium, in quo tot referantur eiectiones daemonum. In ultima parte evangelii narratur mandatum Christi praedicandi, eius in coelos assumptio et sessio a dextris Dei; quae cum adeo accurate respondeant formae a Petro designatae, simul extremam evangelii partem 16,9-20 a multorum oppugnatione egregie vindicant (de qua re vide plura in comment. post 16,20).

Uti in generali hac forma exprimitur praedicatio Petri, ita in plurimis Petrus singulari quodam modo locum obtinet praecipuum. Vocatio Petri primo narratur 1,16; e synagoga Iesus venit in domum Simonis 1,29; sanatio socrus Simonis accuratius narratur et diligentius, ita ut qui ipse vidit et interfuit referri solet : statim dicunt ei de ea (cum Iesus intraret), Iesus accedens elevavit eam apprehensa manu eius; vespere (fama de sanatione sparsa) omnis civitas erat congregata ad ianuam;

1,36 Simon et qui cum illo erant; 3,16 et imposuit Simoni nomen Petrus; 5,37-43 narrantur varia de suscitatione filiae Iairi quae solum ab eo qui interfuit sciri poterant, Petrus autem cum Ioanne et Iacobo admissus erat; 9,6 Petri verba quae in monte transfigurationis dixit eo modo perstringuntur quo ab ipso solo esse perstricta patet : non enim sciebat quid diceret; 11,21 et recordatus Petrus dixit : rabbi ecce ficus etc., dum apud Matthaeum id generatim de discipulis referatur; item 13,3 interrogabant eum separatim Petrus et Iacobus et Ioannes et Andreas; Matth. 24,1 et Luc. 21,5 solum de discipulis quibusdam sermo est; dein negatio Petri 14,66-72 accurata conditionum loci, hominum, verborum descriptione refertur; 16,6 ite, dicite discipulis eius et Petro.

Porro in hoc evangelio minutae quaedam loci, temporis, personarum earumque modi agendi conditiones accurate designari solent atque ita ad vivum exprimi et describi, ut solum ab eo fieri consuevit qui ipse rebus narratis interfuit et qui vidit quae narrat. Hac igitur indole narrationum valide comprobatur quod e traditione hausimus Marcum ea scripsisse quae Petrum audierat narrantem.

Ita 1,20 in navi cum mercenariis; 1,37 et cum invenissent dixerunt ei : quia omnes te quaerunt; 1,43 et comminatus est ei statimque eiecit eum; 2,2 ita ut non caperet neque ad ianuam; 2,3 qui a quattuor portabatur; 2,4 nudaverunt tectum ubi erat; 2,23 coeperunt progredi; 3,6 pharisaei cum herodianis; 3,7 cum discipulis secessit ad mare; 3,8. 9 describuntur accurate ex quot regionibus turbae eum secutae sint et quomodo Iesus praeceperit ut navicula sibi deserviret propter turbam ne comprimerent eum; de qua re nihil apud Matth. 12,14 seq.; 3,10 ita ut irruerent in eum ut illum tangerent, quotquot habebant plagas; 3,11 et spiritus immundi procidebant et clamabant, etc., 3,12 et vehementer comminabatur eis; 3,20 ita ut non possent neque panem manducare et 3,21 cum audissent sui exierunt tenere eum; dicebant enim : quoniam in furorem versus est; 3,22 scribae qui ab Ierosolymis descenderant dicebant : quoniam Beelzebub habet; 3,23 convocatis eis; 3,31 miserunt ad eum vocantes eum; 3,32 et sedebat circa eum turba; 3,34 et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant; 4,1 omnis turba circa mare super terram erat; 4,10 cum esset singularis, interrogaverunt eum οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα; 4,13 et ait illis : nescitis, etc., 4,35 in illa die cum sero esset factum; 4,36 et dimittentes turbam assumunt eum ita ut erat in navi et aliae naves erant cum illo; 4,37 fluctus mittebat in navim; 4,38 erat ipse in puppi super cervical dormiens... non ad te pertinet quia perimus? 4,40 et timuerunt timore magno; 5,3-5 habetur descriptio daemoniaci Marco soli propria; 5,6 videns Iesum a longe; 5,13 porcorum refertur numerus : ad duo millia; 5,21 et erat circa mare; 5,24 et fuerat multa perpessa a compluribus medicis... nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat; 5,32 et circumspiciens videre eam quae hoc fecerat;

5,37 et non admisit quemquam se sequi nisi Petrum et Iacobum et Ioannem; 6,6 et mirabatur propter incredulitatem eorum; 6,7 et coepit eos mittere binos; 6,37 euntes emamus ducentis denariis panes et dabimus illis manducare? 6,38 et dicit eis : quot panes habetis? ite et videte! 6,39 et praecepit ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fenum et discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos; 6,45 trans fretum ad Bethsaidam; 6,48 et videns eos laborantes in remigando; 6,55.56 coeperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre ubi audiebant eum esse et quocumque introibat in vicos vel in villas aut civitates in plateis ponebant infirmos; 7,24 et ingressus domum neminem voluit scire et non potuit latere; 7,26 erat mulier gentilis, Syrophoenissa genere; 7,31 venit per Sidonem ad mare Galilaeae per medios fines decapoleos; 7,32-37 propria quoque Marco sunt et per singula ad vivum enarrata; ita ipsa vox aramaica ephphetha est servata; 8,3 quidam ex eis de longe venerunt; 8,10 et venit in partes Dalmanutha; 8,12 et ingemiscens ait; 8,13 et dimittens eos ascendit iterum in navim et abiit trans fretum; 8,14 et nisi unum panem non habebant secum in navi; 8,15 cavete... a fermento Herodis; 8,17. 18 et 19. 20 reprehensio Christi et responsio discipulorum multo magis quam apud Matthaeum explicita est, viva, ad particularia descendens. Ad vivum quoque exprimitur 8,22-26 tota narratio Marco propria v. g. 23 apprehensa manu caeci eduxit eum extra vicum, etc.; 8,33 videns discipulos comminatus est Petro.

Verba quibus splendorem vestimentorum Iesu transfigurati describit ita sunt conformata, ut ab eo ipso qui interfuit dicta esse statim percipiatur 9,2 facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere; 9,8 et verbum continuerunt apud se conquirentes quid esset : cum a mortuis resurrexerit; 9,13 et veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam circa eos et scribas conquirentes cum illis; 9,19 volutabatur spumans; pariter in v. 20-26 tota scena et Iesu patrisque pueri colloquium ad vivum proponitur; 9,32 cum domi essent, interrogavit eos : quid in via tractabatis? at illi tacebant; 9,34 et residens vocavit duodecim; 9,35 quem cum complexus esset; 10,10 et in domo iterum discipuli eius interrogaverunt eum; 10,14 quos cum videret Iesus indigne tulit; 10,16 et complexans eos benedicebat eos; 10,17 et cum egressus esset in viam procurrens quidam genu flexo ante eum rogabat eum; 10,21 Iesus autem intuitus eum dilexit eum; 10,23 et circumspiciens Iesus ait; 10,24 discipuli autem obstupescebant in verbis eius; 10,32 et praecedebat illos Iesus et stupebant et sequentes timebant; 10,46 filius Timaei, Bartimaeus... mendicans; 10,49 et vocant caecum dicentes ei : aequanimior esto, surge, vocat te; 10,50 qui proiecto vestimento suo exsiliens venit ad eum; 11,4 invenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in bivio; 11,11 et circumspectis omnibus cum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim; 11,13 cum vidisset a longe ficum habentem folia; 11,16 et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum; 11,19 et cum vespera facta esset; 12,28 scriba qui audierat illos conquirentes et videns quoniam bene illis

responderit; 12,32-34 pariter propria sunt Marco, quibus narratio magis accurate describitur; 12,35 docens in templo; 12,37 et multa turba eum libenter audivit; 12,41 et sedens Iesus contra gazophylacium... et multi divites iactabant multa; 12,43 et convocans discipulos; 13,3 contra templum (cum sederet in monte olivarum); 14,3 fracto alabastro; 14,5 venumdari plus quam trecentis denariis... et fremebant in eam; 14, 16 et venerunt in civitatem; 14,18 et discumbentibus eis... qui manducat mecum; 14,23 et biberunt ex illo omnes; 14,30 priusquam gallus vocem *bis* dederit; 14,40 et ignorabant quid responderent ei; 14,51. 52 adolescens autem quidam sequebatur eum, etc.

Hisce adde inter alia Marcum saepius orationem reddere magis vivam ipsis loquentium verbis adductis 4,39; 5,8; 13,1 vel exprimere rem per interrogationem 4,21; 5,35. 39; 8,12; 11,17; addere aliqua gesta esse in domo, in via 2,2; 3,20; 7,17; 8,27; adiungere verba quibus affectus animi designentur; ita misertus 1,41; 9,21; contristatus 3,5; 10,22, etc., etc.

Haec exempla quae Marco propria sunt si quem non pigeat lustrare, fatebitur Marcum in plurimis prae aliis evangelistis res ita exhibere et narrare, ut vivus quidam deprehendatur modus describendi minutas conditiones quales ille afferre solet qui rebus gestis interfuit; quem narrandi modum merito ad Petrum referentem spectare fere omnes affirmant. Atque quis non videat hac narrationum conformatione egregie confirmari, uti dictum est, quod veteres Marci evangelium esse Petri dixerunt?

Alterum traditione affirmari antiquitus audivimus, Romae evangelium esse conscriptum. Atque hoc quoque libro accuratius inspecto confirmatur duplici modo, quibusdam locutionibus et tota ratione proponendi et explicandi evangelium. Et linguam quidem colore quodam latino esse tinctam concedunt[1] omnes. Exempla sunt κράββατος 2,4. 9. 11. 12; 6,55; ἐσχάτως ἔχει, esse in extremo 5,23; σπεκουλάτωρ 6,27; ξέστης sextarius 7,4; τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι 15,15; κεντυρίων centurio 15,39. 44. 45. Propter Rom. 16,13 non est improbabile nomina filiorum Simonis cyrenaei, Alexandri et Rufi, 15,21 efferri ratione habita Romanorum; officium et munus Pilati 15,1 seq. notum esse supponitur. Legem romanam respicere videtur evangelista 10,12 : et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit moechatur. Librum iis destinari qui linguam ususque Iudaeorum non cognoscant patet eo quod verba aramaica diligenter explicentur 3,17. 22; 5,41; 7,11. 34; 14,36; 15,22. 34. 42 et consuetudines Iudaeorum describantur 7,3. 4; 14,12. Idem elucet ex eo quod quae apud Matthaeum speciali modo de Iudaeis dicuntur, apud

1. Ita v. g. ait *Hilgenfeld* (Einleitung p. 517) : auf Rom weist schon die latinisirende Sprache hin; cf. *Kaulen*, Einl. p. 410.

Marcum non reperiuntur; ita non leguntur particulares reprehensiones eorum in concionibus Ioannis baptistae, in sermone Iesu ad apostolos, neque illae parabolae quae praesertim Iudaeos tangunt (v. g. de filio inobediente, de nuptiis) vel quae ex usu iudaico enatae sunt v. g. de decem virginibus. Ad idem spectat usus sat rarus vaticiniorum veteris testamenti. Pariter concludi potest iis esse librum destinatum quibus regiones palaestinenses haud notae erant; 1,5 Iordani additur designatio fluminis, 1,9 Nazareth Galilaeae, 11,1 Bethania ad montem olivarum.

Uti colligitur ex Act. 28,22 et pariter ex epistola ad Romanos, longe maior pars Christifidelium Romae ex proselytis et ethnicis erat constituta (cf. *Cornely*, Introd. III p. 459). Atque Marcum eos ob oculos habere qui non ex circumcisione venerint ad fidem Christi, maxime apparet, si eius evangelium cum libro Matthaei comparatur. Neque enim apud Marcum illud cernitur studium praecipua quaeque comprobandi vaticiniis adductis, explicandi rationem quae inter legem mosaicam et evangelium intercedat, revocandi plebem ab auctoritate pharisaeorum, exponendi plurimis scelera principum Iudaeorum, quae adeo apud Matthaeum prominent. Marcus autem totus in eo est, ut sicut Petrus centurioni Cornelio Caesareae Iesum annuntiavit Dominum omnium Act. 10,36-42, ita ipse quoque Iesum ostenderet Filium Dei et Dominum. Brevi compendio ex illa Petri concione discimus quomodo Petrus proselyto Cornelio (erat enim εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν, 10,2) viam aperuerit ad fidem Christi; quid probabilius erit quam Petrum idem fecisse Romae et eadem ratione narratis Iesu miraculis eum demonstrasse Filium Dei et eius doctrinam commendasse et singula accurate explicasse quae summatim in concione ad Cornelium habita perstringuntur? Iam vero supra iam monui evangelium Marci eadem adumbratione et forma constitui et esse quasi explicationem et declarationem eorum quae ibi Petrus delineavit. Hisce itaque simul continetur quale in scribendo consilium Marcus secutus sit. Hoc innuisse sufficiat, cum eadem de re pluribus egerit *Cornely*, Introd. III p. 103 seq. recensitis quoque aliorum sententiis.

Ex eo quod Marcus praedicationem Petri litteris consignaverit etiam explicatur, cur in eius libro ea de Petro desiderentur quae ei maximopere laudi et commendationi vertuntur. Ita quae Matth. 16,17-19 referuntur de laude a Iesu ei tributa et de primatu et potestate clavium, apud Marcum desiderantur; pariter Matth. 17,23-26 de statere in ore piscis invento, de ambulatione super aquas. Iam veteres notarunt talia apud Marcum deesse causamque assignarunt quod Petrus iis de rebus modeste tacuerit (Eusebius, dem. ev. 3,5) vel etiam prohibuerit ne Marcus ea scriberet (S. Chrys. hom. in Matth. 58,2) vel Marcum ea

tacuisse ne videretur velle adulari Petrum magistrum suum (Victor antioch. in catena quam edidit Cramer; vide infra ad 8,29), et postea quoque apud plerosque idem explicatur ratione modestiae et humilitatis Petri. Immo Schegg aliique pauci contendunt Marcum ea ne scivisse quidem, quin et ignarum fuisse primatus Petro collati. Id vero merito negant *Schanz* (Commentar zu Marc. p. 20. 22), *Cornely* (l. c. p. 93). Cur autem primatus mentionem Marcus non fecerit, Schanz exinde explicat quod propter suspicionem magistratus romani consultum fuerit silentio premere coetum Christifidelium regi auctoritate quadam suprema ab alienigena. Dubito tamen num hac ratione res satis explicetur. Nam eo timore Marcus non potuit prohiberi ne alia referret quae ad Petri laudem cederent. Insuper Paulus in suis epistolis nullo modo veretur palam profiteri se auctoritate pollere in fideles, se ab iis exigere obedientiam, a se puniri contumaces, et si scribit *ecclesiis*, non videtur timere, ne coetus illi tamquam collegia illicita a magistratu romano poenis subiiciantur. Neque Marcus veritus est scribere Iesum salutari tamquam talem qui regnum David restituat : benedictum quod venit regnum patris nostri David (11,10); porro si regnum Dei appropinquasse annuntiatur et saepe sermo fit in evangelio de regno Dei (1,14. 15; 4,11. 26. 30; 9,46; 10,14. 15. 23-25; 12,34; 15,43), dubito num qui talia scribit sollicitus sit ne excitet suspicionem magistratus romani ideoque omiserit illud : beatus es, super te aedificabo Ecclesiam meam etc. Cur igitur omisit! responderi haud inepte potest alia interrogatione : cur Marcus qui toties populum nobis describit admiratione captum de Iesu doctrina, de hac ipsa doctrina fere nihil refert? cf. 1,22; 2,13; 4,1; 6,2. 34; 10,1.

De tempore quando Marcus evangelium scripserit sat magna est interpretum dissensio. Sunt qui id iam anno 42 scriptum esse velint (Patrizi, Schegg, Aberle, Hundhausen, Riess, apud *Schanz* p. 48), dum alii usque ad tempora Domitiani (81-96; Hilgenfeld) et ad persecutionem Traiani (115-120; Keim) descendunt. Anni qui interiacent alii ab aliis assignantur; ita intra an. 42-44 Kaulen, intra an. 42-49 Reithmayer et Gilly; intra 55-57 Hitzig, ante an. 60 Schenkel; non ante an. 52 neque post an. 62 Cornely; an. 67-68 Bisping; ante an. 70 Schanz, Fillion, Keil, Weiss; post destructionem Ierusalem de Wette, Bleek, Weisse; an. 73 Volkmar evangelium esse fidelibus traditum arbitrantur.

Qui evangelium post mortem Petri editum esse affirmant, duobus potissimum argumentis nituntur quae ex verbis Papiae et ex Irenaeo colliguntur. Dici enim in illis Marcum scripsisse Christi dicta et facta quorumcumque *meminit;* eum nullatenus peccasse qui nonnulla ita

scripserit prout eorum *recordatus est;* unde innui videri Marcum scripsisse eo tempore quo soli suae recordationi et memoriae potuerit fidere et iam non Petrum consulere. Iam supra monui vocem ἐμνημόνευσεν utraque notione posse adhiberi : meminit, memoravit; vox altera ἀπεμνημόνευσεν utique ex usu potius vertenda esse videtur, ut Kaulen vult : memoravit, enarravit, ut sensus sit : Marcus nonnulla scripsit non temporis ordine, sed ita ut Petrus ea proponere solebat (id quod v. g. explica de variis Christi effatis rebusque gestis quae non ordine temporis, sed alia ratione propter materiae cognationem inter se coniuncta sint). Quae vocum explicatio si assumitur, verbis Papiae iam non innuitur Marcum post Petri mortem scripsisse. Alterum argumentum ex Irenaeo petitum gravius esse videtur. Dicit enim : μετὰ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος... τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκεν, id quod communiter ita explicant : post horum (scil. Petri et Pauli) mortem Marcus ea quae a Petro annuntiata erant scripto nobis tradidit. Unde evangelium Marci post mortem duorum illorum apostolorum videtur esse scriptum vel saltem fidelibus traditum. Quae acceptio confirmari videtur eo quod Clemens alexandrinus dicit se accepisse a vetustioribus presbyteris prius scripta esse illa evangelia quae genealogias continent (Euseb. h. e. 6,14). Evangelium autem Lucae manifesto scriptum est ante Actus apostolorum (Act. 1,1), qui profecto, uti patet 28,30, anno 63 vel 64 conscripti sunt. Porro narrat Clemens, dum Petrus Romae praedicaret fideles petiisse a Marco, ut conscriberet ea quae ille dixerat et cum hoc fecisset ut traderet evangelium iis qui illo indigerent (ποιήσαντα δὲ τὸ εὐαγγέλιον μεταδοῦναι τοῖς δεομένοις αὐτοῦ) ; quod cum Petrus cognovisset neque impedivisse neque approbasse explicite προτρεπτικῶς). Proinde non dicit Clemens evangelium iam conscriptum a Petro esse cognitum, sed solum eum novisse quid fideles postularent a Marco eumque neque impedivisse quominus Marcus eorum desiderio satisfaceret neque eum impulisse ut satisfaceret. Quare res ita concipi potest ut Marcus dum Petrus viveret inceperit librum componere, verum illum non absolverit neque fidelibus tradiderit nisi illo vita defuncto. Cui acceptioni etiam facile reliqua accedunt quae referuntur; ita si Tertullianus dicit de evangelio Marci : Petri affirmatur, id omnino verum est quia continet id quod Petrus praedicavit. Neque aliud affirmat S. Hieronymus; quamvis enim in epistola ad Hedibiam dicat Petro narrante et Marco scribente evangelium esse ortum, id omnino explicari potest et debet secundum ea quae alibi de eadem re tradit, Marcum scil. scripsisse « iuxta quod Petrum referentem audierat » (de vir. ill.) et « ea quae magistrum audierat praedicantem iuxta fidem magis gestorum narravit quam ordinem » (Prolog. in Matth.).

Verum nihilominus fatendum est ne ex Irenaei quidem loco certo effici Marci evangelium esse scriptum post mortem apostolorum. Nam, ut ostendit *Cornely*, Introd. III p. 76 seq., locus Irenaei si accurate in suo consideratur contextu, satis probabiliter ita est explicandus, ut Irenaeus dicat post apostolorum ex Palaestina profectionem Marcum scripsisse τὰ κηρυσσόμενα; nam praecedente phrasi latina apud Irenaeum dictum est apostolos « in fines terrae *exiisse* »; unde qualis ἔξοδος intelligi vel possit vel debeat indicari videtur. Insuper cum scribat τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα, utens participio temporis praesentis, non Petrum vita functum, sed tum praedicantem cum scriberet Marcus designare videtur.

Si de ordine quaeritur qui in evangelio deprehendi potest, uti iam supra dictum est, Marcus eum sequitur quem Act. 10,37 Petrus delineavit. Quare libri divisio inde quoque commode peti poterit. Habetur itaque introductionis loco baptismus quem praedicavit Ioannes cui intime iungitur ipse Christi baptismus eiusque in desertum secessus 1,1-13. Post baptismum quem praedicavit Ioannes incipit Iesu ministerium in Galilaea Act. 10,37. 38 et Marc. 1,14 postquam traditus est Ioannes venit Iesus in Galilaeam praedicans evangelium regni Dei et usque ad 9,46 Marcus refert quae Iesus ea in regione egerit et docuerit. Dein a cap. 10 enarrat quae in regione Iudaeorum et Ierusalem acta sint, uti Act. 10,39 indicatur; demum breviter quoque ea adumbrantur quae Act. 10,40. 41 proponuntur. Et sicut Petrus distincte effert : nos testes sumus omnium (cf. Act. 1,21), ita in evangelio Marci peculiari quoque studio exhibetur institutio discipulorum. Post introductionem igitur tres partes distingui possunt : ea quae gesta sunt in Galilaea, quae acta sunt in Iudaea, Iesu resurrectio et ascensio in coelum.

Prima pars ceteris longe amplior est. Orditur Iesus a vocatione aliquorum discipulorum, qui sint comites eius et testes actionum; doctrina sua et expulsione daemonis, sanatione socrus Petri multorumque aliorum populi admirationem excitat; a Capharnaum transit benefaciendo et sanando oppressos a diabolo (1,14-45). Sicut turbae cum admiratione eum sequuntur, ita duces populi et primores, scribae et pharisaei, eum odio et inimicitiis persequi incipiunt. Iam a capite 2 evangelista varia narrat quibus eorum in Iesum discipulosque simultas et invidia ostenditur; eum vocant blasphemum quia peccata remittit; murmurant quod cum peccatoribus conversatur neque suos ad ieiunandum adigit neque reprehendit vellentes spicas et quod sabbato sanat (2,1-3,6). Dum pharisaei et herodiani iam inter se deliberant de modo eum perdendi et turbae ex dissitis quoque regionibus ad eum confluunt et testes sunt miraculorum, ipse seligit duodecim apostolos quibus vir-

tutem miracula patrandi largitur. Horum iam institutionem in subsequentibus evangelista cumprimis nobis exhibet; illis enim Christus ostendit modum agendi cum variis, parabolas explicat de regno Dei eiusque natura, suam manifestat potentiam in sedata tempestate maris, in eiectione daemonum, in resuscitatione puellae mortuae; verum exemplo Nazarethanorum eos simul edocet fore ut non omnes praedicationi et miraculis fidem adhibeant. Ita institutos mittit ad praedicandum ut muneris sui experimentum capiant. Cum apostolis praedicantibus et daemonia eiicientibus nomen Iesu undique celebraretur, etiam Herodes de caede Ioannis baptistae stimulis conscientiae angitur. Refert evangelista hac usus occasione quomodo praecursor Iesu e vivis sit sublatus, praeco iustitiae ex feminae insidiis et odio (3,7-6,29). Prosequitur evangelista ministerium Iesu et institutionem apostolorum enarrans modum agendi Iesu cum turbis quas in deserto bis miraculose pascit, ostendens eius potentiam in ambulatione super aquas et in plurimis sanationibus, et exhibens Iesum convellentem doctrinas pharisaeorum et discipulos ab eorum conversatione removentem. Tali institutione multisque quae viderant omnis generis miraculis edoctos interrogat quasi fructum ex tot documentis collecturus : quem me esse dicitis. Et cum eum profiterentur Messiam, iam incipit eos docere de munere messiano per passionem et mortem implendo et de abnegatione omnibus necessaria. Qua doctrina ne absterreantur, fidem discipulorum Iesus corroborat gloria sua in transfiguratione aliquibus ostensa et omnibus in ferocissimi daemonis eiectione. Repetito suam iis praedicit passionem eosque de humilitate et serio studio virtutum edocet (6,30-9,49). Atque hisce ministerium Iesu in Galilaea absolvitur.

In regione autem Iudaeorum occasione capta a quaestione pharisaeorum docet matrimonium dissolvi non iam posse; exemplo et adhortatione commendat curam parvulorum, explicat praestantiam paupertatis voluntariae; denuo praedicit passionem, ex ambitione filiorum Zebedaei occasionem capit docendi de humilitate (10,1-45). Uti a caeco prope Iericho salutatur filius David, ita sollemni modo a turbis quoque cum ingrederetur urbem. At nihilominus Messiam non iri agnitum a natione iudaica et Christus ostendit symbolo ficus non habentis nisi folia et manifestatur in templi profanatione et in perversitate primorum; quare Iesus sortem et ruinam nationis parabola de pessimis vinitoribus explicat et praedicit. Principes vero ut eum perdendi haberent causam vario modo eum capere in verbo tentabant quaestione proposita de censu, de lege leviratus, de maximo mandato. Quibus refutatis docet turbam cavendum esse a scribis et laudat viduam offerentem duo minuta (10,46-12,44). Relicto templo discipulis praedicit ruinam tem-

pli, monet de persecutionibus et tribulationibus, de signis secundi sui adventus et omnes iubet vigilare et esse paratos ad reddendam rationem (13,1-37). Iam subditur narratio de coena in Bethania, in qua Iesus iterum suam praedicit mortem. Celebratur coena paschalis et instituitur s. Eucharistia. Enarratur passio Christi, quomodo occiderint eum suspendentes in ligno (14,1-15,47).

Iesum autem, cuius mors et sepultura iam praesagium gloriae est, Deus suscitavit tertia die et dedit eum manifestum fieri et praecepit Iesus praedicare populo (Act. 10,40. 41) et assumptus est in coelum, cuius tamen potentia in signis et praedicatione apostolorum orbi terrarum innotescit (16,1-20).

III. — De conscriptione evangelii secundum Marcum.

Si quis res et narrationes huius evangelii comparaverit cum evangeliis Matthaei et Lucae, statim deprehendet pleraque etiam reperiri apud Matthaeum, aliqua etiam apud Lucam et pauca apud Marcum solum. Quae enim soli Marco sunt propria haec fere sunt : 1,13 eratque cum bestiis; 3,9. 17.21; 4,26-29; 7,31-37; 8,22-26, 11,16; 14,51. 52; 16,16-20. Praeterea adverti potest eum cum narrationibus Lucae solum tum convenire, si eadem res etiam apud Matthaeum reperitur. Lucas sat multa habet propria quae apud Matthaeum non leguntur; ex iis paucissima apud Marcum deprehenduntur, cf. 1,22; 9,37; 12,41; 16,12. 13. 19. Porro cum ab initio ordinem rerum habeat peculiarem, mox tamen a 6,14 et deinceps eum sequi videtur ordinem quem apud Matthaeum a cap. 14 seq. expressum cernimus. Quamvis itaque in argumento scriptionis et plerumque in ipso rerum ordine Matthaei vestigiis insistere videatur, tamen in singularum fere rerum enarratione habet peculiaria quaedam, addit multas conditiones rerum, temporum, personarum, habet locutiones sibi proprias, alio modo aliove colore plurima effert. Exempla dedi supra p. 7 seq. sat multa.

Quae cum ita se habeant, quaestio satis diu iam agitatur quomodo origo evangelii huius concipienda sit et quae sit ratio eius et habitudo ad duo reliqua evangelia synoptica. Ad quam quaestionem solvendam variae excogitatae sunt hypotheses, immo quotquot viae excogitari possunt etiam initae sunt a viris doctis. Fuerunt scil. qui Marci evangelium ita ortum esse dicerent, ut ex Matthaeo et Luca componeretur (ita Griesbach, Fritzsche, Schwarz, Baur, Schwegler, Zeller, Koestlin, Kahnis, Keim aliique; cf. Studien und Kritiken 1861 p. 680 et Weiss in 7 editione commentarii a Meyer adornati); alii Marcum ab uno Matthaeo plurima esse mutuatum eumque

arcte esse secutum existimabant. Quae sententia iam a S. Augustino est invecta quippe qui dixerit Marcum pedisequum et breviatorem Matthaei; quare non mirum est hanc sententiam placuisse multis, praesertim quia ipsa argumenti magna similitudine commendari videatur. Hodie quoque vario modo proponitur. Marcum plerumque dependere a Matthaeo et passim asserit Hilgenfeld (Einleitung p. 505); dependere eum a Matthaeo pariter affirmant Klostermann, Grau, Keil; Marcum vestigiis Matthaei insistere plurimum etiam Patrizi contendit (de evang. I p. 6) et cum tanta sit ordinis argumentique cum Matthaeo cognatio Marcum eius evangelio usum esse alii quoque pro certo habent (cf. Schanz).

Alii e contra Marcum primo loco esse collocandum dicunt ab eoque derivari evangelium Matthaei et Lucae (Hitzig, Credner, Volkmar aliique multi quos vide, si tua interest apud Holtzmann, Lehrbuch der Einleitung, 1885 p. 344 seq.), inter quos tamen iterum disceptatur sequaturne Marcum prior Matthaeus an Lucas. Verum cum ne hoc quidem modo quaestio sufficienter solvi posse videatur, sat multi ante nostrum Marci evangelium aliud prius antecessisse volunt quod priscum Marcum (Urmarkus) appellant. Neque tamen qui hoc subsidium criticum invexerunt, de forma et argumento huius primitivi evangelii inter se convenerunt. Alii enim illud pauciora nostro evangelio, plura alii contendunt comprehendisse. Immo non deerant qui priscum illud evangelium bis esse retractatum et perpolitum statuerent, donec tandem in formam qua nobis prostet redactum esset.

Qui synopticos interpretantur, praesertim ex protestantibus, plurimum operis in eo collocant, ut inquirant, sitne narratio aliqua vel effatum Christi relatum et conservatum modo magis genuino, sincero, primitivo vel apud Matthaeum vel apud Marcum et ubinam « fons apostolicus » pure fluat sine ullo additamento adulterino. In qua inquisitione Weiss se invenisse putat tres quintas partes in nostro Marco, duas quintas partes in Matthaeo referre formam illam primitivam. Alii utique aliter iudicant. Rem aliquibus exemplis declarare haud inutile erit. Narratio de leproso apud Matth. refertur secundum fontem priscum et magis antiquum, uti Weiss iudicat; verum Meyer censet fontem priscum pure fluere apud Marcum. Pariter historiam paralytici Weiss deprehendit primitivam apud Matth., Meyer vero apud Marcum. Disceptationem illam 7,1-13 apud Marcum forma servari prima et antiqua affirmat Weiss; id vehementer negat Keim qui quasi pro aris et focis dimicans contendit apud Marcum multa confundi, collocari inepte, addi quae ad rem non pertineant. Narrationem fontis antiquioris fidelius servari in historia transfigurationis apud Matth. Meyer et Weiss iudicant; id negant Schenkel et Weizsaecker; formam priscam narrationis pueri daemoniaci 9,14-29 melius exprimi apud Marcum opinatur Meyer, apud Matthaeum Weiss; e contra 10,2 seq. Marcus servavit modum priscum, uti existimant Bleek, Holtzmann, Schenkel, Volkmar, Weiss; dum sat multi rem, uti gesta sit plenius apud Matth. narrari arbitrantur, etc., etc.

Porro si unus ab altero in modo narrandi vel in dictione quadam differt, inquirunt quid in fonte apostolico scriptum fuerit et quare ab uno id sit

omissum vel mutatum vel additamento quodam auctum. Qua in re pro suo quisque ingenio libere exspatiatur et ea proferuntur quae inter se saepe destruunt. In narratione de sollemni Iesu in urbem ingressu apud Matthaeum Iesus salutatur : hosanna filio David (12,9), apud Marcum 11,10 non legitur filio David, sed eius quasi loco : benedictum quod venit regnum patris nostri David. Unde inquirunt : quid fuerit in fonte; cur aut Marcus omiserit aut Matthaeus addiderit? Hilgenfeld contendit Marcum appellationem illam omisisse; ergo secundum ipsum erat in fonte primigenio. Id negat Weiss asserens Matthaeum ex proprio penu illam addidisse; ergo secundum hunc criticum non reperiebatur in fonte apostolico. In narratione de ficu arefacta Matthaeus verbis Iesu immediate adiungit : et arefacta est continuo ficulnea et videntes discipuli mirati sunt, etc.; Marcus vero narrat sequenti die cum mane transirent discipulos vidisse ficum aridam factam (11,20). Iam alii contendunt Marcum divisisse miraculum in duos quasi actus, quo gravius videretur et sollemnius; alii autem a contrario asserunt Matthaeum considerasse maius fore miraculum, si effectus statim sequatur; insuper in aliis miraculis semper statim subiungi effectum; ideoque modum narrandi apud Matthaeum minime esse primigenium, sed priscam illam apud Marcum narrationem esse consulto immutatam. Quae exempla attulisse sufficiat. Modo perquam simili singulae narrationes ad examen revocantur.

Postquam solidis argumentis probatum est et certo constat Matthaeum non scripsisse solum quaedam Domini effata, sed illud evangelium quod eius nomine circumfertur et Marcum quoque evangelium quod secundum eum nominatur composuisse, iam multa quae ab illis criticis quaeruntur et coniectantur, tamquam inania et futilia nobis plane relinquenda sunt. Id unum superest discutiendum sitne Marcus usus evangelio Matthaei; nam evangelium Lucae ei non esse cognitum plerumque facile concedunt quia ex multis illis quae Lucae propria sunt nihil in suum usum convertisse deprehenditur.

Si consideratur summa rerum a Marco conscripta quae maxime cum evangelio Matthaei coincidit, si in maiore libri parte idem rerum ordo atque eadem narrationum series ac consecutio deprehenditur, utique facile quis eam poterit amplecti sententiam qua statuatur Marcum ob oculos habuisse evangelium Matthaei et id aliqua imitatione expressisse. Id ex recentioribus praesertim Schanz in commentario Marci explicuit simul sedulo inquirens in rationes cur varia apud Marcum aliter dicta sint. Verum simul talia statuit comparatione inter utrumque instituta, quibus Marcus a reprehensione non esset immunis, si revera evangelium Matthaei in suum usum adhibuisset. Nam haud raro Marcus dicitur ea quae apud Matthaeum clare, perspicue, ordinate conscripta sunt exposuisse obscure, confuse, impedite (cf. p. 70. 162. 215. 301. 306. 349. 354. 379. etc.). Sed quis sibi persuaserit Marcum textum clarum, perspicuum,

intellectu facilem, dilucide recteque dispositum detorsisse eumque effecisse obscurum, impeditum, intellectu difficilem, hiulcum? Neque alia sat commode explicari possunt. Si Marcus legit apud Matthaeum : nolite possidere... neque virgam (10,10), quomodo ipsi in mentem venire potuit scribere : nisi virgam tantum (6,8)? si vidit apud Matthaeum Christum praedicere suam crucifixionem (σταυρῶσαι, 20,19; 26,2), cur Iesum solum loquentem facit de occisione (ἀποκτενοῦσιν, 9,30; 10,34)? si vidit apud Matthaeum scribi matrem filiorum Zebedaei accessisse ad Iesum et rogasse : dic ut hi duo filii mei sedeant, unus ad dexteram tuam etc. (20,21), quomodo non dubitavit narrare alio modo, ut ipsi filii petierint : da nobis, ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram sedeamus in gloria tua (10,37)? cur verba Domini aliter affert atque apud Matthaeum consignata sunt? vide v. g. 2,25. 26; 4,7. 8; 7,10; 10,19; cur aliqua Iesu effata omnino non affert quae tamen maxime apta fuissent ad id quod alias eum prosequi videmus? ita omnes dicunt eum tarditatem discipulorum consulto efferre (idque merito, quia eorum de Iesu testimonium eo gravius evadit quo difficilius ipsi ac lentius crediderunt); tamen 9,28 praeclaram occasionem omittit, quamvis Matth. 17,20 ei esset oblata. Et quam rationem reddemus de multis illis quae apud Matthaeum leguntur et ad id quod Marcus intendit plane apta sunt et nihilominus a Marco plane praetereuntur?

Hisce aliisque perpensis praeferenda est illorum sententia qui insistentes testimoniis de Marco praedicationem Petri litteris consignante evangelium ex traditione orali ortum esse existimant (cf. *Cornely,* Introd. III p. 184 seq.) et catechesin apostolicam fontem praecipuum assignant (cf. *Kaulen,* Einleitung n. 451); etiam Schanz in commentario evangelii Lucae iam maiores partes traditioni orali attribuit. Id vero concedi debet seriem ordinemque quo variae narrationes dispositae sunt et inter se connexae *facilius* explicari si assumitur Marcum ea in re librum Matthaei ob oculos habuisse, quamvis nequeat affirmari traditionem oralem ad id declarandum esse omnino insufficientem. Neque negligendum est quod testimoniis de origine evangelii traditur, in quibus nihil reperitur indicii Marcum hausisse ex Matthaei libro; solum traditur Ioannem dum ad scribendum evangelium se accingeret rationem habuisse reliquorum quae iam exstabant evangeliorum (cf. Clemens alex. apud Euseb. h. e. 6,14), id quod ex ipso quoque libro constare agnoscunt omnes; vide v. g. Ioan. 1,45; 2,11; 3,24; 4,54; 11,1 (cf. *Cornely* l. c. p. 246). Et si Marcus v. g. a S. Augustino vocatur pedisequus et breviator Matthaei, Schanz quoque fatetur eiusmodi testimonia quibus unus evangelista libro alterius usus esse dicitur hausta esse solum ex rationibus in nar-

rationum similitudine et conformitate constitutis (Commentar über d. Ev. Luc. p. 12); ceterum vide Stimmen aus Maria-Laach XXI p. 297 seq.; XXVI p. 199.

IV. — De subsidiis interpretationis.

Ex antiquioribus pauci in Marcum scripserunt. Cum enim fere totius evangelii huius argumentum iam apud Matthaeum legeretur, censuisse videntur explicato Matthaeo etiam Marci libellum esse satis explicatum. Exstat catena graeca in Marcum quam e codd. bodl. et par. edidit J. A. Cramer, Oxonii 1844 : Catena graecorum Patrum in novum test. I p. 263-447. Catena haec in Marcum vulgo adscribitur Victori antiocheno, quare eius nomine *Vict.* in hoc quoque commentario laudatur. Prooemium quidem huius catenae quod in codice bodleiano legitur opus hoc S. Cyrillo alexandrino assignat, cui opinioni Cramer potius se assentiri fatetur l. c. p. XXVIII; verum de auctore non plane constare ipse quoque admittit. E graecis nominandi sunt Theophylactus (*Theoph.*) *M.* 123,492-681, qui breviter textum enarrat et haud raro allegorias quoque sectatur, et Euthymius (*Euth.*) *M.* 129,769-852, qui tamen in plurimis locis ad suum in Matthaeum commentarium remittit. Ceterum utrumque haud pauca afferre in usum interpretationis utilia, sive illa hausta sunt ex Origene, Gregorio naz., Chrysostomo, sive ex proprio utriusque penu deprompta, ex commentario hoc videre poteris; saepe enim eos laudatos reperies.

Apud Latinos feruntur inter opera S. Hieronymi supposititia duo in Marcum commentarii; prior in expositione quatuor evangeliorum de brevi proverbio edita, *M.* 30,560-567; alter 591-644; ille totus in allegoriis ludit, neque hic commendatione dignus est, a modo et arte S. Hieronymi maxime alienus; a nonnullis tamen sub nomine Hier. est allegatus; eum *Ps.-Hier.* rectius dices. Sed laude digna est in Marci evangelium expositio, quam *Beda* venerabilis hortatu Accae antistitis aliorumque fratrum conscripsit (*M.* 92,133-302). Quem secutus sit modum ipse explicat in epistola ad Accam : « maxime quae in Patrum venerabilium exemplis invenimus hinc inde collecta ponere curabimus; sed et nonnulla propria ad imitationem sensus eorum, ubi opportunum videbitur, interponemus lectoremque supplex obsecro, ut si haec nostra opuscula transscriptione digna duxerit, annotationem nominum eorum quae supra apposita sunt, diligens scriptura conservet », quod utique factum non est. Sat multa refert Beda ex S. Ambrosio et Hieronymo deprompta, aliqua etiam ex S. Augustino. Expositionem in Marcum conscripsit diu post expositionem evangelii Lucae, uti ipse dicit in epistola ad Accam. Commemoranda est catena aurea S. Thomae in Marci evan-

gelium; quae ex catena Victoris antiocheni desumpta sunt, sub nomine Chrysostomi adducuntur, sub nomine Hieronymi ea quae ex illo in Marcum commentario (de quo modo egi) deprompta sunt; alia ex Augustino, Beda, Theophylacto etc. allegantur. Neque praetereunda est beati Alberti magni « luculenta expositio » in evangelium Marci (*Alb.*); habetur in operum eius tomo nono, Lugduni 1651. Quae de eius commentandi modo dixi in Commentario in Matth. I p. 17, etiam valent de eius in Marcum expositione (quae tamen generatim brevior est); pariter quae eodem loco de aliis interpretibus adnotavi, uti sunt Faber stapulensis (*Fab.*), Dionysius carthusianus (*Dion.*), Thomas de Vio Caietanus (*Cai.*), Cornelius Iansenius (*Ians.*), Maldonatus (*Mald.*), Cornelius a Lapide (*Lap.*), Sylveira (*Sylv.*), Lamy, Calmet (*Calm.*), hic repetere non erit necesse. Ceterum ex ipsis eorum sententiis quas in commentario passim recitavi vel probans vel impugnans facile de eorum explicandi ratione iudicabis.

Ex recentioribus interpretibus laudandi sunt Patritius (*Patr.*), qui praeter opus magnum et eruditum de evangeliis (libri tres, Friburgi Brisg. 1853) etiam edidit in Marcum commentarium, Romae 1862, brevem quidem, sed non inutilem; Reischl, qui versioni germanicae novi testamenti adnotationes subiunxit minime negligendas, Bisping (*Bisp.*), Münster 1868, Schegg, München 1870, Schanz, Freiburg i. Br. 1881, Fillion (*Fil.*), quos pariter in Commentario in Matth. nominavi frequentissime. — Ex protestantibus sufficiat nominare Keil, Leipzig 1879, Weiss qui commentarios a Meyer adornatos editione septima retractavit Goettingen 1885, Cook qui in opere quod communiter vocant Speaker's Bible commentarium in Marcum scripsit London 1878.

Praeter hos ad explicationem consulendi sunt : Lightfoot, Horae hebr. et talmudicae, Schoettgen, Horae hebr. et talm., Wünsche, Neue Beitraege, Alfred Edersheim (*Ed.*), The life and times of Jesus the Messiah, Grimm Joseph etc. quos pariter laudavi in Commentario in Matth. I p. 18. Alii in hoc ipso commentario occasione data nominantur.

Textum graecum adscripsi cum quem praebet codex vaticanus, codex B, quem textum ex iis accurate constituere curae erat quae praebent Tischendorf in editione octava critica maiore et Westcott et Hort. Lectiones variantes quae alicuius momenti esse videbantur adieci; eas deprompsi ex apparatu critico quem exhibent Tischendorf, Westcott et Hort et ubi opus esse putabam simul adnotavi quam lectionem illi (Ti, W H) adoptarint.

Codices graeci in lectionibus variantibus laudati hi sunt secundum Tischendorf : codex vaticanus, B qui signatur, saeculi 4; sinaiticus ℵ eiusdem aetatis (vide quoque quae ad 16, 9-20 dicta sunt de his duobus codd.); alexandrinus A saec. 5; pariter saec. 5 Ephraemi rescriptus, parisiensis C (C^2 saec. 6? C^3 saec. 9); Bezae, cantabrigiensis D saec. fere 6 medii; basileensis E saec. 8 medii; Boreeli, nunc rheno-

traiectinus F saec. 9; harleianus G saec. 9 vel 10; Seidelii, nunc hamburgensis H eiusdem cum G aetatis et rationis; I palimpsestus petropolitanus, septem novi test. codicum reliquias continens; K cyprius parisiensis saec. 9; parisiensis num. 62 L saec. 8; parisiensis num. 48 M post medium saec. 9; N fragmenta quaedam ex saec. 6 ut videtur; fragmenta quaedam etiam continet P ex saec. 6; codex vaticanus num. 354 S scriptus anno 949; olim nanianus, nunc venetus marcianus U saec. 9 exeuntis vel 10; mosquensis V saec. 9; monacensis X saec. 9 exeuntis vel 10; codex Γ scriptus an. 844; Δ sangallensis saec. 9 exeuntis (cf. Gregory, Prolegomena, Leipzig 1884 p. 1 p. 402), Π petropolitanus saec. 9. Codices minusculi signantur numeris 1. 2. etc.

Codices versionis antiquae, italae quae dicitur, hi sunt : a vercellensis saec. 4; b veronensis saec. 5; c colbertinus saec. 11; d cantabrigiensis saec. 6; e palatinus vindobonensis saec. 5; f brixianus saec. 6; ff^1 ff^2 codices olim corbeienses (ff^1 saec. 8; ff^2 saec. 5 vel 6; cf. Wordsworth, Evangelium sec. Matth. Oxonii 1889 p. XXXI seq.); g^1 sangermanensis saec. 9; g^2 sangermanensis saec. 10; h claromontanus, nunc vaticanus saec. 5; i vindobonensis saec. 5 vel 6; k bobbiensis, nunc taurinensis saec. 5; l rhedigeranus vratislaviensis saec. fere 7; m significat lectiones ex libro : de divinis Scripturis sive Speculum, saec. fere 6; n sangallensis saec. 5; o fragmentum sangallense Marc. 16, 14-20; saec. fere 7; q monacensis saec. 6.

Ad lectiones ex vulgatae codicibus afferendas adhibui opus quod edidit Wordsworth : Novum testamentum D. N. I. Christi latine secundum editionem sancti Hieronymi ad codicum manuscriptorum fidem recensuit Iohannes Wordsworth S. T. P., partis prioris fasciculus alter evangelium secundum Marcum, Oxonii 1891. Illi ad textum huius evangelii edendum praesto erant codices viginiti quinque, quos in apparatu critico litteris signavit maioribus A D C etc. Verum cum hae litterae adhibeantur ad codices graecos unciales signandos adhibere malui alium modum : am codex amiatinus saec. 7 exeuntis vel 8 ineuntis; big bigotianus saec. 8 vel 9; cav cavensis saec. forsan 9; dub dublinensis saec. 8 vel 9; eg egertonensis saec. item 8 vel 9; ept epternacensis saec. ut videtur 9; fuld fuldensis, scriptus an. 541-546, evangelia in unum ex quattuor redacta sunt, ideoque ex evangelio Marci habet versus integros non plus 75; hub hubertianus saec. 9 vel 10; theod theodulfianus saec. 9; ing ingolstadiensis (in bibliotheca universitatis monacensis) saec. ut videtur 7; for foro-iuliensis saec. 6 vel 7; car carolinus saec. 9; lich lichfeldensis, olim landauensis (vulgo codex s. Ceaddae dictus) saec. 8 ineuntis vel 7 exeuntis; med mediolanensis saec. 6; mt martini-turonensis saec. 8; ox oxoniensis saec. 7; ken kenanensis saec. 7 vel 8; rush rushworthianus (vel « Gospels of Mac Regol ») saec. 9; tol toletanus saec. ut videtur 10; val vallicellanus saec. 9; wil codex scriptus a Willelmo de Hales an. 1254; corp codex evang. coll. Corporis Christi cantabrigiensis n. 286, saec. ut videtur 7; lind lindisfarnensis insulae codex saec. 7-8; harl harleianus saec. 6 vel 7; gat s. Gatiani codex saec. 6 (ex quo codice Tischendorf quandoque lectiones affert); denique lectiones quas Stephanus an. 1546, Hentenius an. 1583, Sixtus V an. 1590 in editionibus vulgatae versionis adoptarunt signatae sunt steph hent sixt.

Ex aliis versionibus a Tischendorf laudatis accipe has : aeth i. e. aethiopica; arm armenica; cop memphitica; sah sahidica; syr (cu) syriaca Curetoni; syr (sch) syriaca simplex, Peschittho; syr (p) syriaca posterior ex editione I. White; syr (hr) syriaca ex evangeliario hierosolymitano; ev hier ita signavi quae aliquoties addidi ex eodem evangeliario hier. quod edidit de Lagarde : Bibliothecae syriacae collectae quae ad philologiam sacram pertinent, Gottingae 1892 p. 318-327; go gothica etc. De istis aliisque versionibus vide Cornely, Introd. I p. 357 seq.

Nomina SS. Patrum quae primis indicantur litteris facillime cognoscuntur : Or

Origenes, Chr Chrysostomus, Eus Eusebius, Dam Ioannes Damascenus, Ath Athanasius, Aug Augustinus, Amb Ambrosius, Hil Hilarius, Ir Irenaeus, Thph Theophylactus, Const Constitutiones apost. etc.

Alia quoque quae brevitatis causa adhibita sunt satis per se patent : al mu alii multi codices vel testes; pler plerique; rell reliqui; add additur vel addunt; unc unciales codices; al pl alii plures; it versio itala vel codices italae; om omittitur vel omittunt etc.

Exordium 1,1-13.

Regnum messianum ita introduci coeptum est, ut a prophetis erat praedictum. Exstitit enim secundum verba prophetica praecursor, Ioannes baptista, praedicans baptismum poenitentiae multa cum populi commotione. Breviter refertur aspera eius vitae ratio et testimonium quod reddidit Messiae venturo. Ita Ioannes praeparat viam Domini. Ipse vero Dominus etiam quandam praemittit praeparationem ad munus suum subeundum in baptismo suscepto et in commoratione in deserto

Inscribitur liber κατα Μαρκον in ℵ B F [1]; ευαγγελιον κατα μαρκον in A D E H K L M U V Γ Δ Π al pl [1]; minusc mu addunt αγιον; in vulg : sanctum Iesu Christi evangelium secundum Marcum.

1,1. Initium Evangelii Iesu Christi, Filii Dei. 2. Sicut scriptum est in Isaia propheta : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. 3. Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.

4. Fuit Ioannes in deserto baptizans, et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.

5. Et egrediebatur ad eum omnis Iudaeae regio, et Ierosolymitae universi, et baptizabantur ab illo in Iordanis flumine confitentes peccata sua.

6. Et erat Ioannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus; et locustas, et mel sylvestre edebat. Et praedicabat dicens : 7. Venit fortior me post me cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius. 8. Ego baptizavi vos aqua : ille vero baptizabit vos Spiritu sancto.

9. Et factum est : in diebus illis venit Iesus a Nazareth Galilaeae et baptizatus est a Ioanne in Iordane.

1,1. Ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, υἱοῦ Θεοῦ· 2. καθὼς γέγραπται ἐν τῷ Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ· Ἰδοὺ, ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μου πρὸ προσώπου σου, ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου. 3. Φωνὴ βοῶντος ἐν τῇ ἐρήμῳ Ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου· εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους αὐτοῦ. 4. Ἐγένετο Ἰωάννης ὁ βαπτίζων ἐν τῇ ἐρήμῳ κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. 5. καὶ ἐξεπορεύετο πρὸς αὐτὸν πᾶσα ἡ Ἰουδαία χώρα, καὶ οἱ Ἱεροσολυμεῖται πάντες· καὶ ἐβαπτίζοντο ὑπ' αὐτοῦ ἐν τῷ Ἰορδάνῃ ποταμῷ ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. 6. καὶ ἦν ὁ Ἰωάννης ἐνδεδυμένος τρίχας καμήλου, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ, καὶ ἔσθων ἀκρίδας καὶ μέλι ἄγριον. 7. Καὶ ἐκήρυσσεν λέγων, Ἔρχεται ὁ ἰσχυρότερός μου ὀπίσω, οὗ οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς κύψας λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων αὐτοῦ. 8. ἐγὼ ἐβάπτισα ὑμᾶς ὕδατι· αὐτὸς δὲ βαπτίσει ὑμᾶς Πνεύματι Ἁγίῳ. 9. Ἐγένετο ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, ἦλθεν Ἰησοῦς ἀπὸ Ναζαρὲτ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἐβαπτίσθη εἰς τὸν Ἰορδάνην ὑπὸ Ἰωάννου. 10. καὶ εὐθὺς ἀναβαίνων ἐκ τοῦ ὕδατος, εἶδεν σχι-

1. Hae notae et compendia scriptionis explicantur in Prolegomenis p. 20.21.

10. Et statim ascendens de aqua, vidit coelos apertos et Spiritum tamquam columbam descendentem et manentem in ipso. 11. Et vox facta est de coelis : Tu es filius meus dilectus; in te complacui.

12. Et statim Spiritus expulit eum in desertum. 13. Et erat in deserto quadraginta diebus et quadraginta noctibus; et tentabatur a satana; eratque cum bestiis; et angeli ministrabant illi.

ζομένους τοὺς οὐρανοὺς, καὶ τὸ Πνεῦμα ὡς περιστερὰν καταβαῖνον εἰς αὐτόν· 11. καὶ φωνὴ ἐγένετο ἐκ τῶν οὐρανῶν, Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν σοὶ εὐδόκησα. 12. Καὶ εὐθὺς τὸ Πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον. 13. καὶ ἦν ἐν τῇ ἐρήμῳ τεσσαράκοντα ἡμέρας, πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ σατανᾶ, καὶ ἦν μετὰ τῶν θηρίων· καὶ οἱ ἄγγελοι διηκόνουν αὐτῷ.

Lectio I. *Ch. Filii Dei* omnino retinenda est; legitur υιου θεου in ℵ[a] B D L 102. et in cat Cr (Vict ant) et υιου του θεου in A E F G (suppl) H K M S U V Γ Δ Π al pler et apud Cyr alex (contra Iulianum lib. 10 *M.* 76, 1008); *filii Dei* in it vulg cop syr (utr) arm aeth Ir (adv haer 3,10. 6 et 3,16. 3; *M.* 7,878. 922) Amb Hier (ad Matth 3,3) Aug (de cons evang 2,6. 18; *M.* 34,1085). Quam lectionem merito retinent Wetstein, Lachmann, Meyer, Weiss, Keil, Schegg, Schanz al. Atque eo magis haec lectio tuenda est, quia tum in descriptione Iesu totum argumentum evangelii exprimitur, uti iam *Cai. Ians.* adnotant. Neque quae pro omissione afferuntur magni sunt momenti. Nam omittitur si codd spectas in ℵ* 28. 255. Dein pro omissione afferuntur Ir Epiph Or Bas Tit Serap Victorin Hier. Hisce innixus Ti verba omisit in editione octava, dum antea ea retinuerit, W H ea ponunt in margine; omittuntur quoque in ev hier.

Vȩrum quae afferuntur Patrum testimonia non evincunt verba illa revera defuisse. Omnes enim ii Patres locis qui allegantur non tam integrum Marci textum recitant quam comparant quae sint singulorum evangelii librorum initia vel efferunt initium evangelii fuisse conforme oraculis prophetarum. Ita Ir : « Matthaeus eam quae est secundum hominem generationem eius enarrat : liber, dicens, generationis Iesu Christi, filii David filii Abraham; et iterum : Christi autem generatio sic erat. Humanae formae igitur hoc evangelium. Marcus vero a prophetico spiritu ex alto adveniente hominibus initium fecit : initium, dicens, evangelii quemadmodum scriptum est in Isaia propheta ». En, etiam *Iesu Christi* omittit, quae verba tamen nullibi desunt neque deesse possunt; ergo testis esse non potest alia eo loco non esse lecta; ceterum duobus locis, ut supra vidimus, explicite *filii Dei* praebet. Atque Epiph quoque effert initium evangelii esse sicut scriptum sit in Isaia (haer. 51,6; *M.* 41, 897). Et Or demonstrare vult legem esse evangelii initium; idque ostendit ex verbis Christi : si crederetis Moysi, crederetis et mihi (Ioan. 5,46) et : sed et Marcus ait : initium evangelii nostri Iesu Christi, sicut scriptum est in Isaia propheta (c. Cels. 2,4; *M.* 11,801); eodem modo solum exhibere vult nexum inter initium evangelii I. Ch. et vetus testamentum in comment. in Ioan. tomo 1 n. 14 (*M.* 14,45. 47); tomo 6 n. 14 initium evangelii I. Ch. apud Marcum dicit sumptum esse ex iis quae scripta sunt in Isaia, dum verba ea *vox clamantis* etc. apud discipulum Ioannem ex persona baptistae dicantur (*M.* 14,244); in commentario vero in ep. ad Rom. 1 n. 5 adnotat modo dici evangelium Dei, modo evangelium Iesu Christi, sicut apud Marcum : initium evangelii I. Ch. sicut scriptum est in Isaia (*M.* 14,847; ex interpretatione Rufini). Librorum evangelii initia inter se comparat Bas; Matthaeum esse interpretem generationis Christi secundum carnem; Marcum autem initium evangelii facere praedicationem Ioannis : initium evangelii I. Ch. sicut scriptum est in Isaia propheta : vox clamantis in deserto; dein refert de Luca etc. (c. Eunom. 2,15; *M.* 29,601); en, quam

parum eius interest *integrum* afferre textum; praetermittit quoque verba ex Malachia deprompta : ecce ego mitto angelum meum etc. Librorum initia inter se confert quoque Titus adv. Manichaeos 3,3; *M.* 18,1217; Serapion vero adv. Manichaeos cap. 25 ita habet : idcirco evangelii scientiam non tenent, qui evangeliorum initium non susceperunt : *initium evangelii Iesu Christi*, sicut scriptum est in Isaia propheta : τὴν ἀρχὴν τῶν μαθημάτων ἐκδεδλήκασι τῇ ἀρχῇ τῶν τῆς πονηρίας ἰστῶν (Is. 59,5 seq.? Ier. 2,30 et 5,3?). Unde liquet Serapionis minime interesse eo loco (*M.* 40,921) integrum afferre textum. Atque Cyr hier solum effert Ioannem fuisse initium rerum evangelicarum : αρχη γαρ του ευαγγ τω χυ, φησι, και τα εξης, εγενετο ιωαννης εν τ. ερ. βαπτιζων; ex quo loquendi modo evidens est eum nolle afferre textum integrum. Victorinus autem ex variis initiis ostendit apte suum cuique evangelistae assignari symbolum : Marcus itaque evangelista sic incipiens : initium evangelii I. Ch. sicut scriptum est in Isaia : vox clamantis in deserto, leonis habet effigiem (in Apoc. 4,7; *M.* 5,325), ex qua loquendi ratione nequit concludi eum voluisse aut debuisse omnia verba in medium proferre. Quod autem Hier ad Malach. 3,1 et in ep. ad Pammachium, de optimo genere interpretandi (ep. 57, al. 101, n. 9) omittat *Filii Dei* recitans initium evangelii, parum probat pro omissione, quia ad Matth. 3,3 verba haec affert.

Textum plane singularem habuisse videtur Severianus, Gabalorum episcopus, cuius sermo de sigillis librorum refertur inter opera S. Chrysostomi (*M.* 63,551 seq.); dicit enim : « beatus Marcus evangelium aggressus dicit quidem Filium Dei, sed statim sermonem compressit et sensa minuit, ut alliceret auditorem; baptistae quae sunt statim memorat dicens : initium evangelii I. Ch. sicut scriptum est in Isaia propheta » (*M.* 63,540. 541; in editione bened. opp. Chrys. t. 12 p. 412); videtur itaque codex Severiani habuisse evangelii titulum in quo legebatur : evangelium I. Ch. Filii Dei, sed in ipso evangelii v. 1 *Filii Dei* non legebatur.

Hier quidem scribit ad Matth. 3,3 (*M.* 26,29) : « nos nomen Isaiae putamus additum scriptorum vitio quod et in aliis locis probare possumus aut certe de diversis testimoniis Scripturarum unum corpus effectum » ; at alibi melius dicit duo testimonia Malachiae et Isaiae sub unius prophetae sermone evangelistam contexere (ad Malach. 3,1 et in ep. 57,9 ad Pammachium de optimo gen. interpr.). At lectio *in Isaia propheta* est retinenda; eam enim habent ℵ B D L Δ 33. al 25 it vulg cop syr (sch, hr) go Ir Or Porphyr (apud Hier) Tit Bas Serap Epiph Severianus Vict ant et Eus in cat Cr, Victorinus Aug. Habent εν τοις προφηταις A E F G (suppl) H K M P S U V Γ Π al pler aeth sl Phot (Manich 4,9) Thphyl; τον οδον σου sine additamento ℵ B D K L P 36. 102. a b c l q am fuld ing tol syr (sch, hr) aeth Or Ir Hier (ad Malach et Matth) Vict ant in cat Cr; additur εμπροσθεν σου in A Γ Δ Π² unc 8 al pler f ff¹ ² g¹ ² dub eg theod car ken val wil harl syr (p) arm go sl Eus Severian Phot Hier (ep. 57,9) al. In v. 3 τας τριβους του θεου υμων D; item dei nostri a b c f ff² g² eg mt go; Ir ante deum nostrum. In v. 4 ο βαπτ. ℵ B L Δ 33. cop Ti W H; omittitur articulus in A D P Γ Π unc 9 al fere omn; και κηρυσσων ℵ A D L P Δ unc 11 al pler it vulg cop syr etc. Ti; omittitur και in B 33. 73. 102. W H. In v. 7 B οπισω sine μου et 102. mt, omittitur κυψας *procumbens* in D 28. 256. a b c ff² g¹ mt Amb. In v. 8 *baptizo* D al pauc b c f ff¹ g¹ mt big; εν υδατι A D L P Γ Π unc 8 it dub eg gat mt cop; addit a *in poenitentiam*; εν πνευματι ℵ A D H P Γ Δ Π unc 8 33. al pler it (excipe b) gat eg dub ox mt cop Or; om εν B L b vulg Aug. In v. 10 illud *et manentem in ipso* (al *eo, ipsum*) non reperitur in graeco; solum in lat. In v. 13 additur και τεσσαρακ. νυκτας in L M aliq minusc. c ff¹ g¹ l vulg cop aeth Or Eus.

S. Marcus, comes et interpres Petri, eodem modo descriptionem evan-

gelii instituit quo olim Petrus insinuaverat Act. 10,37 : incipiens a Galilaea post baptismum quod praedicavit Ioannes. Monet autem statim initium annuntiationis regni messiani, nuntii utique faustissimi et optima quaeque promittentis factum esse tale quale a prophetis praedictum erat; proinde Deum ipsum magna cura providisse ut talis nuntius et diu ante praediceretur et debite praepararetur; qua re et Iudaei et gentiles edocebantur hunc nuntium ut susciperent magna exspectatione et veneratione; v. 1 *initium evangelii Iesu Christi, Filii Dei,* v. 2 *sicut scriptum est* i. e. initium evangelii, nuntii salutaris de Iesu Christo erat (vel factum est) ita, uti scriptum est; eo modo verba iungunt et explicant *Irenaeus, Orig. Epiphanius* quorum locos supra in lect. var. attuli; porro *Euth. Alb. Mald. Lap. Men. Tir. Gord. Calm. Bisp. Schanz,* quae iunctio facilis est et obvia et sensum optimum praebet. De voce evangelii vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 21; huius nuntii salutiferi argumentum assignatur *Iesus,* homo ille qui in Iudaea et Galilaea versatus est, qui est *Christus,* ille Messias a Deo promissus ad salutem omnium, et qui est *Filius Dei,* quae appellatio de vera filiatione divina, de natura Iesu divina, intelligatur oportet. Nam in subsequentibus Marcus tot ac tanta affert miracula, ut pateat eum voluisse illis divinam Messiae personam omnibus clare demonstrare. Dein, si non hoc diceret, quid tandem exprimeret? si solum eo sensu appellaret filium, quo reges et populus Israel vocabantur filii Dei, nihil diceret pro Iudaeis qui iam optime sciebant filiationem adoptivam hominibus quoque a Deo donari. Gentiles autem ex ipsis deorum fabulis magis proni erant vocem de vero filio Dei intelligere; illis enim filiatio adoptiva erat explicanda quae fiat per gratiam. Declarat itaque Marcus statim utramque in Iesu naturam, Messiam i. e. redemptorem et regni Dei institutorem esse Iesum qui verus sit homo simulque verus Deus, atque hoc esse evangelii argumentum; idem assignatur Rom. 1,1-4 evangelium Dei de Filio suo, qui ex semine David est secundum carnem, Filius Dei secundum spiritum sanctificationis. Est itaque evangelium Iesu Christi idem quod Matthaeus dicit evangelium regni (4,23; 9,35; 24,14) regni Dei, cuius auctor et institutor est Christus.

Verum aliter ab aliis hae sententiae a quibus libellus Marci incipit coniunguntur. Alii enim v. 1 *initium ev. I. Ch.* considerant tamquam inscriptionem, quae in se concludatur; dein v. 2 et 3 exhibent ut protasin, cuius apodosis habeatur in v. 4; proin : sicut scriptum est... (ita) fuit Ioannes, ita exstitit Ioannes in deserto praedicans. Et hoc modo concipiunt *Ians. Schegg, Fil. Keil, Weiss* aliique, vel etiam *initium* ἀρχή concipitur ac si diceretur *incipit evangelium* I. Ch., uti a b revera praebent; pro qua explicatione provocant ad Os. 1,1 et exempli causa affertur quandoque quod

S. Hier. scribit : solemus nos completis opusculis ad distinctionem rei alterius medium interponere *explicit*, aut *feliciter*, aut aliquid istiusmodi (ep. 28,4 al. 138; cf. *Schegg*, *Weiss*). Sed haec explicatio satis est ieiuna. Si enim inscriptionem dixeris vel titulum, quaero ad quid referatur. Num ad totum librum? profecto non. Num ad solum exordium v. 2-13? utique hoc erit dicendum. At cum v. 14 et deinceps non sequatur ulla inscriptio, etiam haec responsio non potest admitti. Multo minus concedi potest evangelistam inchoare librum suum modo illo e trivio et tempore posteriore petito : incipit evangelium; qua explicatione quid magis ieiunum et supervacaneum, ne dicam puerile, excogitari potest? Et perperam pro ea nos remittunt ad Os. 1,1. Nam ibi non dicitur *incipit*, etc., sed sensus est : cum Deus prophetae allocutionem indere inciperet, id quod statim ab initio ab eo postulavit, id a quo communicationis divinae initium sumebatur, erat mandatum hoc : vade, etc. (LXX ἀρχὴ λόγου Κυρίου πρὸς Ὡσηέ; ceterum vide meum Comment. in proph. min. I p. 22). Quare principium Osee explicationem quam supra dedi confirmat.

Alii ita iungunt : initium evangelii I. Chr. (sicut scriptum est, etc.) fuit Ioannes; proinde v. 1 immediate referunt ad v. 4 et oracula prophetica parenthesi inclusa inter v. 1 et 4 inseri volunt; ita *S. Cyr.* hier. (loco supra allato), *Vict.* ant. in cat. Cr. : « Ioannem ultimum prophetarum initium esse evangelii dicit Marcus », eodemque modo *Theoph.*, quem tamen haud pauci laudant pro explicatione quam supra adoptatam vidimus ab Irenaeo, Origene, etc.; at perperam; clare enim scribit : Ἰωάννην ἀρχὴν εἶναι τοῦ εὐαγγελίου τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ φησί; eandemque amplectuntur iunctionem *Patr. Volkmar*, *Fritzsche*, *Lachmann*, *Hitzig* (cf. *Meyer*). At incredibile videtur Marcum a structura ita intricata incepisse; dein ipsa oracula prophetica quasi per parenthesin inserta profecto non eum qui iis debetur locum occupant. Multo facilius est atque significationem praebet meliorem iungere : initium evangelii erat sicut scriptum est, etc.; ita sententia fluit sine impedimento et ad nomen *initii* melius convenit descriptio quae in oraculis continetur quam dicere Ioannem fuisse initium; sane eo in sensu exspectaretur merito alius dicendi modus, quem revera *S. Cyr.* selegit : Ἰωάννης γὰρ ἦν ἀρχηγός; porro ad *initium* potius accommodaretur dicere cum *S. Bas.* : Marcus initium evangelii fecit Ioannis praedicationem (c. Eunom. l. c.).

Neque contra explicationem datam obiici potest deesse articulum in voce ἀρχή et deesse in ea sententia copulam grammaticalem; duo haec maxime obstare censet *Schegg* qui propterea eam sententiae structuram tamquam non graecam damnat. At cum Graeci eam adoptaverint, certe non potest esse aliena ab indole linguae graecae. Et revera articulum posse deesse debet in quavis explicatione concedi neque eius rei desunt exempla (cf. *Winer*, Grammatik des neutestam. Sprachidioms § 19) et recte monet *Buttmann* in libris novi test. frequentissime omitti articulum ibi ubi nos eum ponamus et ubi revera ex indole linguae graecae ponendus esset (Grammatik des neutest. Sprachgebrauchs p. 77). Neque verum est copulam grammaticalem *esse* simul intelligi loco praedicati grammaticalis ideoque omitti

non potuisse; cum enim sequatur καθώς *sicut,* id quod in priore membro sententiae supplendum est per se intelligitur et ipsa hac voce statim suggeritur. Praeterea propter καθώς locum praedicati non obtinet verbum *esse*, sed potius id quod ex καθώς in protasi per se suppletur; nam, ut bene *Euth.* habet, integra sententia esset: ἀρχὴ τῆς νέας νομοθεσίας οὕτω γέγονεν, ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις, vel ut iam *Ians.* ait : initium evangelii tale fuit; in qua sententia *esse* manet copula grammaticalis quae deesse potest et praedicatum exprimitur in οὕτω *tale*. Quare *Meyer* haud immerito advertit supplere ἦν esse supervacaneum et officere generi sermonis conciso et nervoso.

Testimonio versionum et codicum fere omnium (vide lect. var.) legendum est in v. 1 *Filii Dei;* hanc addi appellationem necesse erat et pro Iudaeis et pro gentilibus, hanc addi a Petri comite qui Petri praedicationem litteris consignaverit eo potiore iure exspectamus, quia Petrus prae aliis iam ante Iesu mortem eum adeo sollemniter Filium Dei professus est, unde eandem Iesu naturam divinam in praedicatione singulari modo proposuisse certum quoque est. Hanc additam esse a Marco ex eo insuper concludendum est, quia totus in eo est ut sua narratione ostendat supremo Iesu dominio omnia et ipsos quoque daemones esse subiectos (cf. *Cornely,* Introd. III p. 105), proinde eum esse revera Filium Dei; praeterea statim in v. 3 *parate viam Domini* (Is. 40,3 : viam Iahve) eius natura divina affirmatur. Novum foedus eo modo inducitur *sicut scriptum est,* sicut oraculis propheticis erat praedictum. Verba afferuntur ex Mal. 3,1 et in v. 3 ex Is. 40,3. Priore loco legitur : ecce ego mitto angelum meum (מַלְאָכִי nuntium meum) et praeparabit viam ante faciem meam; respondet scil. Dominus populo conquerenti : ubi est Deus iudicii, per quem scil. ex misera conditione erepti promissis messianis donentur. Dominus autem confirmat promissa messiana atque id addit praemissum iri praecursorem qui Dominatori venturo viam paret (vide quae dixi in Comment. in proph. min. II p. 466). Cum Iesum evangelista dixerit *Filium* Dei, apposite verba illa ita attemperat, ut Pater qui mittit Filium loquens fiat ad Filium (cf. Matth. 11,10). Misit autem Dominus Ioannem nuntium, uti dicitur Luc. 3,2 factum est verbum Domini super Ioannem, eo scil. modo quo prophetae a Deo eligi ac mitti perhibentur, et ut ipse Ioannes dicit : qui misit me baptizare (Ioan. 1,33). Ex Is. 40,3 petitur v. 3 *vox clamantis in deserto : parate viam Domini, rectas facite semitas eius,* quae verba ab omnibus evangelistis de Ioanne explicantur et quae Ioannes ipse de se dicit (cf. Matth. 3,3. Luc. 3,4. Ioan. 1,23). Iis quippe verbis Isaias annuntiat Dominum qui populum suum e servitute ad hereditatem et libertatem adducturus sit; illam autem libertatem esse redemptionem messianam, propheta statim clare indicat v. 5 : et revelabitur gloria

Domini et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est. Huic itaque Domino vias esse parandas ille clamans monet (cf. quae dixi in Comment. Is. II ad h. l.). Iam eo evangelium esse inceptum, declaratur v. 4.

Utrumque vaticinium uni adscribitur Isaiae. Hanc enim lectionem esse retinendam et testimoniis criticis (Patrum, codicum meliorum, versionum, vide lect. var.) suadetur et eo quod lectio sit difficilior. Cur enim aliqui mutaverint *in prophetis* facile explicatur, cum iam Porphyrius malitiose quaesierit, « quomodo velut ab uno Isaia exemplum putemus assumptum » (*S. Hier.* ad Matth. 3,3). Iam vero cur unus Isaias merito nominetur, ratio haud difficile redditur. Est autem duplex. Oraculum Malachiae enim ex ipso Isaia depromptum est, vel si mavis, Malachias iis verbis oraculum olim ab Isaia datum in mentem revocat, id quod ostenditur eadem dictione פִּנָּה דֶּרֶךְ quae non legitur nisi Is. 40,3; 57,14; 62,10 et apud Malachiam hoc loco; clamans vero ille apud Isaiam declaratur a Malachia ut nuntius a Deo missus qui viam Domini praeparet (vide quae dixi ad Mal. 3,1). Dein, cum initium evangelii fieret a praedicatione Ioannis, tota vis probationis qua hic utitur Marcus collocatur in v. 3 vox clamantis etc., ad quae verba oraculum aliud : ecce ego mitto etc. solum addit aliquam explicationem, qua clamantem a Deo mitti explicite statuatur. Id autem cum fere per se intelligatur minoris est momenti. Hisce igitur consideratis merito unus nominatur Isaias, a quo revera totum oraculum derivatur. Solum Isaiam nominari opinantur *Alb.* quia lucidius omnibus prophetaverit, *Ians.* quia tempore sit prior; melius *Lap.* quia potior sit, nam vocem Ioannis clamantis in deserto fuisse initium evangelicae praedicationis; itemque *Mald.* et : « quia intelligi non poterat id a propheta de Ioanne dictum fuisse nisi ex Malachia, adiunxit quasi explicationem Malachiae testimonium unum ex utroque contexens et solum Isaiam auctorem faciens quia pars praecipua et in qua tota consistebat vis probationis quamque potissimum evangelista producere volebat Isaiae erat » (sim. *Men. Gord. Tir.*).

Haec potiore iure dicuntur quam quae ab aliis proponuntur. Lapsum et errorem evangelistae perperam assumunt aliqui protestantes (*de Wette, Meyer, Bleek, Weiss*); occurrisse animo Marci pro Malachia Isaiam ex motione Spiritus sancti opinatur *Beda*, « quia ita Dominus hoc scribi constituit », ut scil. insinuaretur omnes prophetas uno spiritu locutos mirabili inter se consensione constare. Errorem non evangelistae, sed scriptoris statuit *Eusebius;* cf. cat. Cr.; idemque dicitur in homilia 1 in Marcum, olim S. Chrysostomo adscripta (vide cat. aur.), quam sententiam etiam *S. Hier.* enuntiat ad Matth. 3,3, in epistola autem ad Pammachium (57,9; al. 101) locum

hunc inter eos affert quibus perspicuum sit apostolos et evangelistas in interpretatione Scripturarum sensum quaesivisse non verba nec magnopere de ordine sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret. Cui autem haec responsio non satisfaciat, ille solvat quaestiunculam cur pro Malachia Isaias ponatur; « solvat hanc imperita praesumptio, et ego erroris veniam deprecabor ». Alii contenti sunt advertere duo vaticinia in diversis locis edita in unum oraculum contexi (*Orig.*, in cat. Cr.; cat. aur.) et unum Isaiae nomen recitari utpote vetustioris et altero celebrioris, « ita solent saepe novi testamenti scriptores et sub generico prophetarum vel certi alicuius prophetae nomine multa recitantes ex multis collecta in unam seriem iungunt » (*Calm.*). Existimat *Schegg* in praedicatione apostolica moris fuisse hoc vaticinium afferre sub nomine Isaiae et hunc usum esse servatum, etsi verba prophetica alia quoque adderentur. Verum quidem est Isaiam in evangeliis nomine efferri quater decies; sed cum alii quoque suis recitentur nominibus (Ieremias bis, Matth. 2,17 et 27,9; Daniel, Ionas, Ioel, Act. 2,16), dubito num ea ratio admitti possit. Neque satis probabile videtur quod sentit *Patr.* Iudaeos solitos fuisse totum prophetarum volumen signare nomine eius qui primo loco in hoc volumine ponatur, nomine Isaiae; « etenim et postremam bibliorum partem, in qua liber psalmorum est omnium primus psalmos appellatam ab illis constat (Luc. 24,44) et ipsa biblia nomine legis, utpote quae totius corporis primus liber sit, mos apud illos fuit designare ». At dicitur : quae scripta sunt in lege Moysi, in prophetis et psalmis, lex et prophetae (Luc. 24,44; Matth. 7,12. etc.), neque tamen in lege et Isaia et psalmis.

Iam demonstratur quis sit clamans ille et qua ratione paret viam Domini v. 4 *fuit Ioannes in deserto*, ἐγένετο, factus est, prodiit, exstitit, *baptizans* ὁ βαπτίζων is scil. cuius munus erat baptizare, eodem sensu quo alias βαπτιστής vocatur (cf. 6,24; 8,28); desertum intellige « quod a lacu asphaltite excurrebat secus Iordanem per medias regiones veterum Israelitarum, ita tamen ut citra Iordanem non ultra terminos aquilonares Beniamitarum se porrexisse videatur, certe non ultra meridianam extremitatem lacus Tiberiadis » (*Patr.*). Ceterum desertum Iudaeis dicitur regio non omnino sterilis, sed quae agris quidem colendis non sit apta, at gregibus pascendis opportuna; *et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*, κηρύσσων dicit sollemnitatem quandam et auctoritatem qua praeco a rege missus mandata perferre et annuntiare solet; eo quod *poenitentiam* μετάνοιαν, mentis mutationem, peccatorum scil. detestationem morumque emendationem fieri iubet, regnum messianum iam indicat non in dominatione terrena consistere, verum in bonis spiritualibus. Praedicans autem μετάνοιαν poenitentiam (de notione vocis vide Comment. in Matth. I p. 117) eandem praeparationem regno messiano esse obviam ferendam docet quam

prophetae iam assignarant (vide Ier. 3,21-25. Ez. 16,61 Dan. 9,5. Mich. 7,9 et imprimis Is. 58,1 seq. 59,12; 63,15 etc.). Praedicat baptismum poenitentiae; lotiones apud Iudaeos frequentes erant ad leviticam quandam immunditiem tollendam vel expiandam. Novum autem genus baptista inducit; docet lotionem suscipi postquam animus detestatione peccatorum et vitae sanctae desiderio est imbutus, ut spes concipi possit fore ut Deus peccata benigne condonet. Dicitur baptismus poenitentiae, quia in testimonium poenitentiae suscipiebatur (*Ians.*); poenitentia autem in id tendit atque id desiderat et appetit, ut remissio peccatorum obtineatur; quare dicitur *poenitentiae in remissionem peccatorum*. Aliud est utrum peccata revera remittantur necne. Ex v. 8 patet quale discrimen baptista agnoscat inter suum et Iesu baptisma. Baptisma Ioannis per se non conferebat remissionem eo modo quo baptismus Christi, uti bene dicit *Victor* ant. in cat. Cr. : « non donum largiens quod in remissione consistit sed praeparans animas eorum qui universorum Deum erant suscepturi » et ad rem notat *Ps. Hier.* : « quod consummatur per sponsum, initiatur per paranymphum ». Et *S. Thomas* p. 3 qu. 38 art. 3 docet baptismum Ioannis ad gratiam praeparasse tripliciter : per doctrinam inducentem homines ad fidem Christi, assuefaciendo homines ad ritum baptismi Christi, per poenitentiam praeparando homines ad suscipiendum effectum baptismi Christi; cf. *Suarez* in 3 partem disp. 25 sect. 2 et *Benedictus* XIV de festis D. cap. 2 n. 24.

Coniungi potest ἐν τῇ ἐρήμῳ cum ἐγένετο : Ioannes baptista (ὁ βαπτίζων) prodiit in deserto; haec acceptio innuitur collocatione *fuit Ioannes in deserto* in it vulg syr (sch) D Eus Cyr hier. Quae coniunctio etiam a *Keil*, *Weiss* aliisque probatur. Si articulus ὁ omittitur necessario legi debet καὶ κηρύσσων, uti plerique testes habent. Si ponitur, illud καί bene potest deesse cum B et aliquibus minusculis; tum enim bene fluit sententia : prodiit Ioannes baptista in deserto, praedicans, etc.; si autem καὶ retinetur cum plerisque, tum propter articulum Ioannes in utroque munere baptistae et praeconis cum aliqua epitasi effertur.

Variam explicationem sortita sunt verba *praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum; S. Gregorius* hom. 20 in evang. n. 2, quem *Beda* sequitur et *glossa ord.* vim ponit in *praedicans* : quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat praedicabat; *Euth.* : praedicabat poenitentiam ἕνεκεν ἀφέσεως, ut per poenitentiam de peccatis redarguti et compuncti cum ferventer quaererent qui tollit peccatum mundi, et *Theoph.* : haec autem praedicatio poenitentiae quo ferebat? in remissionem peccatorum, videlicet in Iesu baptisma. Neque tamen dici potest istum baptismum esse baptismum Christi, ita ut diceretur Ioannes baptizasse et praedicasse baptismum Christi, quam explicationem inter alia S. Thomas quoque affert (l. c. ad primum), sed quam merito non probant *Suarez*, *Ians.*

Sylv.; nam ipse baptismus Ioannis dicitur baptismus poenitentiae (Act. 19,4) et apud Luc. 3,3 explicite dicitur : venit praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, sicut scriptum est, etc., ubi dubium esse non potest ex sequentibus quoque, quin suum praedicaverit baptismum. Itaque Marcus haec scribens idem indicat quod Matth. 3,2 : venit Ioannes dicens : poenitentiam agite, etc. — Perperam aliqui veteres ita loquuntur ac si per ipsum Ioannis baptismum peccata essent remissa (de qua sententia vide quae dixi ad Matth. 3,6 et cf. *Patr.* de evang. lib. 3 diss. 43 n. 39 seq.); eandem sententiam etiam haud pauci protestantium propugnant, non attendentes quid ipse Ioannes de suo baptismo et de Christi baptismate statuerit.

Cum legatur *baptizans et praedicans,* etc., aliqui putant ordinem esse inversum, « primum enim praedicabat poenitentiam, dein baptismum poenitentiae ac postremum baptizabat » (*Ians.*); at haec quoque dicendi inaequalitas disparet adoptata lectione in B : prodiit Ioannes, ille baptista, in deserto praedicans, etc.; dein sequitur v. 5 qualem effectum eius habuerit praedicatio et tum mentio fit baptismi administrati. Praemittitur autem appellatio ὁ βαπτίζων i. e. idem ac ὁ βαπτιστής (cf. Gal. 1,23 ὁ διώκων ἡμᾶς ποτέ, 1 Cor. 9,13; 14,16. 2 Cor. 2,2. Hebr. 12,27; vide *Winer* l. c. § 18,3) quia ea designatione notus erat tamquam sibi propria; cf. Matth. 3,1; 11,11; 14,2 seq. Luc. 7,20 seq. 9,19 et etiam *Iosephus,* Antiq. 18,5. 2; dein suo ordine enarratur quomodo officio sit functus.

Notant quoque *Bed. Ians. Lap. Tir. Gord.* singulos evangelistas proprium habere sui libri initium; Matthaeum enim et Ioannem a Christo incipere, sed illum ab humana generatione, hunc vero a divina; Marcum autem et Lucam incipere a Ioanne, et hunc quidem ab eius nativitate, illum ab eius praedicatione. Ab hisce initiis etiam deprompta sunt nota illa symbola quae evangelistis in arte christiana iam a longo tempore addi solent (vide *Cornely,* Introd. III p. 10).

Ex tempore Malachiae iam non surrexerat propheta. At exspectatio ac desiderium prophetae in populo exsistebat (cf. 1 Mach. 4,46; 14,41), ex quo magnam partem iam explicatur illa per universam regionem commotio animorum, cum subito Ioannes in habitu et modo prophetae surgeret. Accedit quod eodem tempore communiter omnium animos spes occupabat fore ut mox Messias rebus afflictis afferret solamen et salutem. Quare praedicatio Ioannis suo non carebat fructu v. 5 *et egrediebatur ad eum omnis Iudaeae regio* ἡ Ἰουδαία χώρα iudaica regio (cf. Ioan. 3,22. Act. 16,1) *et Ierosolymitae universi;* prius regio nominatur in universum, quia fama et rumor de propheta ex deserto prius spargebatur per regionem, dein quoque perferebatur ad urbem, regionis caput; unde non solum homines rustici, sed etiam incolae urbis eruditi ac nobiles ad eum confluebant. Alium enumerationis ordinem Mat-

thaeus sequitur 3,5. Scriptores sacri humano more usitatoque loquuntur; est autem mos dicere *omnem* cum maxima rei pars significanda est (*Patr.*); idem dic de Ierosolymitis *universis*, πάντες in fine potius in universum, nullo pacto ad unum omnes (*Schanz*). Regionem Iudaeam aliqui intelligunt dici more romano de Palaestina universa (*Schanz, Volkmar*), alii sensu magis proprio; quidquid terrarum prisci Israelitae citra Iordanem obtinuerant, totum id aetate Christi tribus partibus distinguebatur Iudaea, Samaritide, Galilaea (*Patr.*). Et cum Marcus alias quoque Iudaeam distinguat a Galilaea (3,7; 10,1), haec acceptio videtur praeferri posse; *et baptizabantur ab illo in Iordanis flumine confitentes* ἐξομολογούμενοι maiorem habet emphasin quam verbum simplex, aperte, clare confitentes *peccata sua*, qua dictione certa quaedam declaratio peccatorum designatur, non communis illa se esse peccatores (cf. Act. 19,18. Iac. 5,16); vide ad Matth. 3,6; ad Iordanem autem et praedicabat et baptizabat, ut ibi aditus praepararetur ad regnum messianum, ubi datus est aditus Israelitis ad terram promissam, typum scil. regni Dei.

Et qui ad poenitentiam excitabat et invitabat, in se ipso austeritatem vitae exhibebat v. 6 *et erat Ioannes vestitus pilis cameli* i. e. indutus vestimento ex pilis cameli confecto (Matth. 3,4) *et zona pellicea circa lumbos eius;* vestitu quoque prae se fert Eliae similitudinem; cf. 4 Reg. 1,8; nihil molle, splendidum nihil in vestimentis cernitur, solum ea habet quae necessaria sunt eaque satis aspera. Pari modo cibus est pauperum; *et locustas*, quibus pauperiores vesci solebant, *et mel silvestre edebat*, noli explicare mel ab apibus confectum, quippe quod inter delicias refertur, sed interpretare cum *Patr.* : mel silvestre ex arboribus magna copia effluit in Arabia admistumque aquae potum incolis praebet. De qua re pluribus disserui ad Matth. 3,4. Uti *Patr.* refert (de evang. lib. 3 dissert. 44 n. 3) Diodorus quoque siculus de Nabathaeorum regionibus scribit nasci apud eos ex arboribus mel multum silvestre vocatum (μέλι τὸ καλούμενον ἄγριον), quo potu utantur cum aqua (19,104; cf. *Schanz*). Porro viam Domini ulterius parat eius adventum annuntians eiusque sublimitatem efferens et summa illa bona commemorans quae ipse largiturus sit (v. 7. 8). Haec aptissime inseruntur postquam verbo suo et exemplo populum ad poenitentiam excitavit et confitentes peccata baptizasse dictus est. Sic enim clare indicatur quinam nuntium de Messia venturo eo quo deceat modo audire et suscipere possint. Atque simul edit prophetiam, quae utrum impleatur necne ab aequalibus mox cognosci poterit; et tali oraculo edito se secundum normam in lege statutam (Deut. 18,22; cf. Ier. 28,9) tamquam a Deo missum et approbatum demonstrat.

Christi declarat sublimitatem v. 7 *praedicabat dicens : venit fortior me post me* qui multo maiore potentia polleat, cuius excellentiam Iudaeis qui se venerabantur et admirabantur maxime ad oculum exponit modo ad captum populi accommodato, simul praecavens ne aestimaretur secundum comparationem sui ad Christum illud dixisse (cat. aur.) *cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius*, ne ultimus quidem servorum eius esse dignus sum (*Theoph.*), non sum dignus qui ei serviam in re corporali, exteriore et minima propter incomparabilem eius excellentiam super me (*Dion.*); οὐκ εἰμὶ ἱκανός non sum idoneus, aptus, sufficiens, qua voce etiam maior animi demissio significatur, quam in versione *dignus* apparet. Matthaeus pro Iudaeis scribens ipsa dictione ὁ ἐρχόμενος innuit Messiam, Marcus suam dicendi rationem gentilibus potius accommodasse videtur ἔρχεται venit, iam in eo est ut proxime veniat. Uti Marcus, ita Lucas quoque animum baptistae humillimum describit; additur apud Marcum *procumbens* quo etiam magis habitus ille animi maxime demissi depingitur; apud Matthaeum legitur calceamenta portare. Censet *Vict.* ant. alia et alia occasione utrumque a baptista esse dictum (cf. Ioan. 1,27. Act. 13,25), verum etiam dici potest cum S. Augustino : « nullo modo hinc laborandum esse iudicat qui prudenter intelligit ipsas sententias esse necessarias cognoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae » (de cons. evang. 2,10. 27). Calceamenta explica sandalia quae loris seu corrigiis alligabantur pedibus; sandalia pedibus alligare vel solvere a veteribus semper consideratur tamquam munus servorum infimorum; *Volkmar* vult id ianitoris fuisse qui hospitis pedes lavaret. Etiamsi hoc verum esset, nihilominus eo exemplo servitium quoddam vile designaretur.

Iam clarius excellentiam fortioris explicat v. 8 *ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto*, uti corpus aquae immergitur, ita largitione Spiritus sancti per Christum facta animus coelesti gratia perfunditur. Tamquam tempori messiano propria promittitur effusio Spiritus Dei : effundam spiritum meum super semen tuum et benedictionem meam super stirpem tuam, et spiritum novum, spiritum meum ponam in medio vestri, effundam spiritum meum super omnem carnem (Is. 44,3. Ez. 36,26. 27. Ioel 2,28) etc. Proinde istis verbis baptista iam designat tempus messianum. Verba autem non de solo baptismo a Christo instituto intelligenda sunt, sed de omni communicatione Spiritus sancti et gratiae coelestis quae per Christum fiat. Ita enim ipse Christus diem annuntiat pentecostes : baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies (Act. 1,5). In ipsa inhabitatione Spiritus sancti in animis iustorum perfecte habetur iste baptismus, qui etiam connotatur verbis apostoli : caritas Dei diffusa est in cordibus nostris

per Spiritum sanctum qui datus est nobis (Rom. 5,5). Declaratur quoque divina Messiae natura; quis enim nisi Deus largiri poterit Spiritum sanctum eiusque dona et gratias animis infundere? Hac utriusque baptismi comparatione simul praeclare effertur vis utriusque; « manifestat enim per hoc baptista quod baptismus suus non penetrat ad animas, sed aquae tantum vim habet, quamvis ad signum poenitentiae; baptismus autem Christi vim habebit penetrativam ad abluendum intima animarum a sordibus et macula peccatorum, quia abluet in Spiritu sancto penetrante spiritus nostros et purgante et mutante et elevante illos in amorem Dei divinorumque omnium » (*Cai.*). Atque tempus istud messianum iam instare, ita ut suum ministerium praeparandi fere sit finitum, indicat dicens *ego baptizavi*, id quod bene congruit cum v. 7 ἔρχεται etc. Cum enim Marcus ministerium Ioannis brevi proponat, non illud pluribus exsequatur sicut alii synoptici, per modum narrantis finem eius illud exhibet. Ceterum cf. Comment. in Matth. I p. 130.

Illa quoque quae pro consilio quod sequitur Matthaeus magni erant momenti, quae scil. pharisaeis exprobrata sunt a Ioanne, non commemorat Marcus, neque dicit *baptizabit Spiritu sancto et igni;* ignis quippe metaphora ad purgationem animorum designandam adhibetur in Scriptura et ipse Messias quasi ignis conflans et emundans describitur (Is. 1,25; 4,4. Mal. 3,2), id quod Iudaeis notum esse potuit, vix iis quibus Marcus scribit. Facile quoque patet Petrum Romanis praedicantem non habuisse cur adeo explicite vitia pharisaeorum exponeret et si ille pariter de baptismo ignis tacuit, Marcus eius praedicationem litteris consignans aliter loqui non potuit.

Quem annuntiavit Ioannes, iam sistitur praesens et cōelestibus signis et testimoniis declaratur *fortior* (v. 9-11) v. 9 *et factum est in diebus illis, venit Iesus a Nazareth Galilaeae* — ita accuratius romanis lectoribus Nazareth designatur — dictio *et factum est* potest esse hebraismus notus וַיְהִי (verbum finitum sequitur vel cum καί vel sine hac particula; cf. 4,4; 2,15; vel infinitivus ponitur 2,23); forte etiam haec dictio adhibetur a Marco ad attentionem excitandam et rei gravitatem efferendam, *et baptizatus est a Ioanne in Iordane* εἰς τὸν Ἰορδάνην; cf. Ioan. 9,7; i. e. immersus est in Iordanem, ceterum graece etiam dicitur νίπτεσθαι εἰς ὕδωρ (vide *Winer* l. c. § 50,4). Iesus autem baptizatus est non quia indiguit, sed ut omnem impleret iustitiam, ut humilitatis daret exemplum, ut aquis vim regenerativam praestaret et Ioannis baptismum confirmaret nobisque maximam gratiam mereretur (*Dion.*). Ceterum vide ad Matth. 3,13; variae quoque rationes afferuntur a S. Thoma 3 p. qu. 39 art. 1 et 2 et a Suarez in commentario ad art. 2; ut scil. mundaret et sanctificaret aquas, ut nobis proficeret, ut ipse

exsequeretur quod faciendum imperabat, ut ostenderet purgationem animi et humilitatem adhibendam esse ante concionandi provinciam etc.

Verum dum se sistit promptum ac paratum ad mortem pro expiatione peccatorum subeundam personam in se peccatorum suscipiens et exprimens baptismo, praeclarissimo testimonio divino innotescit et glorificatur v. 10 *et statim ascendens de aqua vidit coelos apertos*, graece discissos; Matth. 3,16 confestim ascendit de qua; εὐθύς sequente participio frequens est apud Marcum (1,29; 2,8; 5,30; 6,27; 9,14. 24; 11,2) et ex usu graeco eiusmodi particulae temporis coniungi possunt non cum participio, sed cum verbo sequenti (cf. *Schanz*); unde explicari potest hic : et ascendens de aqua statim vidit etc. Ceterum, uti notavi ad Matth. 3,16, in graecitate seriore eiusmodi particulae etiam addi possunt, non ut ipsae significent, sed ut nexus participii cum verbo indicetur. Opinatur *Erasmus* sermonem graecum esse ancipitem, utrum Ioannes viderit coelos diduci an Iesus; sed cum in toto v. 9 Iesus sit subiectum grammaticale, sermo non potest esse anceps; *et Spiritum tamquam columbam descendentem in ipsum* (in se), uti graeca habent. In specie vel forma columbae sese manifestat Spiritus sanctus, quia per Christum nuntius pacis generi humano affertur, sicut olim columba post diluvium nuntia erat pacis ac gratiae. Hac itaque manifestatione declaratur Iesum esse illum, de quo Is. 11,1 et requiescet super eum spiritus Domini et 61,1 spiritus Domini super me etc.; « formata est in aere similitudo columbae cum similitudine descensus ex coelo aperto, et cum hoc fuit realis descensus illius speciei in aere ad Iesum » (*Cai.*). Et quod isto symbolo exprimitur voce quoque coelesti declaratur v. 11 *et vox facta est de coelis : tu es Filius meus dilectus, in te complacui;* designatur hisce Messias ex Ps. 2,7 et Is. 42,1 : electus meus, complacuit sibi in illo anima mea; ὁ ἀγαπητός, articulus non caret emphasi, quasi dicas : ille dilectus (*Erasmus*); vox ipsa iam apud LXX adhibetur pro יָחִיד (unicus) Gen. 22,2; etiam apud Graecos eadem notione usurpatur; ita Hesychius eam explicat μονογενη aliique (vide *Schleusner*, Thes. vet. Test. I p. 15). Dein dicens : in te complacui, declarat Deus inter alia opera Christi sibi esse acceptissima (*Alb. Cai.*) et quicumque Deo velint placere cum Christo coniunctos eiusque spiritu imbutos esse debere.

In Christi baptismo revelatur insigni modo sanctissima Trinitas. Simul forma quaedam nobis exhibetur eorum quae in baptismo christiano et in iustificatione contingunt. Quod enim, ut *Beda* notat, apertos coelos vidit post baptisma, nostri utique gratia factum est, quibus per lavacrum undae regeneratricis ianua panditur regni coelestis. Descendit Spiritus sanctus, « ut tu discas quod quando baptizaris, etiam in te

Spiritus sanctus veniat » (*Theoph.*); eius quippe descensus monente *Beda* signum erat conferendae nobis in baptismo gratiae spiritualis. Dein iustificatis quoque affertur vox qua de filiatione certi reddunturtur : accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus : abba, Pater; ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei (Rom. 8,15. 16). In iustis sibi complacet Deus quippe qui baptizati in Christum induerint Christum (Gal. 3,27), ei complantati atque inserti (Rom. 6,3) eius formam et imaginem tamquam ei conformes effecti (Rom. 8,29) prae se ferant adeoque simul cum Filio grati sint et accepti.

Atque post tale testimonium divinum v. 12 *statim Spiritus expulit eum in desertum*, ἐκβάλλει i. e. prompte ac fervide movet; Christus namque secundum assumptam humanitatem in omnibus promptissime ac celerrime obedivit instinctui Spiritus sancti (*Dion.*). Indicatur commorationem illam divina ordinatione esse susceptam; attribuitur Spiritui sancto, quia actiones voluntatis supernaturales ei adscribi solent et cum in baptismo novo signo innotuit Christum regi a Spiritu sancto, hic quoque ab eodem duci significatur (*Sylv.*); v. 13 *et erat in deserto quadraginta diebus* (*et quadraginta noctibus*) *et tentabatur a satana*, πειραζόμενος, ex quo modo loquendi concludunt aliqui esse probabile Iesum per illos quadraginta dies frequenter esse tentatum. Ita *Orig.* hom. 29 in Lucam : « quadraginta diebus tentatur Iesus et quae fuerint tentamenta nescimus » (*M.* 13,1874); idem indicat *Eusebius*, Iesum scil. quadraginta diebus et noctibus adversus daemonum catervas dimicasse ab iis tentatum; quare verba Ps. 90 de eo explicat : super aspidem et basiliscum ambulabis, non timebis a timore nocturno etc. (dem. evang. 9 n. 7; *M.* 22,676 seq.), atque *Euth.* (ad Matth. 4,3) censet illis diebus Christum a diabolo e longinquo esse tentatum, nempe per somnum, per tristitiam, per ignaviam (διὰ δειλίας) et similia; etiam *Beda* Christum per totum illud tempus tentatum esse existimat, quam sententiam haud improbat *S. Thomas*, si intelligitur « non de illis tentationibus visibilibus quas narrant Matthaeus et Lucas quae manifeste factae sunt post ieiunium, sed de quibusdam aliis impugnationibus, quas forte illo ieiunii tempore Christus est a diabolo passus » (3 p. qu. 41 art. 3 ad 2). Quam sententiam de frequenti Christi tentatione *Ians. Mald. Suarez* (in 3 p. disp. 29 s. 3 n. 7) satis probabilem dicunt et quae ex Beda etiam in cat. aur. et glossam ordinariam est recepta et a S. Augustino quoque adoptata videtur, cum scribat : Marcus autem attestatur quidem eum in deserto a diabolo esse tentatum quadraginta diebus et noctibus. Quare aliqui protestantes (*Meyer, Weiss*) Marcum a Matthaeo discrepare dicunt. Id quod ne in ea quidem

explicatione necessario sequitur, uti iam *Euth. Thomas* ostenderunt.

Neque tamen ea explicatio assumatur oportet. Nam πειραζόμενος satis explicatur si tentatio evenit dum esset in deserto; nihil cogit participium vel ad 40 dies referre vel ἦν... πειραζόμενος explicare quasi circumlocutione diceretur pro *tentabatur*. Quare plerique, praesertim recentiores eo modo interpretantur quo vulg. : erat in deserto *et* tentabatur (cf. *Schanz, Fil. Keil*). Cui acceptioni accedit, uti *Suarez* monet, auctoritas Patrum, Ignatii, Hilarii, Hieronymi, Chrysostomi, Ambrosii et aliorum qui dicunt daemonem non fuisse ausum aggredi Christum, donec eum conspexerit esurientem et humana patientem. Ceterum adverte diabolum non potuisse tentare Christum interna tentatione, sed solum externa per suggestionem; ergo in priore acceptione cogitandum esset eum tentasse obiecta aliqua sensibilia exterius proponendo quibus Iesus vel terreretur vel perturbaretur, vel excitando strepitum vehementem aut proponendo monstrosas figuras et imagines. Verum hic modus recte a *Suarez* (l. c. n. 8) puerilis dicitur.

Venerat Christus, ut serpentis caput contereret, ut principem huius mundi eiiceret foras. Unde statim ab initio cum eo congreditur eumque vincit. Praeterea voluit tentari secundum S. Thomam (qu. 41 art. 1) ut nobis contra tentationes auxilium ferret, dein propter nostram cautelam, ut nullus quantumvis sanctus se aestimaret securum et immunem a tentatione, ut nos instrueret qualiter vinceremus. Voluit autem tentari post baptismum, prout *Vict.* ant. dicit (et ante eum S. Chrys. hom. 13 in Matth.) ne quis perturbaretur, si post baptismum maiores tentationes experiretur, quasi insperatum aliquid sibi contingeret, verum ut animo sustineret ac perseveraret generoso. In quanta autem solitudine et quam procul ab omni cum aliis commercio Christus fuerit, indicatur verbis *eratque cum bestiis;* hoc enim, ut *Euth.* dicit, accidit propter magnam loci solitudinem (sim. *Mald. Lap. Calm. Patr. Fil.*). Quod alias quandoque proponitur, designari pericula quibus eius vita impetita esset, ita ut a diabolo et a bestiis eius exerceretur et probaretur patientia et fortitudo; vel innui eius innocentiam, quod scil. ab eis non laederetur, sicut Adam in paradiso cum iisdem innoxie egerit; vel in bestiis significari idololatras a quibus christiani fuerint impetiti (*Volkmar*), longe abest a simplici narratione. Bestiae deserti, uti olim, ita hodie sunt pardi, hyaenae, ursi, canes aurei (*Fil.*).

Destituto ministerio hominum aderant angeli (*Erasmus*) *et angeli ministrabant illi;* quod cum bestiis versabatur, humanae naturae fuit humilitas; quod vero ab angelis honorabatur, divinae exstitit maiestatis indicium (*Dion.*). Quando Christus usus sit angelorum ministerio, refertur Matth. 4,11, « et nos cum in eremo sanctae conversationis

bestiales hominum mores impolluta mente toleramus, ministerium angelorum meremur, a quibus corpore absoluti ad aeterna in coelis gaudia transferamur » (*Beda*). Omnes enim angeli administratorii sunt spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis (Hebr. 1,14); proinde iure praecipuo mittuntur in ministerium Iesu. Absurde opinatur *Volkmar* angelos ei addi ut eum a bestiis defendant eiusque vitam tueantur et Marci narrationem esse ortam partim ex 3 Reg. 19,5 seq. Ps. 78,25. Sap. 16,20 partim ex Apoc. 12,6 etc.

PRIMA PARS 1,14-9,49.

Uti dictum est in Proleg. p. 13, in prima parte describitur secundum adumbrationem Petri Act. 10,37. 38 ministerium Iesu in Galilaea et ita quidem ut Iesu potentia divina et perquam benefica praecipue efferatur in expellendis daemonibus et in sanatione plurimorum; ceterum vide Proleg. l. c.

Initium praedicationis Christi 1,14-45.

Eligit Christus aliquos discipulos; doctrina sua, expulsione daemonis, plurimis sanationibus admirationem populi maximam sibi conciliat; in regionibus circa Capharnaum et in tota Galilaea praedicat et daemones eiicit.

a) **Vocantur quattuor discipuli 1,14-20.**

1,14. Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilaeam, praedicans Evangelium regni Dei 15. et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: poenitemini, et credite Evangelio.

16. Et praeteriens secus mare Galilaeae, vidit Simonem et Andream fratrem eius, mittentes retia in mare (erant enim piscatores); 17. et dixit eis Iesus: Venite post me; et faciam vos fieri piscatores hominum. 18. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.

19. Et progressus inde pusillum, vidit Iacobum Zebedaei et Ioannem fratrem eius, et ipsos componentes retia in navi: 20. et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercenariis secuti sunt eum.

1,14. Καὶ μετὰ τὸ παραδοθῆναι τὸν Ἰωάννην, ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν Γαλιλαίαν, κηρύσσων τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, 15. καὶ λέγων, ὅτι πεπλήρωται ὁ καιρὸς, καὶ ἤγγικεν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· μετανοεῖτε, καὶ πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ.

16. Καὶ παράγων παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, εἶδεν Σίμωνα καὶ Ἀνδρέαν τὸν ἀδελφὸν Σίμωνος, ἀμφιβάλλοντας ἐν τῇ θαλάσσῃ· ἦσαν γὰρ ἁλιεῖς· 17. καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Δεῦτε ὀπίσω μου, καὶ ποιήσω ὑμᾶς γενέσθαι ἁλιεῖς ἀνθρώπων. 18. καὶ εὐθέως ἀφέντες τὰ δίκτυα ἠκολούθησαν αὐτῷ. 19. Καὶ προβὰς ὀλίγον εἶδεν Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ, καὶ αὐτοὺς ἐν τῷ πλοίῳ καταρτίζοντας τὰ δίκτυα. 20. καὶ εὐθὺς ἐκάλεσεν αὐτούς· καὶ ἀφέντες τὸν πατέρα αὐτῶν Ζεβεδαῖον ἐν τῷ πλοίῳ μετὰ τῶν μισθωτῶν, ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ.

In v. 14 codd pler et verss μετα δε; και μετα B D a; add της βασιλειας ante του θεου in Λ D Γ Δ Π unc 9 al pler a f ff^1 g^1 vulg syr (sch) aeth, go; add *in carcerem* lich. In v. 16 pler codd legunt αμφιβαλλοντες sine addito; praemittunt αμφιβληστρον Λ Γ Δ Π unc 9 al pler; al minusc αμφιβληστρα, al τα δικτυα. In v. 19 προβας sine εκειθεν B D L aliq minusc a b ff^2 g^1 cop syr (sch) arr; add εκειθεν ℵ* A C Γ Δ Π unc 9 al pler c f ff^1 g^2 vulg arm aeth go. In v. 20 D in fine ηκολουθησαν αυτω, uti it vulg *secuti sunt eum.*

Apposite iam monet *Beda* : « nemo autem putet traditionem Ioannis in carcerem statim post ieiunium quadraginta dierum et tentationem Domini factam. Quisquis enim Ioannis evangelium legerit, inveniet Dominum ante traditionem illius multa et docuisse et miracula fecisse ». Reditus enim in Galilaeam a quo synoptici narrationem vitae publicae ordiuntur, idem est de quo Ioan. 4,3. 45; v. 14 *postquam autem traditus est Ioannes* i. e. τῇ φυλακῇ (*Theoph.*) in carcerem, uti merito explicant communiter. Solum *Volkmar* contendit παραδοθῆναι usu constanti primi saeculi qui iam a LXX originem habeat adhiberi de traditione ad mortem; quare sensum esse post mortem Ioannis Iesum venisse in Galilaeam. At perperam. Nam verbum habere notionem tradendi, prodendi simpliciter patet ex Matth. 5,25; 10,17; 18,34 etc. patet ex eo quod Iudas qui Christum tradidit principibus appellatur ὁ παραδούς Matth. 10,4. Marc. 3,19 etc. et Act. 3,13 dicitur de Christo qui Pilato traditus est, etiam saepius de eius traditione in potestatem gentium et sacerdotum Matth. 17,22; 20,18; 26,45. Marc. 9,31; 10,33; si de traditione ad mortem sermo est, additum reperitur εἰς θάνατον Matth. 10,21. Marc. 13,12. Luc. 24,20. Si solum ponitur de traditione ad mortem, uti Rom. 4,25, id ex subiecta materia omnibus nota provenit, minime ex notione vocis nativa. Christum rediisse in Galilaeam, ut invidiam pharisaeorum declinaret, ex Ioan. 4,1 manifestum est; cetera vide ad Matth. 4,12.

Galilaei autem exceperunt eum, cum omnia vidissent quae fecerat Ierosolymis in die festo (Ioan. 4,45); inter eos itaque securius ac quietius degere poterat et doctrinam spargere *praedicans evangelium regni Dei* vel *evangelium Dei,* i. e. nuntium illum bonum ac salutiferum, cuius auctor est Deus qui illum mittit et per Filium suum annuntiandum curat. Et qualis sit iste nuntius, breviter declaratur v. 15 *quoniam* ὅτι scil. qua particula sententia inducitur, ὅτι recitativum vocant, *impletum est tempus,* illa quasi annorum mensura quam Deus pro sua providentia constituit ad regnum gratiae suae condendum hoc anno et hoc tempore impleta est; adest illa plenitudo temporis qua mittit Filium suum (Gal. 4,4; *Euth. Bed. Alb. Vict. ant. Mald.*); « impletum, inquit, est tempus a Patre, scilicet ab aeterno praedefinitum, a lege atque prophetis olim praedictum, atque a vobis, iam diu exspectatum, tempus gratiae, tempus salutis, tempus revelandae et exhibendae veritatis » (*Ians.*). Vigebat eo tempore exspectatio Messiae quae ex vaticinio Danielis 9,24 bene explicatur; nonne ex hoc oraculo quoque licebit explicare, cur Christus de impleto tempore sermonem inferat? eum autem hoc oraculum designare eo magis probabile videtur, quia cur tunc Messias sit exspectatus, vix aliter quam ex Daniele satis declarari poterit. Ad

eam enim spem adeo magnam Iudaeos non esse propulsos calamitate et oppressione, tempora anteacta satis docent in quibus rebus maxime adversis premebantur neque tamen iam instare tempus messianum existimabant (cf. Ps. 88,39 seq.); idem ostenditur tempore Machabaeorum.

Tempore itaque impleto *appropinquavit regnum Dei*, illud scil. quod exsilio soluto prophetae annuntiare solebant, illud quod Deus coeli suscitabit et quod in aeternum non dissipabitur, quod a Deo filio hominis dabitur, ut omnes populi et tribus et linguae ei serviant (Dan. 2,44; 7,13. 14); illa itaque iam adest instauratio quam verbis adeo magnificis vates sacri praedicabant; vide ad Matth. 3,2. — Duabus sententiis explicuit Christus quid Deus iam populo suo praeberet; duabus aliis monet, quid populus pro sua parte debeat praestare : *poenitemini et credite evangelio;* postulatur itaque aversio a peccato et fides nuntio allato adhibenda; proin aversio a malo et conversio ad Deum, cuius initium, radix, fundamentum est fides. Etiam apostolus τὴν ἀρχὴν τοῦ λόγου Χριστοῦ dicit esse iacere fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis et fidei ad Deum (Hebr. 6,1). De μετανοεῖν vide ad v. 4; dicitur πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ; consideratur igitur fides quae evangelio datur tamquam in evangelio fundata eique inhaerens; similiter dicitur πίστις ἐν τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ Eph. 1,15. Col. 1,4. 1 Tim. 3,13 (perperam aliqui provocant quoque ad Gal. 3,26, quo loco propter sequentem argumentationem exponendum et iungendum est : per fidem filii estis in Christo); similiter etiam הֶאֱמִין בְּ vertitur a LXX πιστεύειν ἐν Ier. 12,6. Ps. 77,22. Quare non opus est explicare cum *Theoph.* credere διὰ τοῦ εὐαγγελίου, per evangelium adduci ad fidem (*Fritzsche*). Adverti potest exprimi notionem fidei, ut scil. testimonio et nuntio Christi adhibeant fidem et vera esse sibi persuadeant quae Christus docet propter eius locutionem et testimonium. Nimis arcte *Vict. Theoph.* verba accipiunt explanantes μετανοεῖν et credere de abolitione veteris testamenti et de aversione ab observatione legalium. Ceterum nota praedicationem Christi ab eadem incipere admonitione a qua exorsus est praecursor (cf. Matth. 3,2) et eodem modo iam prophetas descripsisse poenitentiam qua praeparationem fieri oporteret ad instaurationem messianam (cf. Ier. 3,21-25. Mich. 7,9). Qua doctrina simul patefit indolem eius instaurationis esse spiritualem, quare etiam nihil fere frequentius a prophetis in medium affertur de regno messiano quam cognitio Dei et sanctitas.

Statim ab initio vitae publicae Christus discipulos ad se attrahere eosque formare incipit. Uti enim iam Ps. 44,8 indicatur, Messias habet consortes ac socios laboris et certaminum. Atque quemadmodum congruum erat, primos discipulos ei praeparat Ioannes praecursor eosque ipse inducit, ut Iesum adeant; vide Ioan. 1,35 seq. Verum non statim

ab initio ita Christo adhaerent ut continuo eum sequantur relictis omnibus; ad hoc invitantur a Christo, postquam iam saepius testes fuerunt miraculorum Christi. Iesus enim, ut natura hominum fert et ipsa quoque gratia Dei generatim et ordinarie agere solet, paulatim ac veluti per gradus quosdam ad debitam eos erudit et adducit perfectionem. Sicut ex Ioan. 2,2 seq. discimus, discipuli testes erant miraculi ad nuptias in Cana patrati, quo Iesus suam manifestavit gloriam et discipuli in eum crediderunt (2,11), testes erant signorum quae tempore paschatis edidit in templo et urbe (2,17. 23), testes eorum quae postea in regione Iudaeae egit (3,22), testes fidei Samaritanorum (4,39) etc.; postquam itaque tali modo eos edocuit et praeparavit, ad altiora eos allicit et invitat v. 16 *et praeteriens secus mare Galilaeae* i. e. ambulans secus mare (Matth. 4,18), iuxta lacum Tiberiadis, lacum Genesareth, *vidit Simonem et Andream fratrem eius, mittentes retia in mare,* ἀμφιβάλλοντας utrimque, huc illuc iacientes, ita communiter vocem accipiunt, *Schanz* vero : circumcingentes (scil. pisces) in mari ἐν τῇ θαλάσσῃ ; *erant enim piscatores;* cum S. Matthaeus scribat : vidit duos fratres Simonem qui vocatur Petrus, existimari potest eum voluisse efferre vel innuere, uti in vetere testamento duo fratres, Moyses et Aaron, electi sint, ita similiter Christum ad novum foedus inaugurandum elegisse fratres; et cum primo nominet Simonem, statim eius dignitatem in Ecclesia constituenda voluisse indicare (*Schanz*); Marcum vero nusquam Petri ius praecipuum Romanis explicite proponere neque similitudinem illam inter foedus utrumque innuere.

Viros itaque eligit Christus labori assuetos, morum simplicitate commendatos; v. 17 *et dixit eis Iesus : venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum;* invitantur, ut continuo ceteris omissis eum sequantur; blande alliciuntur iucundo illo verborum lusu, quo quasi hamo ipsi capiuntur et ad munus egregium homines scil. colligendi in regnum Dei evehuntur. Cernis hic iam praeformari argumentum parabolae Matth. 13,47-50. Piscatores autem, ait *Beda*, et illiterati mittuntur ad praedicandum, ne fides credentium non in virtute Dei, sed eloquentia atque doctrina putaretur. De multiplici allegoria et symbolo piscis vide *Pitra,* Spicilegium 3 p. 499 seq.; quomodo autem haec Christi verba in antiquitate christiana fuerint applicata et arte expressa, commemoravi in Comm. Matth. I p. 164. — Illi animis promptissimis dicto sunt audientes v. 18 *protinus relictis retibus secuti sunt eum;* nam Iesu vox coeleste habebat incantamentum, ut dicit *Erasmus* (in paraphrasi), « piscatura typum habebat evangelici muneris, quod per sermonem Dei mortales immersos ignorantiae tenebris ac sordidis huius mundi curis extrahit ad lucem veritatis ac coelestium rerum amorem; hos igi-

tur piscantes primum piscatus est Iesus ». Atque secuti sunt, ut *fierent* per Christum piscatores hominum; vocabantur enim, ut *Ians.* notat, cum essent adhuc rudes et crassi; « at quia plurimum spiritualis prudentiae et industriae ad hoc requirebatur ad quod vocabantur, adiunxit eos mature sibi quo per tempus fingeret formaretque ad munus hoc tam eximium, ut piscatores hominum esse possent, et cum iam homines venari et capere deberent, nihil minus essent quam rudes et crassi ». Notat idem hoc Christo facto quod rudes elegerit abuti aliquos nimis stulte; « sunt enim qui hoc Domini exemplum suae socordiae strenue praetexant, dumque pigritiae arguuntur quod non incumbant Scripturis, negligant discere linguas quo possint in Scripturis versari inoffensius, perpetuo in ore habent : non vocavit Deus multos sapientes secundum carnem, sed quae stulta sunt mundi elegit etc., quibus dicendum, rudes quidem delegisse, sed quos non reliquerit rudes, sed quos priusquam Ecclesiae ministros designaret, paulatim suis doctrinis et exemplis formavit et docuit suo spiritu omnem veritatem ».

Pari modo vocantur duo alii fratres v. 19 *et progressus* (*inde*) *pusillum,* ὀλίγον quod apud Matth. non legitur, rem accuratius determinat, qui mos accuratius et per singula describendi saepe apud Marcum adverti potest, *vidit Iacobum Zebedaei* τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, filium scil. Zebedaei, Iacobum qui maior dicitur, de quo Act. 12,2, qui primus ex apostolis pro Christo subiit mortem, *et Ioannem fratrem eius,* quem diligebat Iesus et qui Ioannes est evangelista, *et ipsos componentes retia in navi;* iungunt aliqui καὶ αὐτοὺς ἐν τῷ πλοίῳ et ipsos (pariter, uti priores duo fratres) in navi scil. ὄντας (*Keil, Weiss*); at plerumque *in navi* referunt ad καταρτίζοντες resarcientes, reficientes (vel : coaptantes, apta reddentes retia). Cum dictio καὶ αὐτός saepe unam rem cum alia conferat vel saltem tacitam comparationem innuat (cf. Marc. 15,43. Luc. 1,36. Act. 8,13; 15,32 etc.; atque id semper obtinere *Schanz* affirmat), existimant aliqui, ea dictione efferri hos quoque fratres sicut priores circa piscaturam esse occupatos, vel ut alii volunt, eos quoque uti priores in navi fuisse. Sed de navi apud priores non fit mentio. Neque alterum videtur necessario consequi. Invenitur enim sine dubio καὶ αὐτός ita quoque, ut nulla comparatio instituatur; vide Luc. 1,22; 2,28; 16,24; 19,2 (*Buttmann* l. c. p. 94); v. 20 *et statim vocavit eos,* proprium est Marci quod cum eos vidisset, *statim* eos vocavit, sicuti mentio mercenariorum quos eorum pater habuerit (cf. Matth. 4,21. 22), *et relicto patre suo Zebedaeo in navi cum mercenariis secuti sunt eum* qua ratione narrandi maxima eorum promptitudo describitur. Quaerunt cur additum sit *cum mercenariis;* volunt aliqui ut declaretur eos potuisse patrem relinquere pietatem debitam non violantes, quia non sine aliorum ope eum

reliquerint (*Sylv. Bisp. Reischl, Fil. Keil, Weiss*). Et inde quoque inferunt Zebedaeum rem familiarem habuisse satis bonam, id quod ex mercenariis colligi posse *Schegg, Schanz* negant, sed cum Salome, mater filiorum Zebedaei inter eas mulieres recenseatur quae Domino ministraverint (Matth. 27,56), certe haec familia non pauperibus adnumerari poterit. Ego quidem non puto Marcum hoc addidisse, ut eos quasi excusaret cur relicto patre secuti essent Iesum. Nam si Iesus vocat, sine ulla laesione pietatis sequi posse et debere vocatum, certum est neque id ulteriore explanatione indigebat. Addit itaque, quia ita rem Petrus qui ei eventui intererat retulit. Eum vero qui suis oculis Zebedaeum cum mercenariis vidit in navi, ita quoque ut vidit rem narrare quis iure mirabitur vel quaeret rationem, cur eo modo narret? Itaque quod olim a Deo dictum est Abraham : egredere de cognatione tua et de domo patris tui (Gen. 12,1), idem Iesus iis praecipit quos suorum laborum socios et novi populi Dei patriarchas eligit.

b) Eiicitur spiritus immundus 1,21-28.

1,21. Et ingrediuntur Capharnaum; et statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos. 22. Et stupebant super doctrina eius : erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribae.

23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo; et exclamavit 24. dicens: Quid nobis, et tibi, Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio qui sis Sanctus Dei.

25. Et comminatus est ei Iesus, dicens : Obmutesce, et exi de homine.

26. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna, exiit ab eo.

27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes : Quidnam est hoc? quaenam doctrina haec nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat et obediunt ei.

28. Et processit rumor eius statim in omnem regionem Galilaeae.

1,21. Καὶ εἰσπορεύονται εἰς Καφαρναούμ· καὶ εὐθέως τοῖς σάββασιν εἰσελθὼν εἰς τὴν συναγωγὴν, ἐδίδασκεν, 22. καὶ ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ· ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς· 23. Καὶ εὐθὺς ἦν ἐν τῇ συναγωγῇ αὐτῶν ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, καὶ ἀνέκραξεν 24. λέγων, τί ἡμῖν καὶ σοὶ, Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς; οἶδά σε τίς εἶ, ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. 25. καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, λέγων, Φιμώθητι, καὶ ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ. 26. καὶ σπαράξαν αὐτὸν τὸ ἀκάθαρτον, καὶ φωνήσαν φωνῇ μεγάλῃ, ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ. 27. καὶ ἐθαμβήθησαν ἅπαντες, ὥστε συνζητεῖν αὐτοὺς, λέγοντας, Τί ἐστιν τοῦτο; διδαχὴ καινὴ κατ' ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, καὶ ὑπακούουσιν αὐτῷ; 28. καὶ ἐξῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εὐθὺς πανταχοῦ εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τῆς Γαλιλαίας.

In v. 21 aliq minusc εισπορευεται; rush ingredictur, sim. c et ingrediens cum eis sabb. in synag. Capharnaum; omittitur εισελθων in ℵ C L Δ aliq minusc, Ti. In v. 23 omittitur ευθυς in A C D Γ Δ Π unc 9 al pler it vulg syr arm aeth go. In v. 24 λεγων· εα (uti Luc. 4,34) ℵ^{c} A C L Γ Δ Π unc 9 al pler syr (p) arm go Or Cyr; steph sixt venisti *ante tempus*; οιδαμεν in ℵ L Δ cop arm aeth Or Eus Bas Cyr hr Chr Cyr Ir Tert Hil Aug Ti W H (in margine). In v. 26 B 102. om το πνευμα, pro φωνησαν (ℵ B L 33. Or Dam) habent κραξαν A C Γ Δ Π unc 9 al pler. In v. 27 pro αυτους (ℵ B b c ff^{2} q)

praebent προς εαυτους A C D Γ Δ Π unc 9 al 90 fere c f ff^1 g^1 vulg cop syr al; τις η διδαχη η καινη αυτη οτι κατ εξουσιαν C Γ Δ Π unc 9 al pler f ff^1 g^2 vulg syr go; b quaenam esset doctrina ista cum (c in) potestate; q quaenam esset doctrina ista nova cum potestate; ff^2 quaenam esset haec doctrina potestatis; e quaenam esset doctrina haec inpotentabilis; Ti W H διδαχη καινη κατ εξ. και. In v. 28 om πανταχου in ℵ* A D Γ Δ Π unc 9 al pler c f ff$^{1\,2}$ g$^{1\,2}$ vulg syr (utr) arm go.

Cum dicatur v. 21 *et ingrediuntur Capharnaum*, quaerunt aliqui, ex quo loco tetenderit Iesus cum comitibus in urbem. Respondent a lacu, quia modo Christus ambulaverit secus lacum (*Weiss*), alii a Bethsaida, quia quos vocavit socios in Bethsaida habitaverunt (*Schanz*), alii a Nazareth, quia ita narratione Lucae exigatur (*Vict. Theoph.*). Si ordo rerum gestarum inquiritur qui ex collatis evangelistarum narrationibus erui possit, certo cum *Vict. Theoph. Euth.* dicendum est Iesum a Nazareth descendisse in Capharnaum, uti ex Luc. 4,30. 31 sequitur. At si solam narrationem Marci spectas, eiusmodi quaestio, unde veniens Capharnaum intraverit, non est ponenda. Neque enim Marcus id ulla ratione innuit, neque statui potest id quod narrat vel statim post antecedentia evenisse vel omnino post illa gestum esse. Poterant evenire varia quae omiserit, potest etiam fieri ut rerum inter se succedentium ordo sit alius. Nam, uti Papias iam didicit a presbytero Ioanne, aliqua Marcus non suo retulit ordine (οὐ τάξει ἔνια; apud Eusebium h. eccl. 3,39; cf. *Cornely,* Introd. III p. 88). Et si, ut multorum est sententia, vocatio discipulorum v. 16-20 narrata est eadem quae a Luca refertur 5,1 seq. (de qua re vide Comment. Matth. I p. 164 seq.), hic iam habes exemplum ordinis rerum non servati. Iesus a civibus nazarethanis repulsus sese contulit Capharnaum, ibique adeo assidue et frequenter degebat, ut *eius* appelletur civitas (Matth. 9,1); proinde suam quasi sedem elegit urbem maritimam, frequentem, publicanorum aliorumque negotiatorum plenam eoque magis corruptam moribus (*Mald.*), ex qua urbe in regiones vicinas terra marique itinera faciendi magna offerebatur opportunitas (cf. ad Matth. 4,13). Eam Messiae commorationem iam oraculo prophetico esse designatam, Matthaeus consulto effert (4,14-16).

Sabbato Iudaei in synagogam convenire solebant ad orationem et lectionem legis et prophetarum audiendam (cf. Act. 15,21); « licebat omnibus qui in synagogis erant surgere ac dicere, si quid occurrebat, ut intelligitur ex Luc. 4,16. 17 et Act. 13,15. 16; ad quam consuetudinem videtur d. Paulus 1 Cor. 14,30 allusisse » (*Mald.*); vide quae dixi ad Matth. 4,23. Ea itaque opportunitate Iesus utebatur ad suam doctrinam spargendam *et statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos;* τοῖς σάββασιν[1] quae forma pluralis et unum diem sabbati desi-

1. Quam formam explicant eo quod τὰ σάββατα consideraverint quasi nomen derivatum a

gnare potest et complures. Hoc autem loco cum addatur εὐθύς (εὐθέως) *statim, protinus,* intelligatur oportet de die sabbati qui eius in urbem ingressum proxime sequebatur. Eodem modo iam dicuntur σάββατα de uno die apud LXX Ex. 20,10; 31,15. Lev. 23,32; uti alia quoque festorum nomina numero efferuntur plurali : τὰ γενέσια, ἄζυμα (6,21; 14, 1), vel prout alii volunt nomen efferri ad modum aramaici שבתא. Doctrina autem Christi et modo eam proponendi maxima admiratione affecti sunt qui eum audiebant v. 22 *et stupebant de doctrina eius*, ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ obstupescebant, percellebantur admiratione propter eius doctrinam; *erat enim docens eos quasi potestatem habens* ὡς quasi, enuntiationem non minuit, verum continet comparationem : docebat sicut is docet qui potestate praeditus est, uti quoque habes Ioan. 1,14 vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a Patre i. e. talem gloriam qualem habere decet unigenitum; *et non sicut scribae;* quomodo hi docuerint, discimus ex traditionibus pharisaicis quas Christus insectatur, ex oneribus gravibus quae hominibus imponebant (cf. Matth. 15,2; 23,4) et partim etiam ex disquisitionibus talmudicis de explicatione et ad vitam applicatione singulorum praeceptorum. Toti itaque in eo erant, ut singulas actiones vitae multis ac minutis praescriptionibus circumdarent quibus perfecta quaedam legis observantia efficeretur; quam sedulo v. g. omnem contaminationem leviticam vitare et eluere docuerint, exemplum affert Marcus 7,3. 4; ex lege de sabbato pariter derivarunt quantam viam conficere liceret sabbato (Act. 1,12) etc.

Scribae itaque toti erant in lege caerimoniali applicanda et legis verbis et auctoritate sua placita confirmare et persuadere studebant. Aliter Christus. Docet enim propria auctoritate, uti ex sermone montano elucet : ego autem dico vobis (*cat. aur. glossa ord. Bed. Mald.*), docet maxima suavitate et gratia ea quae animos elevent, fiducia, consolatione, amore divino imbuant et a peccatis et miseriis vitae abstrahant; dein, ut *Ians.* monet, sermo eius miram quandam habebat energiam et efficaciam, Spiritu sancto per eum mira ratione corda auditorum permovente ad fidem et poenitentiam. Quare bene *Alb.* vim concionum Christi illis describit apostoli verbis : vivus est enim sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipite et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagum quoque ac medullarum et discretor cogitationum et intentionum cordis (Hebr. 4,12). Neque opus est cum aliquibus iam appellare miracula, ut explicetur quomodo Christus docuerit cum potestate. Hanc in animos potestatem innuit psalmista :

σάββας quae vox hebr. שַׁבָּת imitetur. Dicitur itaque σάββασιν pro σαββάτοις per metaplasmum, ut grammatici loqui solent.

diffusa est gratia in labiis tuis (Ps. 44,3), hanc indicat Isaias 42,7; 49, 9; 61,1. 2 etc. et cumprimis 50,4 Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam suscitare eum qui lassus est verbo.

Hanc populi de Iesu docente admirationem Matthaeus refert post sermonem montanum 7,29, Lucas 4,32 sententiam magis in universum profert; eodem modo hic apud Marcum verba generatim esse accipienda *Patr.* censet. Scribit enim : « hic locus unus ex iis est quibus apparet quem in sensum a Marco adverbia εὐθύς, εὐθέως *statim*, *protinus*, quae saepissime usurpat accipiantur. Hoc enim in loco non unum aliquid narratur quod Christus semel fecerit, sed quod *sabbatis* facere solebat. Non ergo illud *statim* ita est intelligendum ac si Christus ab urbis porta ad synagogam recta iverit; maxime quod appareat illum diem sabbatum non fuisse, nam homines piscabantur v. 16 et retia reficiebant v. 19 ». At huic acceptioni obstat quod sequitur καὶ εὐθὺς ἦν, qua dictione eventus arcte ad antecedentia adnectitur et sicut v. 23 seq. unum aliquid narratur quod semel certo quodam sabbato evenerit, ita quae antecedunt v. 21 etiam ad unum eventum referri oportet. Neque obstare *sabbatis* supra iam declaratum est.

S. Petrus in sua de Iesu concione Act. 10,38 ex Christi miraculis id potissimum effert quod pertransierit sanando omnes oppressos a diabolo. Marcus, discipulus eius et comes, pari modo et incipit narrare Christi miracula a daemone victo et expulso et saepius daemones esse Christo plane subiectos ostendit. Hoc enim daemonum timore et subiectione potestas Filii Dei gentilibus quasi ad oculum demonstratur. Congruit quoque, ut in cat. aur. notatur, ut quoniam invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, ideo contra ipsum mortis auctorem primo medicina operaretur salutis; v. 23 καὶ εὐθύς, ita narratio arcte adnectitur ad antecedentia et declaratur, continuo, eodem tempore quo Christus eo die sabbati docuit adfuisse hominem obsessum a diabolo, ita ut *statim* quam primum in synagoga praedicaret ei cum diabolo congrediendum fuerit, *et erat in synagoga eorum* qui scil. tanta admiratione Christum docentem audierant, *homo in spiritu immundo*, dictio *in spiritu* est similis ei qua toties utitur S. Paulus ad unionem iusti cum Christo designandam, in Christo, in Domino i. e. Christo esse insertum, implantatum. Quare *homo in spiritu immundo* est homo in potestate daemonis, homo cui daemon arcte est iunctus, in quo daemon inhabitat et cuius membra, vocem daemon pro lubitu in suos usus adhibet. Dicitur daemon *spiritus immundus*, quia immunditia quam maxime sanctitati Dei opponitur et a Deo sancto quam longissime recedit. Qui levitice immundus erat, a Dei sanctuario et Dei bonis arcebatur; immundus itaque spiritus eum dicit qui a Dei sede et bonis exclusus, turpissima macula infectus, Deo maximae abominationi est. Consequens est, ut sicut Deus omne id velit et approbet quod sanctum est, ita immundus spiritus omne id velit, amplectatur, procuret, promoveat,

quod est turpe et peccaminosum. Unde *Vict.* apposite dicit diabolum vocari immundum propter impietatem et elongationem a Deo et quia omnibus turpibus ac pravis rebus delectetur (sim. *cat. aur. Theoph. Euth.*).

Homo ille in potestate daemonis praesidentis sibi (*Alb. Lap.*) *exclamavit* i. e. daemon eius voce et lingua potitus et eius regens membra eum fecit exclamare vel per eum exclamavit; est enim praesentia Christi tormentum daemonis (*Bed. Lap.*); « vis divinitatis Christi sese proferre coepit in ipso daemone, ita ut sentiret se pellendum ab homine; quare eius praesentiam et vim non ferens prae nimia tortura et poena obsessum exclamare fecit » (*Ians.*), *dicens : quid nobis et tibi, Iesu Nazarene*[1]! loquitur unus pro omnibus indicans et sentiens Christum omnibus daemonibus bellum indixisse; communem igitur omnium agi causam agnoscit; si lectio οἴδαμεν esset certa, dici posset plures in eo homine fuisse daemones, uti in altero 5,9 Luc. 8,30 et in Magdalena Luc. 8,2 (*Mald.*); quid nobis et tibi i. e. affert causam, cur non debeat expelli : quam habes causam nos infestandi? in nullo te laesimus, nullam iniuriam tibi intulimus, quid ergo tibi est adversum nos? ita *Toletus* in Luc. 4,34 et similiter *Mald. Lap.* quid tibi nobiscum est rei (*Erasmus*)? quae dicendi formula satis frequens est neque tamen semper eodem sensu. Generatim ea formula commercium, negotium, consuetudo cum altero repudiatur, aliquo modo cum eo expostulatur, cur molestiam exhibeat vel etiam postulatur ut negotium facessere desistat, neque tamen ubique voces sunt exprobrantis vel obiurgantis, cum etiam adhibeantur quando quis obsecratione quidquam impetrare desiderat (cf. Iud. 11,12. 2 Reg. 16,10; 19,22. 4 Reg. 9,18. Matth. 8,29 etc.). Sensus itaque ex contextu, ex conditionibus rei narratae eruendus est; semel etiam (Ioan. 2,4) significari videtur : quare haec res mihi et tibi negotium facessat? nihil nostra interest vel ad nos non spectat, a qua notione non multum recedit quod habet *Ians.* : quid est tibi in me causae, ut me interpelles?

Quod sequitur *venisti perdere nos*, legitur interrogative in vulg. et ita quoque ex recentioribus *Bisp. Schegg*, eodemque modo ediderunt *W H*, dum alii legunt assertive, uti a plerisque legi iam refert *Ians.*, quamvis ipse alterum legendi modum praeferat. Discrimen non adeo magnum est. Sed cum illud *exclamavit* iam explicent ex tortura et poena

1. Dicunt aliqui proprium esse Marco dicere Ναζαρηνόν. Sed sine lectione variante, hic solum legitur; alias 10,47 et 14,67 et 16,6 haec lectio quidem communior est, attamen ναζωραῖος quoque etc. scribitur. Legitur quoque Luc. 4,34, quare volunt Lucam hanc formam hausisse a Marco; alibi, ut Luc. 18,37 et 24,19 ναζαρηνός habetur ut lectio varians. Apud Matth. Ioan. et in Act. habetur constanter ναζωραῖος.

quam perceperit daemon ex Christi praesentia, cum insuper daemon statim Iesum Sanctum Dei confiteatur (qui sane tamquam ὁ ἅγιος immundum spiritum persequi censendus erit), magis congruere videtur, ut legatur assertive vel cum exclamatione doloris ac querelae plena, non interrogative, quia interrogationi potius subesse videtur aliquid dubii, id quod hoc loco vix admitti poterit. Dicit autem *perdere nos*, « ecce potestatis Christi praeconium » (*Alb.*) et perdere est non solum daemones privare potestate vexandi homines (*Euth.*), sed etiam eos torquere et in infernum detrudere (cf. *Alb. Ians. Mald. Toletus, Lap. Sylv. Calm. Schanz*). Sentit itaque daemon eum coram adesse, qui serpentis caput conterere debeat. Atque unde hoc cognoscat, adiungit daemon : *scio qui sis, Sanctus Dei,* maiore emphasi in graeco : scio te quis sis, ὁ ἅγιος, Sanctus ille unus et eximius; « sanctus erat quivis prophetarum, verum non unum aliquem ex omnibus significat, sed eum appellat qui est unus ex uno; propter articulum enim unum illum designat qui prae omnibus est eximius » (*Vict.*) et *Euth. :* non dicit ἅγιος, sed cum additione articuli; siquidem et prophetae sancti sunt, sed per participationem; solus autem Deus natura sua et proprie sanctus est, ob id ergo dicit ὁ ἅγιος, ἀντὶ τοῦ ὁ φύσει καὶ κυρίως ἅγιος, et *Theoph.* ὁ μόνος καὶ ὡρισμένος ille unicus et praedefinitus. Sed in ipsa appellatione per se non continetur professio divinitatis Iesu, sed solum eum esse singulari ratione a Deo ad opus Dei electum ac consecratum, et Ps. 105, 16 Aaron dicitur ὁ ἅγιος κυρίου יהוה קְדוֹשׁ, Christus autem ita appellatur Ioan. 6,69 (in codd. graecis aliquibus ℵ B C * D L) et simili modo Act. 4,30. Iesum vocans Sanctum Dei daemon, *immundus* spiritus, maximam invitus declarat oppositionem, quae inter se et Iesum intercedat : Iesus est tamquam sanctus Deo consecratus, Deo proximus, ad opus Dei eximie electus; immundus spiritus longissime a Deo et opere Dei remotus, a Deo maledictus, ad omnem turpitudinem promptissimus. Notat *Beda :* « non voluntatis ista confessio est, sed necessitatis extorsio quae cogit invitos confiteri; et velut si servi fugitivi post multum temporis dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur, sic et daemones cernentes Dominum in terris repente versari ad iudicandos se venisse credebant ». Alii existimant daemonem ex adulatione ita Iesum appellasse (*Euth.*) scil. ut sibi ab ipso parceretur, id quod Toletus merito non approbat; illam autem confessionem *Mald.* dicit voluntariam, ex proprio amore et metu poenae profectam. Utique non poterit existimari, a Christo qui daemonem statim silere iubet daemonem auctis cruciatibus esse ad confessionem illam coactum. Sufficit dicere sola Christi praesentia immundum spiritum esse coactum ad suam ipsius ignominiam fatendam et ad laudem Iesu dandam.

1907

Sunt qui *scio* explicent non de vera et certa scientia, sed de aliqua coniectura vel suspicione. Ita iam *Vict.* στοχάζομαι σοῦ τὴν παρουσίαν, ὑποπτεύω τὴν ἄφιξιν, coniicio tuam praesentiam, suspicor tuum adventum neque enim certam et firmam habuit cognitionem eius praesentiae et si hoc scire videtur, cum simulatione sermones profert. Et *Alb.* interpretatur : vehementer puto, et *Dion.* daemones hoc non scivisse certitudine absoluta et stabili; potuisse quidem id scire certo, nisi divina dispensatione fuissent impediti, et *Ians.* non esse putandum daemones scivisse quod se scire dicerent, sed eos coniecturis quibusdam esse suspicatos et se scire mendaciter asseruisse. Quare incidit hoc loco quaestio, utrum daemones per vitam Iesu publicam sciverint Iesum esse Messiam et Filium Dei necne. Auctor quaestionum ex novo testamento qui olim S. Augustinus putabatur censet scivisse quidem Iesum esse eum qui in lege fuisset promissus, ignorasse tamen mysterium divinitatis eius (qu. 66; *M.* 35,2261). S. Thomas 3 p. qu. 29 art. 1 ad 3 dicit diabolum aliqualiter cognovisse Iesum esse Filium Dei eo tempore quo Christus suam virtutem contra diabolum ostenderet, et qu. 44 art. 1 ad 2 ait daemones visis miraculis ex quadam suspicatione coniecturasse eum esse Filium Dei; pari ratione si eum confiterentur esse Filium Dei, id magis fuisse ex quadam suspicione quam ex certitudine, et qu. 47 art. 5 docet daemones cognovisse eum esse Christum in lege promissum, mysterium divinitatis autem ignorasse; pro qua doctrina s. doctor provocat inter alia ad auctorem quaestionum vet. et novi test., et in cat. aur. sub nomine Chrysostomi affert quae apud Vict. ant. (in cat. Cr.) leguntur.

Ad hanc sententiam tuendam plerumque provocant ad 1 Cor. 2,8 si enim cognovissent (principes huius saeculi), nunquam Dominum gloriae crucifixissent. Verum ea in re ponderanda sunt primo quae monet *Mald.* : « eorum non probo sententiam qui existimant daemones Christum non cognovisse; non enim daemones soli quos facile possemus credere fuisse mentitos affirmant se Christum cognoscere, sed ipsi etiam evangelistae, qui mentiri certe Spiritu sancto movente non potuerunt, docent eos vere cognovisse; Marcus infra v. 34 : non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum et Luc. 4,41 : exibant autem daemonia a multis clamantia et dicentia : tu es Filius Dei, et increpans non sinebat ea loqui quia sciebant ipsum esse Christum ». Dein ponderanda sunt quae *Suarez* l. c. disp. 31 sect. 3 n. 6 seq. docet, qui scil. omnino tenet daemonem divinitatem Christi ante eius mortem cognovisse, « quia in vet. test. evidentissime praedictum erat Messiam futurum verum Deum, Deique Filium; sed daemon intelligebat eas Scripturas et cognoscebat Iesum esse Messiam, ergo et esse Deum; dein audivit unum et alterum testimonium Patris, audivit etiam saepe ab ipsomet Christo se esse Filium Dei et unum cum Patre (Ioan. 5,8. 10) et saepe evidenterque cernebat miracula in eius confirmationem facta, et verba Christi erant tam clara, ut ipsi quoque Iudaei intelligerent Iesum praedicare seipsum verum Dei Filium et aequalem Patri. Quamquam ergo daemon, quamdiu non satis intellexit Iesum esse Messiam potuerit dubitare de sensu, in quo Christus in baptismo, verbi gratia, dictus est Filius Dei, tamen postquam sibi per-

suasit illum esse Messiam et tot testimonia divinitatis eius vidit et audivit, sine dubio id credidit, quamvis fortasse interdum, quando non omnia considerabat, propter magnitudinem mysterii et suam pravam dispositionem vel haesitaret vel etiam dubitaret ». Pariter dicit *Toletus* (ad Luc. cap. 8 annot. 60) daemones divinitatem Christi aperte promulgasse.

Sed si eum cognoverunt Messiam et Filium Dei verum, quomodo eius crucifixionem moliri poterant? esse autem molitos certo constat ; vide Luc. 22,3. 53. Ioan. 13,2. 27 ; et quomodo id congruit verbis apostoli 1 Cor. 2,8?

Probabilem censet *Suarez* aliique cum eo hanc solutionem, non dixisse apostolum, daemones ignorasse Christi divinitatem, sed mysterium absconditum in Christi passione et morte, scilicet, salutem ac reparationem hominum et imperii daemonum eversionem. Verum difficile creditu videtur daemones qui tamen eodem teste Suarez Scripturas et vaticinia intellexerint et Christi de se enuntiationes audierint id non percepisse. In primo quippe oraculo messiano iam asseritur fore ut per Messiam caput diaboli conteratur; ipsi daemones conqueruntur quod Iesus venerit ad se perdendos, Christus clare affirmat nunc principem huius mundi iri eiectum; et quoties in vaticiniis et in verbis Christi indicatur salutem hominum morte Messiae effectum iri? cf. Is. 53,4-12. Ps. 21,23-32. Dan. 9,24. 26. Zach. 12,10-13,1. Ioan. 3,14-17; 6,40. 52; 17,19, etc. Quare haec ignorasse daemones mihi persuadere non possum. Vera mihi videtur alia sententia quam *Cai.* et *Suarez* pariter in medium afferunt, daemones etsi divinam maiestatem in Christo agnoverint, non propterea a Christo persequendo abstinuisse, quin potius ex odio et ira quam contra Deum et res omnes eius inveteratam habent vehementius in eum exarsisse ; « nam daemones ita Deum odio habent, ut si possent in ipsam divinitatem irruere eamque in nihilum redigere, id facere tentarent; ergo etiamsi cognoverint Christi humanitatem esse deificatam et ipsius Dei singulari modo effectam, multo maiore odio mortem, ignominiam atque omnia illi machinarentur mala ». Proin, uti ex Dei odio persequuntur et vexant homines imaginem Dei, ita profecto quod sciverint hominem Iesum adeo intime esse coniunctum divinitati, illis non potuit non esse incitamentum, ut quantum possent eum persequerentur et odium quod in ipsum Deum et in Dei Verbum explere non valerent, quam maxime explerent in illam hominis naturam quae quam intime a Verbo assumpta ad Verbum pertineret. Ita est enim ira et vindicta conformata, ut si non possit in hominem, in res hominis odio habiti exerceri soleat. Similiter daemon qui ipsi Deo malum non potest inferre quam maxime cupidus erit illud inferendi naturae humanae Verbo unitae. Neque putandum erit fore ut daemon suo ipsius damno retineatur. Vehemens enim odium ita animos inflammare et excaecare solet ut quovis suo periculo et discrimine contempto caeco impetu ad vindictam capiendam ruant. Insuper nonne spectare videtur ad maledictionem cui daemon subiacet, ut suis conatibus et bonum promoveat et suae dominationis ruinam efficiat et tamen ab impugnatione regni Dei non desistat suo edoctus damno, sed frustra edoctus?

Sed quid ad 1 Cor. 2,8? Si haec quae modo dicta sunt probaveris, dices

cum plurimis eo in loco apostolum de daemonibus non loqui; nam, ut *Cornely* ad eum locum scribit (Comment. in 1 Cor. p. 60) daemones intelligi negat *S. Chrys.*, eique consentiunt Graeci (Theodoretus, Ioannes damascenus, Oecumenius, Theophylactus) et Latini antiquiores multi (Pelagius, Primasius, Lyranus, Bened. Iustiniani, Lap. Tir. Natalis Alexander — quibus addi possunt Gagnaeus, Sa, Menochius, Gordonus) modernique plerique, uti etiam plerique acatholici. Atque haec sententia ipso contextu valide comprobatur. Dicit enim apostolus se non loqui sapientiam huius saeculi neque principum huius saeculi. Iam bene concipitur, apostolum negare se docere sapientiam talem quam homines philosophi, rhetores iactent et quam viri nobiles ac principes unice aestiment; at eum velle affirmare, se non in medium afferre sapientiam *diabolicam*, id ut credam equidem induci non possum. Si autem principes huius saeculi in v. 6 non intelligi possunt daemones, idem obtinebit pro v. 8. Neque obstare potest quod eo nomine alibi daemones designantur (2 Cor. 4,4; Eph. 2,2. Ioan. 12,31; 14,30); nam ibi ex contextu iisque quae adduntur perspicuum est quis eo nomine appelletur, neque ibi de pluribus, verum de uno sermo infertur. Dein videtur etiam haud probabile philosophos, reges, daemones una eademque appellatione communi ab apostolo nominari, appellatione dico non *abstracta* (uti foret potestatis tenebrarum) verum *concreta*, uti grammatici dicunt.

Notatur, uti *Alb.* dicit, Christi virtus in daemonem comminatione et imperio; comminatione autem utitur quia efferata malitia non reprimitur nisi timore poenarum; v. 25 *et comminatus est ei Iesus*, increpuit eum, *dicens : obmutesce*, φιμώθητι proprie capistrare, os tuum capistro obturetur, *et exi de homine;* iubetur autem daemon tacere, uti nos eum tacere et abire iubemus quem contemnimus et cum quo nihil negotii intercedere volumus. Duo dicit, ut ait *Alb.*, contra duo; quia clamavit, dicit ei obmutesce; quia vexavit, dicit exi ab eo. Cur daemon tacere iubeatur, varias afferunt causas : etsi vera diceret daemon, Christum noluisse sibi testimonium reddi a patre mendacii (*Euth.*); esse apostolorum Christum annuntiare, non daemonis; nos moneri, ut semper caveamus a diabolo, etsi vera dicere videatur; evitasse Christum ne pharisaei calumniarentur sibi esse consuetudinem cum daemone, cuius quippe testimonium admitteret; noluisse Christum intempestive annuntiari divinitatem suam ac dignitatem (cf. *Toletus, Mald. Lap. Sylv.*). Quo pateat quam potentem daemonem una vocula eiiciat, permittitur daemoni edere experimentum furoris v. 26 *et discerpens eum spiritus immundus et exclamans voce magna exiit ab eo;* discerpens σπαράξαν, eum iactans, distorquens, concutiens, vel ut Luc. 4,35 dicit ῥίψαν, cum proiecisset eum in medium. Id permittitur, ut manifestum evadat daemonem esse in homine et daemonem esse locutum (*Vict.*

Cai.), ut patesceret daemonis malitia[1] eiusdemque indignatio ob expulsionem et miraculi magnitudo quo a tanto malo homo liberaretur (*Ians.*); nocere autem non permittitur, ut appareat expellentis potentia (*Euth.*); refert enim Lucas : nihil illum nocuit. Exit autem magno edito clamore vel prae dolore, vel coactus ad clamandum a Christo, ut omnes intelligerent eum non casu aut sponte sua, sed invitum et a maiore coactum exire potestate (*Mald. Lap.*).

Ad admirationem de Iesu doctrina et modo docendi alia accedit haud minor de eius potestate. Ita verbo et opere incipit Iesus sese manifestare; v. 27 *et mirati sunt omnes* ἐθαμβήθησαν stupore et admiratione impleti sunt; verbum graecum magis significare stuporem et admirationem quam timorem *Ians.* ait, id quod pro usu apud Marcum obvio 10,24. 32 valet (*Schanz*); alii timoris notionem ac horroris quam verbum etiam habet, hic quoque retinent (*Schegg, Bisp. Fil.*); sed tum certe dicere oportet cum *Mald. Sylv.* non qualemcumque metum designari, sed religiosum metum cum admiratione coniunctum, qualem visis Dei mirabilibus iusti concipere solent. Haec iam animorum affectio ad rei veritatem hominumque mores describitur, *ita ut conquirerent inter se,* ut se mutuo rogitarent et interpellarent, prout solent homines attoniti, *dicentes : quidnam est hoc? quaenam doctrina haec nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat et obediunt ei!* in graeco per exclamationem : doctrina nova; cum in graece post καινή sequatur κατ' ἐξουσίαν καὶ etc. disceptant ad quid illud *in potestate* sit referendum. Ad prius, ad doctrinam novam referunt *Schanz, Keil, Weiss* eodemque modo *Ti* interpungit; ad sequentia trahunt *Schegg, Bisp. W H;* atque id commendatur et re ipsa et narratione Lucae (4,36). De eo enim quod cum potestate doceret iam antea mirabantur; ad eam potestatem autem accedere aliam quoque qua uno verbo daemonibus imperet eosque invitos cogat ad obediendum, modo testes erant. Qui modus eiiciendi daemones cum a laboriosis exorcistarum Iudaeorum conatibus adeo distaret (*Edersheim* I p. 482), certe novam illis suppetebat materiam cognoscendi et admirandi potestatem; neque enim eo Iesus eminebat quod daemonem expelleret (vide Matth. 12,27 filii vestri in quo eiiciunt?), sed quod ita cum potestate eiiceret. Ergo id quod Iesu pro-

1. Ad haec *S. Gregorius :* « quid est quod obsessum hominem antiquus hostis quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit, nisi quod plerumque dum de corde expellitur acriores in eo tentationes generat, quam prius excitaverat quando haec quietus possidebat?... mox ut animus amare coelestia coeperit, mox ut ad visionem pacis intimae tota se intentione collegerit, antiquus ille adversarius qui de coelo lapsus est invidet et insidiari amplius incipit et acriores quam consueverat tentationes admovet, ita ut plerumque sic resistentem animam tentet, sicut ante nunquam tentaverat quando possidebat » (hom. in Ez. lib. 1 hom. 12,24; *M.* 76,930 et 79,1180).

prium ac peculiare esse cernebant, id quoque admirabundi dixisse censendi sunt adeoque cum *vulg.* κατ'ἐξουσίαν ad sequentia referri satius erit, uti Lucas quoque rem narrat.

Cum tanta exstitisset apud omnes admiratio duplici causa excitata, v. 28 *processit rumor eius statim in omnem regionem Galilaeae*, quod enim homines admirantur, de eo apud plurimos sermonem assidue miscent; περίχωρος τῆς Γαλ. explicetur oportet non de regione quae circum Galilaeam extendatur (*Meyer*), quia ita de fama in Galilaea pervulgata nulla fieret mentio, sed de omni regione et tractu ipsius Galilaeae (*Schanz, Weiss* etc.); declarat itaque *Galilaeae* quaenam regio intelligatur circumiacens, uti Luc. 4,37 habetur : divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis (τῆς περιχώρου).

c) Socrus Petri sanatur 1,29-34.

1,29. Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis et Andreae cum Iacobo et Ioanne.

30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans; et statim dicunt ei de illa.

31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu eius; et continuo dimisit eam febris; et ministrabat eis.

32. Vespere autem facto quum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes et daemonia habentes, 33. et erat omnis civitas congregata ad ianuam.

34. Et curavit multos qui vexabantur variis languoribus et daemonia multa eiiciebat et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

1,29. Καὶ εὐθὺς ἐκ τῆς συναγωγῆς ἐξελθὼν, ἦλθεν εἰς τὴν οἰκίαν Σίμωνος καὶ Ἀνδρέου, μετὰ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου. 30. ἡ δὲ πενθερὰ Σίμωνος κατέκειτο πυρέσσουσα· καὶ εὐθὺς λέγουσιν αὐτῷ περὶ αὐτῆς. 31. καὶ προσελθὼν ἤγειρεν αὐτὴν, κρατήσας τῆς χειρὸς καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετὸς καὶ διηκόνει αὐτοῖς. 32. Ὀψίας δὲ γενομένης, ὅτε ἔδυσεν ὁ ἥλιος, ἔφερον πρὸς αὐτὸν πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας καὶ τοὺς δαιμονιζομένους· 33. καὶ ἦν ὅλη ἡ πόλις ἐπισυνηγμένη πρὸς τὴν θύραν. 34. καὶ ἐθεράπευσεν πολλοὺς κακῶς ἔχοντας ποικίλαις νόσοις· καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλε, καὶ οὐκ ἤφιεν λαλεῖν τὰ δαιμόνια, ὅτι ᾔδεισαν αὐτὸν Χριστὸν εἶναι.

In v. 29 εξελθοντες ηλθον in A C L Γ Δ Π unc 9 al pler vulg cop syr go Ti; numerum singularem habent B aliq minusc f g^1 gat mt eg arm aeth; item D b c q e ff^2; ff^1 l tol *egrediens — venerunt*. In v. 31 D (b f q) εκτεινας την χειρα κρατησας ηγειρεν αυτην; febrim *continuo* eam dimisisse ευθεως habetur in A D Γ Δ Π unc 9 al pler c f ff^2 g^{1,2} b q vulg syr aeth go. In v. 34 additur in fine Χριστον ειναι in ℵ^c B C G L M mul minusc ff^1 g^1 l mt theod sax cop aeth arm; id quod ex Luc. 4,41 depromptum est.

Eodem ordine haec narratio quoque sequitur Luc. 4,38. Christus itaque a synagoga se contulit in domum Petri, idque sabbato factum esse, etiam ex v. 32 constat; v. 29 *et protinus egredientes de synagoga;* dicitur εὐθύς, protinus, « hic enim fuit mos Domini, ut fere semper cum miraculo aliquo inclaruisset turbis sese subduceret, contentus nimirum benefecisse nec gloriae humanae cupidus, docens nos, ut bene mereri potius quam laudem venari studeamus » (*Ians.* sim. *Schegg*)

venerunt in domum Simonis et Andreae cum Iacobo et Ioanne, Marcus hic quoque accuratius narrat nominans comites Iesu. Eo quod ad domum Simonis divertit, iam huic discipulo peculiarem impertit honorem. Cum enim tanta exstitisset populi admiratio in synagoga, certe cives urbis summum reputassent honorem, si ad quemlibet divertisset et sane omnes parati et prompti erant maximo gaudio ad talem doctorem suspiendum hospitio. Cum Petrus et Andreas essent oriundi ex Bethsaida (Ioan. 1, 44), aliqui quaerunt de eorum domo in Capharnaum. Fortasse non sufficit dicere eam domum fuisse uxoris Petri et per uxorem factam esse Petri (id quod propter socrum ibi habitantem probabile videri possit), quia dicatur domus Simonis et Andreae, neque congruit quod aliis placuit domum fuisse solum conductam quo pisces commodius in urbe vendere possent; ergo sensus verborum obvius est retinendus. Petrus igitur et Andreas, uti coniunctis laboribus piscationi operam dabant, ita communi titulo domum quoque possidebant in urbe.

Frustra quoque quaeritur, utrum nocte praecedente an ipso die socrus Petri febri laboraverit. Ad miraculi veritatem clarius demonstrandam et ad populi concursum potius congruere videtur, ut morbus ille non minimae durationis fuisse censeatur, verum iam longiore tempore mulierem afflixisse, ita ut de gravi morbo omnibus constare potuerit; v. 30 *decumbebat autem socrus Petri febricitans* πυρέσσουσα quasi ardenti febri laborans et gravem morbum Lucas quoque designat ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ, tenebatur magnis febribus, id quod etiam morbum diuturnum significare videtur, *et statim dicunt ei de illa;* qui dixerunt? de domesticis (*Schegg, Keil*) non erat mentio facta, quamvis modus loquendi plane indeterminate accipi possit; plerumque tamen discipulos dixisse explicant, qui, ut *Vict.* dicit, iam potestatis Christi experimentum habebant (sim. *Sylv.*). Voluit Christus rogari, qui non rogatus expulit daemonem; « sed haec est Dei sapientia, ut etiamsi magis salutem nostram sitiat, non excludat tamen adiutores et administros, ut hac etiam ratione caritas et humilitas inter nos et eos qui pro nobis intercedunt magis coalescat » (*Salmeron* t. 6 tract. 11). Marcus ex narratione Petri accurate modum didicit quo Christus sanavit v. 31 *et accedens elevavit eam apprehensa manu eius et continuo dimisit eam febris*, quod contactu manus eam curaverit, significare voluit, uti *Ians.* dicit, carnis suae sanctificativam et curativam virtutem propter inhabitantem divinitatem et quod ad hominem spiritualiter reformandum et salvandum opus esset carnis eius pro nobis oblatae contactu (sim. *Vict. Salm.*). Fuit enim humanitas Christi organum seu instrumentum Verbi ad efficienda miracula, ita tamen ut Christus homo per actiones suae humanitatis non solum morali modo, sed etiam reali et physico

opera miraculosa efficeret; de qua re vide *Suarez,* de Incarnatione disput. 31 sect. 3 seq. Sanatio uti erat repentina, ita quoque perfecta *et ministrabat eis;* statim itaque mulier robusta effecta est, nec vestigium morbi remansit, cum in iis qui naturae vi et ope medicorum sublevantur a febribus, paulatim soleat redire corporis vigor (*Ians.*). Atque mulier gratam se praestitit medico, docens vires et opes a Deo concessas et restitutas ad eius quoque servitium esse adhibendas (cf. *Salm.*); cf. Matth. 8,15.

Notat *Ians.* : « ut omnia Domini miracula in curatione corporum consistentia mysterium aliquod habent et typi sunt spiritualium Dei beneficiorum quae menti praestantur, ita et miraculorum ordo quandoque recte accipitur non vacare mysterio. Quod autem una eademque die prius quidem virum curat, postea vero mulierem, significat secundum Ambrosium Dominum advenisse ad curandum utrumque sexum. Quod tamen secundum eundem et aliter accipi potest, videlicet ut per virum a daemonio vexatum animus hominis diabolo per peccatum subiectus et erroribus variis ab eo detentus accipiatur, per mulierem autem febricitantem caro variis obnoxia concupiscentiae aestibus ». Ab utraque hac peste Servator nos liberat. Diaboli potestatem fregit ac vicit non rogatus; ut carnis concupiscentias et vitiorum calores sanet, enixe a nobis rogandus est. Malae autem cupiditates maxime coercentur attactu sacratissimae carnis eius sacra Eucharistia percepta, quo fomes peccati magis in dies ligatur. Sed si Christi beneficio sanationem acceperimus vel opem eius experti fuerimus, gratos nos esse oportet; surgere necesse est ad opera virtutum et ad ministeria Christo eiusque membris exhibenda.

Sanatio daemoniaci in synagoga facta nota erat per urbem; rumor de sanatione socrus Petri, uti fit de re admiratione plena, etiam cito spargebatur. Cum itaque Iesum adeo et potentem et benignum misericordemque cognoscerent, sabbato transacto aegrotos omnis generis ad medicum asportabant; v. 32 *vespere autem facto, cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes et daemonia habentes;* cur exspectarint hoc tempus, sabbato explicari recte censent (*Vict. Theoph. Ians. Mald.* etc.); sabbato enim, uti Ioan. 5,10 patet, ex legis doctorum placito non licuit aegros asportare (*Cai.*), eosque finem sabbati exspectasse initiumque diei sequentis indicatur ipsa narratione eo quoque quod notioni satis indeterminatae *vespere facto* additur : cum occidisset sol; solis enim occasu more Hebraeorum dies festus finitur. Scribas vero arctis praescriptionibus diei sabbati sacram quietem circumvallasse et mandatis legis (Ex. 20,10; 31,14-17; 35,2. 3. Num. 15,32 seq. Deut. 5,12-14) sua explicatione varia addidisse, ex evangeliis satis elucet (cf. Matth. 12,1. 10. Luc. 6,6. Ioan. 9,14 etc.), insuper cum Ier. 17,21 le-

gatur : nolite portare pondera in die sabbati, mirum non est, si doctores legis pro sua interpretandi ratione vetabant aegrotos ad sanationem asportare; immo archisynagogus turbis dicere Iesu praesente non veretur : sex dies sunt in quibus oportet operari; in his ergo venite et curamini, et non in die sabbati (Luc. 13,14). Quare perperam negat *Keil* illa temporis designatione declarari populum finem sabbati exspectasse, ut aegrotos afferrent.

Et quantus populi concursus ante domum Petri factus sit, oculis plane subiicitur v. 33 *et erat omnis civitas congregata ad ianuam,* quo modo loqui solet qui suis oculis eiusmodi concursum hominum cum admiratione spectavit. Quare haec esse totidem verba quibus Petrus rem narraverit merito existimandum erit. Uti res fert, simul cum aegrotis eorumque ministris multi alii novitate rei allecti accurrebant. Iesus vero maxima liberalitate documenta edit potentiae suae et misericordiae v. 34 *et curavit multos qui vexabantur variis languoribus;* Luc. 4, 40 singulis manus imponens curavit eos et Matth. 8,16 omnes male habentes curavit; proinde quod Marcus dicit *curavit multos* non significat non omnes esse curatos vel propter defectum fidei et rectae animi dispositionis (*Meyer*) vel propter defectum temporis nocte ingruente (*Weiss*), sed indicatur esse aegrotos adductos magno numero; proin omnes illos qui curati sint magno fuisse numero, quo illustrius fuisse miraculum intelligamus (cf. *Vict. Dion. Ians. Mald. Lap. Schegg, Schanz*). Similiter dicitur apud Matth. multos daemonia habentes esse ei oblatos et ab eo omnes male habentes esse curatos. Potestas eius eo maxime elucebat quod uno eodemque ritu, impositione manuum, curabat vexatos *variis* morbis; unde ei illimitatam praesto esse potestatem facile concludi poterat; insuper in malos quoque spiritus suam ostendebat auctoritatem *et daemonia multa eiiciebat,* quae quamvis essent multa neque auderent neque possent ei resistere. Est sane spectaculum pia meditatione dignum, quomodo Christus medius inter tot humanarum miseriarum documenta sua abundantissima caritate singulos benevolentissime soletur atque pulsis morbis et eiectis daemonibus sanitati et felicitati restituat. Ex oratione contexta apud tres synopticos non potest alia domus intelligi nisi domus Petri, de qua sola mentio facta est; frustra id negant *Meyer, Keil* existimantes propriam domum quam Iesus in Capharnaum habuerit designari cum v. 32 dictum sit *afferebant ad eum.* At profecto ita dici potuit ac debuit, etsi erat in domo Petri, neque enim domui, sed ipsi affercbant aegros; porro Christum propriam habuisse domum in Capharnaum nullibi clare asseritur.

Solo voluntatis nutu Iesum daemonibus imperare, ostenditur ad eius

potentiam describendam *et non sinebat ea loqui quoniam sciebant eum;* versio *quoniam* omnino retinenda est, neque ὅτι verti potest (uti aliqui volunt περὶ τούτου ὅτι) ita ut quid daemonia loqui voluerint assignetur; nam λαλεῖν in novo testamento non usurpatur eo modo quo λέγειν (*Schegg, Schanz, Keil, Weiss;* quare haud bene vertit *Bayle :* Il ne leur permettait pas de dire qu'ils le connaissaient). « Ita et Paulus prohibuit spiritum pythonicum dicentem homines illos servos esse Dei altissimi; non enim volebat sanctus ab immundo ore commendari et testimonium accipere » (*Theoph.*). Voluit quippe Christus ut homines suis ipsius operibus ac testimoniis paullatim ad fidem adducerentur, non autem ut ex daemonum vocibus quis esset discerent; nolebat, uti *Mald.* dicit, suam divinitatem tam aperte et tam cito declarari, ut pharisaeorum fugeret invidiam. Fortasse daemones pro sua malitia cum bene noscerent qualem Messiam populus desideraret, suis clamoribus Messiam annuntiantes voluissent magnam illam ac perniciosam in populo excitare commotionem et exspectationem regni temporalis, cladis hostium etc., et eo modo impedire quominus animi hominum ad Iesu doctrinam et emendationem morum applicarentur.

d) Iesus relinquit Capharnaum 1,35-39.

1,35. Et diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. 36. Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant. 37. Et quum invenissent eum, dixerunt ei : quia omnes quaerunt te. 38. Et ait illis: eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi praedicem; ad hoc enim veni.

39. Et erat praedicans in synagogis eorum et in omni Galilaea et daemonia eiiciens.

1,35. Καὶ πρωὶ ἔννυχα λίαν ἀναστὰς ἐξῆλθεν εἰς ἔρημον τόπον, κἀκεῖ προσηύχετο. 36. καὶ κατεδίωξεν αὐτὸν ὁ Σίμων καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ. 37. καὶ εὗρον αὐτὸν καὶ λέγουσιν αὐτῷ, ὅτι πάντες ζητοῦσίν σε. 38. καὶ λέγει αὐτοῖς, Ἄγωμεν ἀλλαχοῦ εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις, ἵνα κἀκεῖ κηρύξω· εἰς τοῦτο γὰρ ἐξῆλθον. 39. καὶ ἦλθεν κηρύσσων εἰς τὰς συναγωγὰς αὐτῶν, εἰς ὅλην τὴν Γαλιλαίαν, καὶ τὰ δαιμόνια ἐκβάλλων.

In v. 35 εξηλθεν και απηλθεν in ℵ A C D L Γ Δ Π unc 8 al pler a c (exiens inde abiit) f ff^1 g^2 cop syr arm aeth go Or Ti. In v. 36 *persecutus* cav dub med ken rush* val tol; *secutus* am hub ox wil lind; *subsecutus* cg; *prosecutus* car; persecuti sunt mt. In v. 47 και ευροντες αυτον λεγ. A C Γ Δ Π unc 9 al pler; D και οτε ευρον a d ff^2 g^{1,2} q vulg; mt *ridissent* et ff^1. In v. 38 om αλλαχου in A C^3 D Γ Δ Π unc 8 al fere omn it vulg syr go; D κωμας και εις τας πολεις; item it vulg syr (sch); Δ et minusc mu εληλυθα, item it vulg arm go. In v. 39 και ηλθεν ℵ B L cop aeth ev hier; και ην A C D Γ Δ Π unc 8 al omn it vulg syr (utr) arm go; εν ταις συναγωγαις E F G M S U V Γ al longe pl; item it vulg; εις τας συν. ℵ A B C D K L Δ Π minusc mu.

Praedicatione et miraculis Christus incolas urbis ita erudivit, ut si acceptae institutioni cooperari vellent satis essent praeparati ad accep-

tandum regnum Dei quod illis offerebatur et quod postmodum explicatius per apostolos erat annuntiandum Christo ad Patrem regresso. Quare Iesus relicta urbe in aliis quoque oppidis ac vicis doctrinam suam miraculis comprobatam spargebat; v. 35 *et diliculo valde surgens egressus abiit in desertum locum;* πρωΐ mane, quod accuratius declaratur (uti simile quid cernitur v. 32) ἔννυχα λίαν, uti *Euth.* explicat νυκτὸς ἔτι οὔσης dum adhuc nox esset, proin multa adhuc nocte, bene mane Iesus e domo egreditur, ut scil. quo se conferat non advertatur neve ipse ab hominum importunitate impediatur. Clam itaque se subducit in *desertum locum,* in locum solitarium[1], se subducit hominum laudi et admirationi, ut nos quoque doceat non venari hominum plausum neque re bene gesta eius quasi laudem et mercedem ab hominibus expetere (cf. *Vict. Theoph. Euth. Mald. Dion. Lap.*). Exemplum exhibet, ut *Ians.* adnotat, praesertim praedicatoribus, nimirum post collatam in alios beneficentiam oportere secedere, ne praemium aut laudem ab his quibus benefecerimus videamur exspectare; *ibique orabat,* Patri scil. enixe commendans opus quod iam praedicatione per Galilaeam aggressurus erat. Iesum orantem evangelistae nobis exhibent ante opera gravioris momenti; ita ante electionem apostolorum, antequam Petro promitteret primatum, ante miracula maiora, ante passionem (cf. Marc. 6,46. Luc. 6,12; 9,18. 28; 11,1. Ioan. 6,11; 11,41; 17,1 etc.). Quomodo pro suis oraverit, exemplum habemus praeclarissimum in eius oratione Ioan. 17,1 seq. et similes precationes eum etiam tum fudisse existimare licet. Orat autem, ut *Vict.* ait, non quia ipse oratione indigeret; ipse enim est qui hominum orationes suscipit, sed haec quidem οἰκονομικῶς dispensatione quadam agens, forma et exemplum bonae operationis nobis est factus. Atque locum quietum ac solitarium maxime accommodatum esse intimo illi cum Deo commercio pariter nobis ostendit (*Dion.*) et, ut *Cai.* notat, exemplum praebet praedicatoribus rapiendi tempus aliquod ad orandum, ad mentem in Deum elevandam, precando quae sunt salutis, vel prout *Ians.* monet, nobis insinuat « post doctrinam secessu et oratione opus esse, tum ut fructus praedicationis in auditoribus a Deo obtineatur, tum ut contemplatione ac mentis in Deum elevatione ad docendum et iuvandum quovis modo proximos spiritus reddatur alacrior ».

De oratione Christi agit S. Thomas 3 p. qu. 21 art. 1-4 et Suarez, de Incarnatione disput. 45 sect. 1. Uti evangelia docent et S. Paulus effert Hebr. 5,7

1. Apposite affert *Fil.* : « Un trait remarquable du lac Gennésareth, c'est qu'il était entouré de solitudes désertes. Ces places solitaires, situées à proximité, soit sur les plateaux, soit dans les ravins qui abondent près des deux rives, fournissaient d'excellents refuges pour le repos ou pour la prière ».

Christus vere et proprie oravit postulando et suppliciter petendo aliquid a Patre; « ex quo fit consequens saepe ex divina providentia et ordinatione ita fuisse res dispositas et praedefinitas, ut multa fuerint a Christo homine per orationem impetranda quae sine illius oratione non fierent; sicut enim non redemisset homines, nisi pro illis pateretur, quia ita fuerat a Deo praescriptum et praeordinatum, ita neque sine oratione obtinuisset quae non nisi oratione obtinenda erant iuxta divinam praeordinationem. Unde sicut necessarium illi fuit pati, ut ita intraret in gloriam suam et nos secum in illam introduceret, ita necessarium fuit illi orare ad impetrandum multa quae per orationem obtinuit; at vero sicut necessitas passionis ad redemptionem nostram non fuit ex defectu personae aut quia Christus non esset sufficiens infinitis aliis modis vel operibus illam perficere, sed quia propter congruentes rationes Deus illam ordinavit ut necessarium medium ad illum finem, ita haec necessitas orationis non fuit ex indigentia ipsius personae aut quia per se non sufficeret ad efficiendum per humanitatem absque petitione quidquid petendo obtinuit vel effecit, sed quia propter rationes congruentes et ad divinum honorem nostramque utilitatem pertinentes ita a Deo fuit ordinatum et dispositum » (*Suarez* l. c. n. 3). Voluit enim Deus Christum ut hominem oratione indigere, prout idem Suarez dicit, ut servaretur debitus ordo inferioris naturae ad superiorem et ut debitum orationis cultum divinitati praeberet. Nam uti Christus homo excellentissime exercuit virtutem caritatis aliasque virtutes cardinales, ita sane fieri non potuit ut virtutem religionis eiusque exercitium, orationem, omitteret. Potuit quidem Christus per scientiam per se infusam et per visionem divinitatis qua eius anima continuo fruebatur, sine dependentia a sensibus divina contemplari sine ulla interruptione, at simul quam maxime erat conveniens, ut secundum vires quoque naturales intellectus, voluntatis, phantasiae, appetitus totum sese divinas in res immergeret longe perfectiore modo quam ex natura rei posset, dum alia sensibilia tractaret; quare omnino congruebat, ut ad talem orationem habendam sese quandoque in locum solitarium reciperet. Vide *Suarez*, de mysteriis vitae Chr., in 3 p. qu. 41 disput. 29 sect. 1 n. 5.

Christus magnum sui desiderium et discipulis et turbis inspiraverat. Unde maxima sollicitudine eum quaerunt, simul ac deprehendunt eum recessisse v. 36 *et prosecutus est eum* κατεδίωξεν ardenter eum secutus est, insecutus et demum assecutus *Simon*, e cuius domo sese subduxerat, *et qui cum illo erant;* proin tres reliqui discipuli, vide v. 29. Modo hoc loquendi *Simon* καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ Petrus iam tamquam aliorum dux et princeps significatur (*Mald. Fil.*) et potiorem eius dignitatem quam postea acquisierit indicari etiam *Meyer* fatetur; neque valet quod *Weiss* obiicit nominari Simonem, quia Iesus in eius domo commoratus sit; nam si haec esset ratio, etiam Andreas erat nominandus, quia domus erat Simonis et Andreae v. 29. Ex Luca 4,42 tur-

bae requirebant eum et venerunt usque ad ipsum; scilicet, uti res fert, continuo innotuit eum abscessisse et post discipulos alii quoque talem doctorem et opitulatorem quaerere et apud se retinere studebant. Ceterum ex ipsa quoque narratione Marci elucet turbas quoque anxie Iesum quaesivisse; nam v. 37 *et cum invenissent eum dixerunt, quia omnes quaerunt te;* communi omnium desiderio persuadere Iesu volunt ut diutius in urbe maneat. Etiam hic modus narrandi res et verba magis ad vivum exprimit quam apud S. Lucam; *omnes quaerunt te* dictio est plane ad naturam facta qua in eiusmodi conditione homines uti solent ad eum qui sollicite a compluribus quaeritur nec statim ubi sit deprehenditur. Petri itaque narrationem etiam hic facile subesse existimaveris.

At Christus iam semina sparsit quae habita ratione temporis ad praeparationem statuti sufficiant; quare aliis quoque regionibus beneficium doctrinae suae impertire constituit; v. 38 *et ait illis : eamus in proximos vicos et civitates*, κωμοπόλεις unica voce in graeco quam explicant de vicis maioribus, amplitudine et incolarum multitudine urbi similibus, oppida scil. rusticana, quae vel vici vel oppida videri possunt (*Erasmus*) et *Euth.* exponit πόλιν dici urbem moenibus cinctam, κώμην autem pagum muris carentem, κωμόπολιν vero partim esse muris munitam partim carentem moenibus. Affirmat *Iosephus* (vita, 45) esse in Galilaea urbes vicosque ducentos quattuor. Tamquam munus suum Iesus discipulis declarat *ut et ibi praedicem;* doctrina qua vera morum emendatio et maior Dei cognitio efficiatur eius muneris pars est tum temporis prima ac praecipua; miracula solum accedunt, ut homines ad doctrinam suscipiendam reddat paratiores, ut sigillo divino suam confirmet doctrinam et missionem, ut suam demonstret misericordiam et piam fidem ac fiduciam remuneretur. Ad praedicandum, ad homines docendos itaque se venisse testatur : *ad hoc enim veni,* Luc. 4,43 quia ideo missus sum; eodem modo facile explicatur *veni,* uti alibi : ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati (Ioan. 18,37); ita *Alb. Dion. Ians. Mald.;* neque aliter concipiunt ἐξῆλθον *Vict.* (ἐξελήλυθα, manifestans divinitatis suae auctoritatem et dominium supremum αὐθεντίαν atque exinanitionem sponte susceptam) *Euth. :* et *missus sum* ut homo dixit, ἐξελήλυθα, ut Deus et ex recentioribus *Bisp. Fil. Keil :* egressus sum a Patre; cf. Ioan. 8,42; 13,3; 16,27. 30 a Deo, a Patre exivit. Alii tamen quia ἐξῆλθον ponatur solum neque addatur, ut assolet, παρὰ vel ἀπό, ἐκ θεοῦ etc., explicant : ideo egressus sum e domo, uti in v. 35 indicatur (surgens *egressus* abiit; ita *Calm. Schegg, Schanz, Meyer, Weiss*). Sed fatendum erit hanc significationem esse satis exilem et ieiunam et nimis tenuem quam ut

ea responsione Christus censeri possit obviam ire magno omnium desiderio : omnes te quaerunt; neque eam congruere cum responsione Luc. 4,43, qua sola tandem efficax continetur ratio et vere sublimis, cur relinquat urbem et cui omnes acquiescant oporteat.

Inde itaque peragrabat Galilaeam v. 39 *et erat praedicans in synagogis eorum (et) in omni Galilaea* εἰς τὰς σ. εἰς ὅλην τὴν Γ., proinde explicare oportebit vel ita ut ἦλθεν εἰς τὰς συναγωγάς iungatur vel ut synagoga accipiatur tamquam coetus hominum (Act. 13,43. Iac. 2,2. Apoc. 2,9; 3,9) *ad quem* fit praedicatio. Huic tamen obstare videtur quod alias synagoga apud synopticos non de multitudine congregata, sed de domo congregationis adhibetur. Additur dein quousque itinera direxerit et extenderit *in omnem Galilaeam* scil. ἦλθεν κηρύσσων, *et daemonia eiiciens;* doctrinam miraculis confirmat, iis hominum animos quoque reddit promptiores ad institutionem salutarem amplectendam. Daemonum potestatem et imperium frangit demonstrans se venisse, ut regnum diaboli et peccati destrueretur et regnum Dei et iustitiae in animis hominum erigeretur. A doctrina transibat ad miracula, ut quos non attrahebat sermo attraheret miraculorum potentia, ut *Euth.* dicit; sic et tu, ait *Theoph.*, cum docueris, etiam opera bona fac, ne inanis sit et vanus (μάταιος) sermo tuus. Christum autem in synagogis praedicasse Vict. dicit, ut unam misceret doctrinam veteris foederis ac novi et unum ostenderet utriusque auctorem et Deum. In hac per Galilaeam praedicatione doctrinas illas esse propositas quas in sermone montano Matth. 5-7 legimus aliquorum est sententia haud improbabilis (cf. *S. Aug.* de cons. evang. 2,19. 43; *M.* 34,1098; *Bed. cat. aur.*).

e) Sanatur leprosus 1,40-45.

1,40. Et venit ad eum leprosus deprecans eum; et genu flexo, dixit ei : Si vis, potes me mundare. 41. Iesus autem misertus eius extendit manum suam; et tangens eum, ait illi : Volo : mundare.

42. Et quum dixisset, statim discessit ab eo lepra : et mundatus est.

43. Et comminatus est ei, statimque eiecit illum. 44. Et dicit ei : Vide, nemini dixeris : sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tua, quae praecepit Moyses in testimonium illis. 45. At ille egressus coepit praedicare, et diffamare sermonem; ita ut iam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset; et conveniebant ad eum undique.

1,40. Καὶ ἔρχεται πρὸς αὐτὸν λεπρὸς, παρακαλῶν αὐτὸν λέγων αὐτῷ, Κύριε, ὅτι, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι. 41. καὶ σπλαγχνισθείς, ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἥψατο, καὶ λέγει αὐτῷ, Θέλω, καθαρίσθητι. 42. καὶ εὐθὺς ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ἡ λέπρα, καὶ ἐκαθερίσθη. 43. καὶ ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, εὐθὺς ἐξέβαλεν αὐτὸν, 44. καὶ λέγει αὐτῷ, Ὅρα μηδενὶ μηδὲν εἴπῃς· ἀλλ' ὕπαγε, σεαυτὸν δεῖξον τῷ ἱερεῖ, καὶ προσένεγκε περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου ἃ προσέταξεν Μωυσῆς, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. 45. ὁ δὲ ἐξελθὼν ἤρξατο κηρύσσειν πολλὰ καὶ διαφημίζειν τὸν λόγον, ὥστε μηκέτι αὐτὸν δύνασθαι φανερῶς εἰς πόλιν εἰσελθεῖν· ἀλλὰ ἔξω ἐπ' ἐρήμοις τόποις (ἦν), καὶ ἤρχοντο πρὸς αὐτὸν πάντοθεν.

In v. 40 αυτον και γονυπετων ℵ A C L Δ Π unc 7 al pler ev hier arm cop aeth vulg; c et genibus volutans, q et adgeniculans se; om B D G Γ aliq minusc a b c ff^2 g^1; add *Domine* eg hub theod mt ox ken (videtur petitum ex Matth. 8,2); item B C L κυριε, item c e ff^2 g^1 arm ev hier aeth al. In v. 41 D οργισθεις, *iratus* a d ff^2. In v. 42 και ειποντος αυτου A C Γ Δ Π unc 8 al longe pler f g^2 l q vulg arm aeth go. In v. 44 pauc minusc τω αρχιερει ff^1 vulg (g^2 gat principibus sacerdotum). In v. 45 om πολλα D; item it vulg; επ' ερημοις ℵ B Γ Δ 28 124 al pauc; εν A D Γ Π unc 7 al pler.

Cum haec de leproso narratio apud tres synopticos referatur (Matth. 8,2. Luc. 5,12), eam in praedicatione apostolica frequenter propositam esse censendum erit. Talis quippe in ea elucet et fides rogantis et potentia ac benignitas Salvatoris quae omni commendatione dignae sint et ad animos erudiendos aptissimae. De tempore huius sanationis Marcus et Lucas ita consentiunt, ut uterque eam ponat dum Christus praedicans Galilaeam peragraret vocatis ad se aliquibus discipulis ante electionem apostolorum et sermonem montanum. Eam quidem Matthaeus collocat post sermonem montanum; at ex ipso narrandi modo elucet eum nolle insinuare quasi ea occasione sanatio facta sit (vide ad Matth. 8,4). Eam effectam esse in una civitatum Lucas refert; ex v. 43 aliqui concludunt leprosum in domum intrasse in qua Christus tum commoratus sit (*Patr. Schegg, Bisp. Weiss*). Transiit Christus, ut Petrus dicit, benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo (Act. 10,38). Hoc commemoravit Marcus in v. 39, illius exemplum affert in sanatione leprosi. Morbus hic, uti in se est valde molestus hominemque ab aliorum societate excludit, ita peculiari modo tamquam plaga a Domino inflicta considerabatur (cf. Num. 12,10 seq. 2 Reg. 3,29; 4 Reg. 5,27. Is. 53,4). Quare in ea sanatione et magnum cernitur beneficium et singularis Iesu potentia; v. 40 *et venit ad eum leprosus deprecans eum et genu flexo dixit ei : si vis potes me mundare;* eum corpore quidem fuisse lepra infectum ait *Vict.*, at mente purum propter fidem et spem; neque enim de potestate Iesu dubitasse, sed omnia in sola eius voluntate constituta esse declarasse; « scio te posse; at ego non omnino dignus sum; Dei enim iudicio patior id quod patior; si non vis, non contradico ». Ita in Domino potestatis auctoritas, in illo fidei constantia declaratur; de voluntate Domini non quasi pietatis incredulus dubitavit, sed quasi colluvionis suae conscius non praesumpsit (*Beda*). Apud Matth. et Luc. ponitur allocutio κύριε (in aliquibus codd etiam hic; vide lect. var.); censet *Schanz* eum titulum esse a Marco omissum quia iis quibus scribat fuisset offensioni (anstoessig). Sed cum ipse statuat Marcum voluisse demonstrare Iesum esse Filium Dei et Deum (p. 41), quomodo potuisset esse offensioni Iesum salutari Dominum?

Precatione adeo humili et fide plena et hominis miseria Iesus ad

misericordiam movetur; unus Marcus addit v. 41 *Iesus autem misertus eius* σπλαγχνισθείς quasi visceribus commotus, viscera enim sedes esse credebantur misericordiae, amoris. In vultu et habitu Christi intima haec miseratio cernebatur et Petrus testis hoc caritatis in miseros exemplum in suis concionibus non tacuit, unde Marcus id explicite quoque commemorat; *extendit manum suam et tangens eum* vel potius : extendens manum tetigit eum; quaerit *Vict.* cur tetigerit, cum tamen ex lege is qui tangeret immundus evaderet? respondet, ut ostenderet Servatorem nulla tangi immunditia, se non esse sub lege, sed esse dominum legis, seque ut Dominum sanare, non in modum servi (sicut Elisaeus Naaman Syrum non aspexerit, sed ad Iordanem miserit). Tangit eum, ut virtutem humanae naturae in se adstruat, dum non inquinatur, sed tactu mundat lepram (*Cai.*); *ait illi : volo, mundare;* « simulque illud mirabile quod eo sanavit genere quo fuerat obsecratus; habes voluntatem etiam habes pietatis effectum; non ergo (ut plerique Latinorum putant) iungendum est et legendum *volo mundare*, sed separatum, ut primum dicat *volo*, dein imperet *mundare* » (*Beda*).

Nihil medium est inter opus Dei atque praeceptum, quia in praecepto est opus; denique dixit et facta sunt (Ps. 32,9, *Beda*), v. 42 *et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra et mundatus est;* ἐκαθαρίσθη[1] scil. leprosus, id quod additur, ut ipsa narratio sanationis mandato Christi congruat. Matth. 8,3 legitur quidem : mundata est lepra eius; sed cum hic praemittatur *discessit lepra*, omnino explicari debet et verti *mundatus est;* Luc. 5,13 solum prius membrum legitur καὶ εὐθέως ἡ λέπρα ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ. Omnes tres efferunt *statim* i. e. simul cum imperio Christi mundationem esse effectam. Quare arbitrarium est et contra claram narrationem statuere cum *Weiss* sanationem esse effectam paulatim, dum ille pergeret ad sacerdotem, et idcirco quia esset lepra infectus cum comminatione eum esse a Iesu e domo eiectum. Iesus severe ei praecipit ne miraculum in vulgus efferat eumque statim abire iubet v. 43 *et comminatus est ei* ἐμβριμησάμενος αὐτῷ cf. Matth. 9,30, quo scil. severius mandatum inculcet *statimque eiecit illum* i. e. ablegavit eum celeriter vel invitum (*Cai. Erasmus*), verbis gravibus eum iussit abire; de hoc usu vocis ἐκβάλλειν vide Matth. 9,25. Marc. 5,40. Act. 9,40; 16, 37. Hoc mandatum cum severitate esse iniunctum eumque statim abire iussum solus narrat Marcus; etiam hic Petrum testem rei qui et vultum Domini sonumque vocis et totum agendi habitum accurate consideravit et sua relatione expressit, deprehendere licet; v. 44 *et dicit ei : vide nemini dixeris*, cave ulli quidquam dicas. Voluit Christus pro sua parte impedire

1. De forma dialecti maced. ἐκαθερίσθη quam aliqui codd praebent, vide *Grimm*, Lexicon graeco-lat. s. v.

quominus divulgatione miraculorum incitamenta adderentur exspectationi populari qua credebatur venturum esse filium David ad hostes conterendos et regnum davidicum temporale restituendum. Fortasse leprosus ille animo volvit Iesum praedicare tamquam eum qui pro sua potestate quam maxime posset veterem regni davidici splendorem instaurare, ad quem itaque multos adduci oporteret eumque regem constituere.

Cur eo modo Iesus egerit varie concipitur. Certe non sufficit solum dicere cum veterum plerisque, Christum nos voluisse monere ut omnem sedulo vitemus ostentationem, explicasse nobis intimum suum desiderium verum et urgens fugiendi fomenta gloriae humanae (cf. *Vict. Bed. cat. aur. Cai. Lap.*), voluisse dare modestiae suae specimen (*Calm.*). Quae utut vere dici possunt et pie considerari cum utilitate, tamen neque sola neque primo loco collocanda erunt. Verum advertere oportet, praesertim ab initio vitae publicae Christi necessarium fuisse, ut Christus omnem speciem et umbram vitaret qua videri posset alere vel fovere spem illam popularem de Messia. Quare quotiescumque acrior quaedam populi commotio exsisteret, illam reprimit, vitat, fugit atque ne illi spei adderet fomenta sedulo cavebat, doctrina sua et morum emendatione postulata perspicue quoque declarabat ad quid venisset et quid a se nullatenus esset exspectandum. Cum haec muneris eius ratio satis erat in aperto posita, tum aperte et graviter quoque ad opera sua provocabat quibus se missum a Patre probaret et suae doctrinae dari luculentissimum testimonium divinum perhiberet; cf. Comment. Matth. I p. 311.

Plane perversum est cum Klostermann indignationem Iesu explicare eo quod miseratione abreptus id fecisset quod proprie facere non debuisset quia id ad veram officii sui rationem non necessario requireretur. Neque dici potest Christum ei comminatum esse quia contra legis mandatum leprosus cum esset domum esset ingressus (cf. Lev. 13,46. Num. 5,2). Nam non plane patet eum ingressum esse domum; dein Iesus ei comminatur postquam eum sanavit. Sed quis putabit narrari demum in v. 43 id quod si fiebat narrari debuit et fieri ante v. 41? Idem valet praeter alia contra opinionem a Volkmar excogitatam, Iesum indignatum fuisse quia leprosus adorans iaceat ad pedes Iesu! Melius alii modum agendi Christi explicant ex conditione leprosi, cui scil. utile fuerit ac necessarium beneficium acceptum quiete secum reputare, fidem in Iesum in animo suo augere, ne tumultu et admiratione hominum propter sanitatem corporis receptam animae suae damnum inferret; vel eum animo concepisse varia consilia quae sanitati restitutus voluisset exsecutioni mandare, sed quae Christus, cognitor cordis et cogitationum, minime probaret et a quibus eum verbis suis deterreret (cf. *Schegg, Fil. Keil*).

Cum lex mosaica etiamtum valeret, Iesus ei mandavit ut secundum

eius praecepta ageret : *sed vade, ostende te principi sacerdotum,* τῷ ἱερεῖ sacerdoti, de principe sacerdotum non fit mentio in lege, sed : adducetur ad sacerdotem (Lev. 14,2; vide lect. var.) *et offer pro emundatione tua quae praecepit Moyses,* scil. Lev. 14,4 etc., *in testimonium illis;* ita enim ex lege restituebatur auctoritate socerdotali cum a sacerdote eius sanatio esset agnita, commercio ac societati hominum et liberabatur ab ea seclusione ad quam leprosi erant redacti. Quia itaque leprosus ille ut talis notus erat, oportuit ut declaratione sacerdotis ad vitam cum aliis communem admitteretur (cf. *Vict. Theoph.*). Insuper eventus ille erat in testimonium pro sacerdotibus, adversariis Christi, Iesum non esse contemptorem legis; ipsum vero miraculum sanationis testabatur eum esse missum et approbatum a Deo; vide ad Matth. 8,4.

Leprosus autem prae gaudio et grati animi affectu beneficium a Iesu acceptum silentio premere nequit; v. 45 *at ille egressus coepit praedicare* (celebrare multum) *et diffamare sermonem* τὸν λόγον, certe non de solis Christi verbis : volo, mundare, dicitur hic ὁ λόγος (uti dici volunt *Vict. Euth. Volkmar*), sed intelligi oportet salutis acceptae narrationem, vel : divulgavit *rem*, ita ut λόγος adhibeatur quemadmodum דָּבָר (cf. *Mald. Calm. Schanz, Fil.*). Et quanta inde populi commotio orta sit, refertur, *ita ut iam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset et conveniebant ad eum undique;* Christus itaque se recipit in regiones solitarias, ibi per aliquod tempus versatur et turbas quae undique ad eum confluunt docet. Cum leprosus impetu grati animi beneficium et benefactorem notum faceret, plerumque eum ab inobedientia excusant. Poterat etiam intellexisse mandatum Christi solum valere, donec se sacerdoti sistens ab eo esset declaratus mundus; quem sensum verba : nemini dixeris, sed vade etc. habere possunt. Ceterum patet non potuisse prorsus latere eum esse sanatum.

2. *Pharisaeorum in Iesum odium* 2,1-3,6.

Dum turbae Iesum admiratione prosequuntur, scribae et pharisaei invidia et simultate in eum exardescunt. Manifestant scil. indolem regno messiano plane adversam. Duces populi cum tales sint, immo cum iam eo progrediantur, ut de Iesu perdendo cum herodianis consilium ineant, tristi praesagio innuitur eorum perversitate fore ut demum populus Messia reiecto a Deo reprobetur. — Exemplis allatis evangelista docet quae bona Messias allaturus sit, remissionem scil. peccatorum, novum foedus, abolitionem iugi a scribis populo impositi. Divina autem Christi natura demonstratur eo quod peccata remittit et dominum sabbati se

probat. Verum quo magis suam manifestat potentiam et benignitatem, eo maiore contumacia adversarii eius obdurantur.

a) Sanatio paralytici 2,1-12.

2,1. Et iterum intravit Capharnaum post dies; 2. et auditum est quod in domo esset; et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad ianuam; et loquebatur eis verbum.

3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur. 4. Et quum non possent offerre eum illi prae turba, nudaverunt tectum ubi erat; et patefacientes submiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat. 5. Quum autem vidisset Iesus fidem illorum, ait paralytico : Fili, dimittuntur tibi peccata tua. 6. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis : 7. Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? 8. Quo statim cognito Iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis : Quid ista cogitatis in cordibus vestris? 9. Quid est facilius dicere paralytico : Dimittuntur tibi peccata; an dicere : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula?

10. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata (ait paralytico) : 11. tibi dico : Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.

12. Et statim surrexit ille : et, sublato grabato, abiit coram omnibus; ita ut mirarentur omnes, et honorificarent Deum, dicentes : quia nunquam sic vidimus.

2,1. Καὶ εἰσελθὼν πάλιν εἰς Καφαρναοὺμ δι' ἡμερῶν ἠκούσθη ὅτι ἐν οἴκῳ ἐστίν· 2. καὶ συνήχθησαν πολλοὶ, ὥστε μηκέτι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν· καὶ ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον.

3. Καὶ ἔρχονται φέροντες πρὸς αὐτὸν παραλυτικὸν αἰρόμενον ὑπὸ τεσσάρων. 4. καὶ μὴ δυνάμενοι προσενέγκαι αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, ἀπεστέγασαν τὴν στέγην ὅπου ἦν, καὶ ἐξορύξαντες χαλῶσι τὸν κράββατον, ὅπου ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο. 5. καὶ ἰδὼν ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν λέγει τῷ παραλυτικῷ, Τέκνον, ἀφίενταί σου αἱ ἁμαρτίαι. 6. Ἦσαν δέ τινες τῶν γραμματέων ἐκεῖ καθήμενοι, καὶ διαλογιζόμενοι ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν, 7. ὅτι οὗτος οὕτω λαλεῖ; βλασφημεῖ· τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός; 8. καὶ εὐθὺς ἐπιγνοὺς ὁ Ἰησοῦς τῷ πνεύματι αὐτοῦ, ὅτι διαλογίζονται ἐν ἑαυτοῖς, λέγει, Τί ταῦτα διαλογίζεσθε ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; 9. τί ἐστιν εὐκοπώτερον, εἰπεῖν τῷ παραλυτικῷ, Ἀφίενταί σου αἱ ἁμαρτίαι, ἢ εἰπεῖν, Ἐγείρου, καὶ ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ περιπάτει;

10. Ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀφιέναι ἁμαρτίας ἐπὶ τῆς γῆς (λέγει τῷ παραλυτικῷ) 11. Σοὶ λέγω, ἔγειρε, ἆρον τὸν κράββατόν σου, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.

12. καὶ ἠγέρθη καὶ εὐθὺς ἄρας τὸν κράββατον ἐξῆλθεν ἔμπροσθεν πάντων· ὥστε ἐξίστασθαι πάντας, καὶ δοξάζειν τὸν Θεὸν, ὅτι οὕτως οὐδέποτε εἴδομεν.

In v. 1 εις οικον A C Γ Δ Π unc 7 al pler. In v. 2 και ευθεως A C D Γ Δ Π unc 7 al fere omn a c e f ff^2 g^1 q go; ut non caperet *domus* dub eg lich ken; a d f ff^2 q ita ut iam non posset capere usque ad ianuam; c ut non caperet introitus ianuae. In v. 3 lich ad eum offerentes. In v. 4 προσεγγισαι A C D Γ Δ Π unc 7 al pler arm go ev hier; a c e ff^2 b g^{12} accedere non possent. In v. 5 σοι αι αμαρτιαι σου A C^3 E H K M^2 S U V Γ Π al pler a c d f q ev hier; *tua* big dub eg lich ox. In v. 6 syr (sch) add et de pharisaeis. In v. 7 τί; solum B οτι; λαλει βλασφημιας in A C Γ Δ Π unc 8 al pler syr arm aeth go. In v. 8 om ευθυς D aliq minusc; item a b c ff^2 g^1 q dub syr (sch) arm aeth; spiritu *sancto* g^2 gat eg wil lich. In v. 9 και υπαγε ℵ L Δ Ti, D 33. add εις τον οικον σου; item *vade* big,

in domum tuam big lich ken a ff² g² arm. In v. 12 steph sixt abiit *inde*; eg coram omnibus *tulit*.

In sanatione paralytici Iesus se probat medicum animae et corporis. Eximio modo suam quoque naturam divinam manifestat cognitione secretorum cordium et potestate sibi propria remittendi peccata. Dum turbae Deo gloriam dant, scribae ne utroque quidem miraculo ad meliorem de Iesu notionem redeunt. Quanta itaque sint perversitate adversarii Iesu, iam incipit evangelista ostendere. Longiore temporis spatio interiecto Christus rediit Capharnaum; v. 1 *et iterum* (cf. 1,21) *intravit Capharnaum post dies*, δι' ἡμερῶν, *Theoph.* διελθουσῶν ἡμερῶν τινων, interiectis diebus; longius spatium esse intelligendum elucet ex 1,39; quare merito reiicit *Mald.* lectionem multorum veterum latinorum et quorundam graecorum exemplarium : post dies octo; nam post discessum praedicabat Iesus in multis Galilaeorum synagogis; proinde sabbata haud pauca interea praeteriisse manifestum est. Christum clam et latenter, noctu fortasse (*Mald. Ians.*) urbem intrasse, probabile redditur ex 1,45 et v. 2 *et auditum est quod in domo esset;* « verum ut non potest latere sol, ita nec Dominus Iesus; rumor enim, ut sit a paucis exortus, iam per omnem civitatem sparserat Iesum esse in aedibus » (*Ians.*). Intelligi domum Petri, ex 1,29 suadetur (*Mald. Schanz*) neque obstat ἐν οἴκῳ sine articulo, cum id poni possit modo adverbiali uti κατ' οἶκον, uti domi; ergo cum esse domi auditum est. Quod graece habetur εἰσελθὼν... ἠκούσθη ὅτι... ἐστίν, potest verti : ingressus auditus est; alii εἰσελθὼν demum referunt ad ὅτι... ἐστίν, qua traiectione satis dura non opus est, cum prior verbi constructio etiam apud profanos scriptores reperiatur.

Quam primum rumor spargebatur, tanta vis hominum eo confluxit, ut non solum domus impleretur, sed etiam non caperent multitudinem ea loca quae circa ianuam erant (*Ians.*); *et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad ianuam*, dilucide ex graeco : ut non iam caperent (eos) ne ea quidem (loca) quae sunt ad ianuam; proin et tota domus erat repleta et vestibulum quoque non poterat eos omnes capere qui Iesum videre et audire desiderabant. Tantum iam valuit Christus doctrina et miraculis; *et loquebatur eis verbum*, et ex Luc. 5,17 virtus Domini erat ad sanandum eos. Ceterum nota hunc v. 2 esse Marco proprium iterumque facile referri ad Petrum testem, ut etiam quod dicitur v. 3 paralyticum esse *a quattuor* portatum; v. 3 *et venerunt* ἔρχονται tempore praesenti res quasi praesens sistitur magisque oculis subiicitur, *ad eum ferentes paralyticum*, membris captum, nervorum resolutione laborantem, *qui* affixus scil. lecto *a quattuor portabatur;* v. 4 *et cum non possent offerre eum illi prae turba* vel ut alia est lectio προσεγγίσαι,

cum non possent accedere ad Iesum, *nudaverunt tectum ubi erat;* tecta scil. apud Iudaeos plana erant, in areae formam complanata; declivitas enim tectorum solet esse perexigua, quae vel a medio vel ex altero latere protenditur, ita ut decem pedibus vix semialterum pollicem efficiat (cf. *Calm. Iahn,* Archaeol. bibl. § 34). Domus autem in exteriore pariete quoque instruebantur scala, qua ascendi posset in tectum. Disceptant utrum eiusmodi ascensus ex atrio an ex platea patuerit; hoc contendunt *Fil. Weiss* et *Wetstein,* ut videtur, dum scribit : quomodo tectum conscenderint, a Romanis quibus Marcus scribebat facile intelligebatur, utpote apud quos scalae coenaculorum in publicum erant proiectae; illud *Schegg, Schanz.* Tectum retexerunt ἀπεστέγασαν τὴν στέγην, tegulas summoverunt, vel tecti pavimentum, quod ex terra congesta et compacta paratum erat, aperuerunt, *et patefacientes* ἐξορύξαντες postquam effoderunt i. e. tectum quantum satis erat removerunt et detexerunt; idem accuratius exprimitur quod in ἀπεστέγασαν dictum est (uti iam *Dion.* notat, *Weiss*), quamvis aliqui id de eruto pavimento dici censeant; ita apertione facta *submiserunt* (funibus) *grabatum in quo paralyticus iacebat,* uti Luc. 5,19 per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.

Aliqui opinantur Christum docuisse in atrio; id quod ni alia obstarent probabile videri posset quia dicitur v. 2 et loquebatur eis verbum, postquam narratum est ne ea quidem loca ad ianuam potuisse capere hominum turbas. Quod autem de nudatione tecti dicitur accipiunt de lorica vel muro tecti quam loricam removerint ut possent lectum demittere. Erant quippe tecta domorum ne quis decideret cincta lorica seu muro qui versus plateam et aream domus tam alte assurgere solebat, ut viro fere ad pectus pertingeret. Eiusmodi murus ex legis praescripto fieri debuit Deut. 22,8. Verum haec explicatio viros illos hunc parietem esse demolitos, ut paralyticum in aream demitterent (*Iahn* l. c.), verbis planis et apud Marcum et apud Lucam contraria est. Meliore modo rem concipi posse ostendit *Calm.;* in medio areae tecti spatio patuisse fenestram valvis desuper patentibus clausam, additis circum cancellis, — valvae extollebantur, cum diei lux in subiectum conclave erat admittenda; claudebantur, cum nimius esset solis aestus, sive plueret vel ningeret, — has igitur valvas esse sublatas; sed ut narrationi satisfiat saltem addi oportet spatium valvarum non suffecisse et idcirco partem quoque tecti esse remotam.

Quaerunt etiam in quo conclavi Christus docuerit. Aliqui volunt in superiore conclavi, quia ex tecto demittant et quia Iudaei in conclave superius ascendere consueverint, cum de rebus ad religionem pertinentibus agerent (*Lightfoot* ad h. l. *Schanz, Meyer*). At dubitare licet habueritne domus Petri duas contignationes; probabilius est domum nulla fuisse contignatione divisam, uti plerasque nunc in oriente consuetas (*Calm.*); dein ex conclavi in-

feriore facilius poterat turbas docere; in coenaculum superius potius solitudinis et tranquillitatis causa se recipere solebant (cf. 2 Reg. 18,33). Unde cum *Calm. Fil. Keil* dicendum erit Christum non in aliquo conclavi superiore fuisse. Ceterum tecta aperire et facile erat neque adeo insuetum. Narrat *Iosephus*, cum domus quaedam deprehenderentur refertae militibus fugitivis, Herodem evulsis domorum tabulatis (τοὺς ὀρόφους τῶν οἰκων ἀνασκάπτων) illos iactis superne saxis acervatim confici iussisse (Antiq. 14,15. 12). Alia exempla in medium affert *Schegg* ex Thuc. 1,134; 4,48; Xen. Hell. 6,5. 9. Ex tractatu Moed katon afferunt *Lightfoot*, *Schegg*. *Wünsche* : cum mortuus esset rabbi Huna, feretrum eius per ostium efferri non potuit; visum est ergo illis per tectum illud demittere. — Κράβαττος vox est macedonica; cum Latinis grabatus vox sit satis usitata, Marcus eam ex consuetudine romana hausisse videtur.

Ex conatu hoc simul colligitur quanto desiderio sanationem a Iesu expetant. Haec enim exspectatio eos impulit, ut *Vict.* dicit, ad rem miram faciendam. Certo itaque credebant Iesum et posse et velle misero homini sanitatem reddere; v. 5 *cum autem vidisset Iesus fidem illorum* portantium (*Vict.*), sed certe utrorumque, et portantium et aegroti (*Theoph. Salm. Ians.* vide ad Matth. 9,2) *ait paralytico : fili, dimittuntur tibi peccata tua;* τέκνον, en quanta amoris significatione Iesus eum alloquitur; « o mira humilitas! despectum et debilem totisque membrorum compaginibus dissolutum filium vocat quem sacerdotes non dignarentur attingere; aut recte ideo filium, quia dimittuntur ei peccata sua » (*Beda*). Ostendit Iesus multo maioris momenti esse pro aegroto, ut animi morbus sanetur. Neque improbabile est innui morbum illum poenam esse propter peccata inflictam, uti alia occasione Christus dicit : ecce sanus factus es; iam noli peccare (μηκέτι ἁμάρτανε, ne amplius pecces), ne deterius tibi aliquid contingat (Ioan. 5,14; *Theoph. Beda*). Christus sua auctoritate dimittit peccata; ita intelligunt scribae et debebant intelligere quia nullam mentionem facit ac si Deum precaretur ut remitteret vel sibi a Deo eorum remissionem esse revelatam; idemque Christus in v. 10 asserit. Quare *Weiss* perperam explicat : Christus annuntiat aegroto remissionem peccatorum, quae ei nunc per ipsum a Deo conceditur[1], quae explicatio et cum verbis pugnat et quam maxime cum ea auctoritate quam Christus sibi in v. 10 vindicat.

Ex eo quod Christus ei peccata remittit, plane consequitur *fidem eorum* non posse referri ad solos eos qui portent aegrotum. Recte enim advertunt

1. *Erasmus* in paraphrasi ponit *remittuntur*. Alias scribit : « ut nos poneremus *remittantur*, in causa fuit quidam insigniter graece doctus, ad haec non mediocri vir auctoritate qui consultus super hoc loco iussit ut suo periculo verterem *remittantur*; obsecutus sum et fassus ».

Salm. Ians. posse quidem sanitatem corporalem alicui conferri et collatam esse aliquando a Christo solo intuitu fidei alienae; spiritualem tamen sanitatem quae in peccatorum remissione consistat in adultis accipi non posse sine propria fide. Ita profecto res se habet in praesenti providentiae supernaturalis ordine, Christum autem hunc ordinem neglexisse certe dici nequit. Ipsum aegrotum praeterea conscientia peccatorum motum esse coram Iesu ad salutarem verecundiam et poenitentiam, colligitur ex verbo Christi Matth. 9,2 confide (vide quae dixi ad h. l.). Si igitur quidam dicunt aliena fide hominem illum exterius interiusque salvatum surrexisse et aliorum merito relaxari aliis errata (*Bed. cat. aur.*), id benigna indiget interpretatione, alios scil. impetrare a Deo ut cuidam gratia et fides a Deo detur atque eo modo is ad salutem perveniat. Atque ita rem esse concipiendam et esse intellectam ostendit S. Ambrosius, dum in Luc. 5,20 scribit : « magnus Dominus qui aliorum merito ignoscit, et dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cum apud Dominum servus et interveniendi meritum et ius habeat impetrandi? disce qui iudicas ignoscere, disce qui aeger es impetrare. Si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe Ecclesiam quae pro te precetur, cuius contemplatione quod tibi Dominus negare posset ignoscat » (*M.* 15,1638).

Uti S. Lucas refert, aderant pharisaei et legis doctores i. e. scribae ex omni castello Galilaeae et Iudaeae et Ierusalem. Christi itaque operibus et auctoritate in populum iam inducuntur, ut insidiose eum observent. Verum miraculis eius patratis iam discere debebant eum esse missum a Deo; insuper iis quale testimonium reddidisset baptista notum erat. Quare eorum de Iesu iudicium iam non vacabat culpa; v. 6 *erant autem illic quidam de scribis sedentes et cogitantes in cordibus suis* v. 7 *quid hic sic loquitur? hic* cum contemptu dici videtur, uti ipsa interrogandi forma exprimitur indignatio; *blasphemat; quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* qua sententia simul ratio blasphemiae indicatur, qua scil. sibi attribuat id quod soli Deo competat. Blasphemia qua quis reus mortis reddebatur et quam qui audierint vestes scindere debebant committebatur, si quis nomini Dei per ipsum nomen Dei maledicebat. Ita saltem ex rabbinorum placitis (cf. *Surenhusius* IV p. 242; tract. de synedriis 7,5) quae derivarunt ex Lev. 24,15. 16. Iesus autem iis statim documentum praebet altioris suae potestatis cum ostendat se cognoscere secreta cordium quae soli Deo esse pervia in libris sacris docetur, cum solus Deus scrutans corda et renes appelletur et solus dicatur nosse cor filiorum hominum (3 Reg. 8,39. 1 Par. 28,9. Ps. 7,10. Ier. 17,10); v. 8 *quo statim cognito Iesus spiritu suo quia sic cogitarent intra se;* ipse per se cognovit, spiritu suo, non alieno, quemadmodum prophetae non suo spiritu, sed divino quorundam cogitationes noscere poterant (*Salm. Ians.*); per se, non alio eum docente cognovit (*Patr. Fil.*),

dicit illis : quid ista cogitatis in cordibus vestris? « pharisaei quidem Dominum arguebant ut blasphemum; Dominus autem et aliud dedit documentum Deum se esse verum, nempe se corda illorum cognoscere; Deus enim solus novit quae in corde cuiusvis sunt. Illi tamen revelatis etiam cordium suorum cogitationibus permanent insensati non concedentes posse remittere peccata illum qui corda ipsorum norat; fidem igitur facit ac stabilit corpus sanando posse se etiam animam sanare » (*Theoph.*).

Per id quod manifestum est confirmat id quod cerni nequit v. 9 *quid est facilius dicere paralytico : dimittuntur tibi peccata, an dicere : surge, tolle grabatum tuum et ambula?* dicere scil. cum vi et efficacia operis, ut ipsa dictio sit effectio. Dimittere peccata utique ad altiorem ordinem pertinet; at cum effectus remissionis exterius non cernatur, effectus autem sanationis statim oculis videatur, miraculum sanationis aptum est quo Christus probet etiam priora verba non caruisse effectu. Modum loquendi Christi *Theoph.* ita explicat : fortasse scribae talia cogitabant : ecce impostor, omisit curare corpus quod est in manifesto et sanat animam invisibilem; si posset sanare corpus, non confugeret ad id quod videri nequit. Quam explicandi rationem *Ians.* reiicit; ipse vero ita concipit : « vos me arbitramini blasphemum quod iudicetis me vindicare potestatem Deo propriam; sed vestrum requiro iudicium, utrum horum duorum maioris est potestatis, serio et cum efficacia dicere *remittuntur tibi peccata* an dicere *surge et ambula?* Non dubitem quin utrumque sit aequalis immo eiusdem potestatis, idque divinae, cum solius Dei sit verbo praestare quidquid voluerit; itaque eandem sibi potestatem arrogat qui hoc serio dicere praesumit quam sibi vindicat qui dicit *remittuntur tibi peccata*, ut aeque blasphemus sit qui illud dicit atque qui hoc dicit. Hoc tantum interest, quod ex conspecto ipso effectu secuto manifeste deprehendi potest non falso et arroganter potestatem vindicatam, si quis dicat *surge et ambula* ».

Quare veritatem verbi de remissione probat efficacia verbi sui in sanatione corporis efficienda v. 10 *ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata* (*ait paralytico*) : v. 11 *tibi dico, surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam;* scribis, doctoribus legis ulterius insinuat quis sit, dum se vocat Filium hominis, appellatione ex Daniele propheta nota (Dan. 7,13. 14) qua se declarat eum cui dabit Deus potestatem et honorem et regnum et cui omnes populi, tribus et linguae servient. Ceterum vide ad Matth. 9,6[1]. Iubet

1. Et vide quae de ea appellatione egregie disputavit *Zenner* in Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1892 p. 569 seq., qui bene explicat cur constanter legatur apud evangelistas ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου i. e. unde explicandus sit articulus τοῦ; comparat scil. versionem

eum tollere lectum ad declarandum quod non solum sanaverit, sed et virtutem indiderit (*Theoph. Salm.*). Quam potens sit verbum Christi, ipsa re exhibetur v. 12 *et statim surrexit ille et sublato grabato abiit coram omnibus;* salus est subita, quia *statim,* integra, quia dissolutus per omnes artus consolidatus *surrexit,* vigorosa, quia *sublato grabato* abiit, aperta sive manifesta, quia *coram omnibus* abiit (*Alb.*). Atque fructus exsistit apud turbas, ut Matth. indicat 9,8; eodemque modo intellige : *ita ut mirarentur omnes et honorificarent Deum dicentes : quia nunquam sic vidimus;* ὥστε ἐξίστασθαι plus dicit quam mirari, ut essent attoniti et velut extra se (*Erasmus*); maxima haec admiratio qua percelluntur non est sterilis, sed affert fructum, ut Dei gloriam et laudem aperte annuntient. Ad hos *omnes* non esse adnumerandos scribas eo quoque patet quia in subsequentibus inveteratae illorum malitiae exempla et documenta satis multa et aperta reperiuntur. — Stupentes exclamant : *nunquam sic vidimus,* nunquam talis aspectus nobis oblatus est; verba sunt obvia, neque opus est supplere vel τι vel τοιοῦτο vel : sic Iesum nunquam vidimus (*Schegg*) ac si priora Iesu opera cum hoc miraculo compararent.

Varia quae ad piam applicationem spectant et ad documenta vitae colligenda ***Theoph. Bed. Salm. Schegg*** praebent.

Ordinem quo haec quattuor miracula inter se subsequuntur, S. Petrus Damianus mystice explicat : « qui ordo si diligenti cura perpenditur manifeste docet, quanta magisterii arte Spiritus sanctus scribentis calamum tenuit, et ad declarandum redemptionis humanae mysterium quasi per quandam lineam omnia dispensavit ». In deiectione enim primi hominis principio locutum esse diabolum, dein mulierem delectationis concupiscentia veluti aestuantis febris ardorem incurrisse, Adam autem vitiorum lepra fuisse perfusum et tamquam paralyticum a bonis operibus languore constrictum. Filium Dei autem per eandem viam opera diaboli destruxisse « quatenus et diabolum qui in ruinam nostram locutus fuerat iamiam tacere compelleret et Evam a febribus aestuantis concupiscentiae liberaret, a viro non modo lepram vitiorum scelerumque detergeret, sed eundem quoque eatenus paralyticum ad exercenda pietatis opera validum liberumque laxaret. Sicut ergo in illis hominibus totum periit genus humanum, sic in istis a Salvatore curatis est superioris figurae mysterio saluti pristinae restitutum » (Collectanea ex novo test.; *M.* 145,897).

graecam Eccl. 3,18. 19. 21, ubi hebr. רוח בני האדם (et similia) redditur πνεῦμα υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου, qua in versione quid sibi velit articulus τοῦ, dubium esse nequit; serviliter versio sequitur hebraeum. Iam graecus venetus eandem dictionem reddit τὸ πνεῦμα τῶν υἱῶν τοῦ ἀνθρώπου; in qua versione prior articulus τῶν consentaneus est modo loquendi Graecorum, alter τοῦ vero correspondet generi dicendi semitico. Eundem vertendi modum notat *Zenner* Gen. 6,2. 4; 11,5 quo ultimo loco בני האדם apud LXX legitur οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. Eodemque modo explicandum esse grammatice ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ostendit, quare vertendum sit germanice non der Sohn des Menschen, sed solum der Menschensohn. Quaedam alia quae inde consequantur vide l. c. p. 571.

b) Vocatio Matthaei 2,13-17.

2,13. Et egressus est rursus ad mare omnisque turba veniebat ad eum; et docebat eos.

14. Et quum praeteriret, vidit Levi Alphaei sedentem ad telonium, et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum. 15. Et factum est, quum accumberet in domo illius multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Iesu et discipulis eius: erant enim multi, qui et sequebantur eum. 16. Et Scribae et Pharisaei videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus, dicebant discipulis eius: quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester? 17. Hoc audito Iesus ait illis: non necesse habent sani medico, sed qui male habent; non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

2,13. Καὶ ἐξῆλθεν πάλιν παρὰ τὴν θάλασσαν· καὶ πᾶς ὁ ὄχλος ἤρχετο πρὸς αὐτὸν, καὶ ἐδίδασκεν αὐτούς·

14. Καὶ παράγων εἶδε Λευὶν τὸν τοῦ Ἀλφαίου, καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον, καὶ λέγει αὐτῷ, Ἀκολούθει μοι. καὶ ἀναστὰς ἠκολούθησεν αὐτῷ. 15. Καὶ γίνεται κατακεῖσθαι αὐτὸν ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ, καὶ πολλοὶ τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ συνανέκειντο τῷ Ἰησοῦ καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ· ἦσαν γὰρ πολλοὶ, καὶ ἠκολούθουν αὐτῷ. 16. καὶ οἱ γραμματεῖς τῶν φαρισαίων ἰδόντες ὅτι ἐσθίει μετὰ τῶν ἁμαρτωλῶν καὶ τελωνῶν, ἔλεγον τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι μετὰ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν ἐσθίει; 17. καὶ ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς, ὅτι οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες. οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλούς.

In v. 14 pro Levi praebent *Iacobum* D 13.69. codd Origenis a b c e ff^2 g^1. In v. 15 κατακειμενων αυτων D; item discumbentibus illis (recumb.) a b c e ff^2; ησαν γαρ πολλοι οι και D; item b f ff^1 g$^{1\,2}$ vulg. In v. 16 των φαρισαιων cum ℵ B L Δ 33 b Ti W H; και οι φαρ A C D Γ Π unc 9 al pler it pl vulg syr (utr) arm go; Ti ita τῶν φαρισαίων. καὶ ἰδόντες; sed hoc και W H minime habent; ev hier et scribae iudaeorum; οτι ησθιεν ℵ D L, αυτον εσθιοντα A C Γ Δ Π unc 9 al pler a f q go; τι οτι μετα των τελωνων A C Γ Δ Π unc 9 al pler; εσθιει και πινει in pler codd, neque tamen in ℵ B D a b e ff^2; add o διδασκαλος υμων in ℵ C L Δ 69. al plus 10 c f ff^1 g^1 l vulg (excipe val) cop aeth sax; ev hier quare... vos editis et bibitis. In v. 17 add in fine εις μετανοιαν C Γ unc 8 al pl cat Vict.; *in poenitentiam* eg; item a c ff^1 g^1.

Dum Christus prius animam sanavit quam corpus, immo corpus solum ea de causa sanasse videtur ut suam curandi animi morbos probaret potestatem, iam se manifestavit salvatorem spiritualem, qui uti daemonum potentiam frangit et sua doctrina homines ad sanctitatem erudit, ita quoque mortem animi quae in peccato consistit aufert et veram vitam largitur. Atque ut talis salvator qui peccatores ad salutem adducit etiam in hac narratione modo quodam praeclaro ostenditur. Nam unum ex iis qui iure quodam praecipuo apud Iudaeos peccatores habebantur vocat ut suus evadat comes ac discipulus; dein consuetudine familiari utitur cum peccatoribus, ut eos ad regnum Dei et salutem adducat; immo totam muneris sui rationem eo contineri asserit, ut vocet peccatores. Quam longe autem absint a regno Dei ii qui apud Iudaeos tamquam doctores et aemulatores legis auctoritate valebant, scribae et pharisaei, pariter manifestatur, dum ea Christi agendi ratione offendun-

tur. Ita quid intersit inter Christum et duces populi ipsa re ostenditur.

De vocatione Matthaei vide Matth. 9,9-13 et Luc. 5,27-32. Solus Matthaeus ipsum nomen effert, sicut etiam dum apostolos enumerat se publicanum nominat (10,3); reliqui nomen alterum quod eum gessisse plerique censent antequam Iesum sequeretur, Levi efferunt. Omnes tres narrationem collocant post sanationem paralytici. Verum ex solo Marco patet clare temporis intervallum longius intercessisse; v. 13 *et egressus est rursus ad mare*, ad mare exiisse solus nos docet Marcus; exiit ex Capharnaum *rursus*, uti 1,35 (*Schanz*), vel uti plerique iungunt rursus ad mare, ita ut πάλιν referatur ad 1,16 (*Mald. Calm. Keil, Weiss*); uti antea praeteriens secus mare vocavit discipulos ad clientelam, ita rursus ad lacum profectus inventum ibi Levi vocavit (*Calm.*). Eum egressum esse ex urbe, ut miraculo patrato admirationem turbarum (v. 12) vitaret, veteres innuunt; eum exiisse clam turbis antea dimissis, apparet quia non dicitur : et turbae sequebantur vel comitabantur eum, sed *omnisque turba veniebat ad eum* i. e. eum quaerebat et sese ad eum conferebat. Cur ad mare exierit, rationem affert *Mald.* haud incongruam : ut negotiatores quoque qui mercaturae causae iuxta mare versabantur doceret qui suo quisque lucro intenti ad audiendam doctrinam non venissent antea in urbem; *et docebat eos;* ἐδίδασκεν uti ἤρχετο longius temporis spatium indicare videtur.

Ibi quoque ad mare telonium fuisse et propter commercium maritimum probabile fit et eo quoque quia via ex Ptolemaide Damascum versus etiam mare Tiberiadis legebat; v. 14 *et cum praeteriret vidit Levi Alphaei* τὸν τοῦ Ἀλφαίου i. e. Levi, filium Alphaei, *sedentem ad telonium;* erat itaque portitor, qui vectigal vel portorium mercium exigebat, quod hominum genus Iudaeis abominationi erat quia eiusmodi vectigal Romanis i. e. alienigenis erat pendendum et quia portitores ad faciendum lucrum multis uti solebant vexationibus; unde portitores quia Romanis serviebant ad opprimendum et vexandum populum Dei tamquam apostatae considerabantur. Secundum usum latinum publicani ii dicuntur qui ordinis equestris homines portoria et vectigalia totius provinciae redimebant[1] certa pecuniae summa; portitores ab iis deputabantur, ut in singulis urbibus ea exigerent. Utrique quam maximum lucrum facere satagebant. Quam potens sit Dei gratia, exemplo demonstratur; *et ait illi : sequere me; et surgens secutus est eum;* eum invitat ut relicto negotio sibi adhaereat ut discipulus et Levi sine ulla mora obsequitur.

1. Quae affert *Baronius* ad an. 31 n. 72 digna sunt quae legantur : « quinam fuerint publicani, e loco unde sumpserunt originem interpretatio sumenda est. Iurisconsulti qui Romanorum leges sunt interpretati illos dixere esse publicanos qui vectigalia a fisco conducunt

Nominibus Levi et Matthaei unum eundemque designari certum est; cf. *Cornely*, Introd. III p. 15 seq.; ita statuunt veteres et recentiores quoque, si aliquos rationalistas excipias. Cum dicatur filius Alphaei, in catalogo apostolorum autem Iacobus filius Alphaei recenseatur, explicatur, cur in D et in tribus minusculis et in a b c e ff^2 g^1 legatur : εἶδεν Ἰάκωβον. Qui in aliquibus codicibus dicitur Λεββαῖος, cum aliqui hunc nostrum Levi putabant, cuius nomen ex Λεϐι, Λεϐῆς ortum sit; quam sententiam non plane reiicit Origenes c. Cels. 1,62 : « sit et Levi (ὁ Λεϐῆς) publicanus qui Iesum secutus sit; at non fuit ille ex apostolorum numero, nisi iuxta quaedam evangelii secundum Marcum exemplaria »; nam Marc. 3,18 legitur in aliquibus codicibus pro Thaddaeo Lebbaeus (D a b ff^2 i q). Sed uti Cotelerius bene notat (ad Const. apost. 8 c. 22) : Origenes explicandus videtur per concessionem : detur Levin asseclam Christi alium esse a Matthaeo pariter publicano; at nomen Levis in catalogis apostolorum non exstat nisi excipias quosdam Marci evangelistae codices. Agit enim Origenes contra Celsi accusationem Christum apostolos ex publicanis selegisse.

Levi gaudio exsultans Iesu eiusque discipulis parat convivium; Iesus in domum eius divertit, ut ostendat quanta familiaritate eos complectatur qui sibi obsequentes a rerum temporalium cura et a vita peccaminosa recedant; v. 15 *et factum est cum accumberet in domo illius* ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ, intelligi domum Matthaei planum est tum ex Lucae narratione 5,29, tum quia sequitur τῷ Ἰησοῦ, quare perperam *Meyer* explicat de domo Iesu, *Volkmar* de domo Simonis. Verum uti Iesus vocatis Petro et Andrea in eorum domum divertit, ita vocato Matthaeo in domo Matthaei accumbit. Iesus se amicum peccatorum et medicum ostendit; *multi publicani et peccatores simul discumbebant cum Iesu et discipulis eius*, tanta scil. eius allecti benignitate qui a scribis despectui haberi solebant; Iesus autem cum unum eorum numero discipulorum suorum accensuisset aperte professus est neminem a se repudiari, immo curam peculiarem impendi saluti eorum qui ceteris profundius miseriae peccatorum implicantur. Id quod eorum animis eo maiorem attulisse censendum erit fiduciam, alacritatem, exsultationem, quod Iesus iam ubique tanta innotuit auctoritate et aestimatione et quod eius agendi modus longissime recedebat a fastidio et supercilio scribarum.

id Ulpianus et Caius affirmaverunt... Huius quidem muneris functio apud Romanos honestissima erat, ut quae nonnisi equestris ordinis nobilibus Romanis conferri soleret, quod ex his accipies : scribit Cicero ad M. Brutum de Terentio Varrone, quod se in publicanorum societatem contulerit; quod, inquit, homo versatus in utrisque subselliis existimavit honorem honestissimum (epist. famil. lib. 13). Idem in oratione pro Plancio, cum agit de publicanorum ordine haec ait : qui ordo quanto adiumento sit in honore quis nescit? Flos enim equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicae publicanorum ordine continetur. Rursus etiam idem scribens ad Q. fratrem de regimine praefecturae asianae plura habet de dignitate publicanorum et quantum prosint romanae reipublicae pluribus disserit additque nomen publicanorum non tantum Iudaeis sed et Graecis fuisse infensissimum ac plane invidiosum. — Mittebantur hi in provincias ad vectigalia exigenda, qui ex iisdem provinciis homines quos eidem muneri adscriberent sibi eligebant... Hi apud Iudaeos habebantur infames atque una cum ceteris turpibus personis a magistratibus publicis arcebantur »

Quod sequitur *erant enim multi* (*qui*) *et sequebantur eum* non uno modo accipitur; sat multi id referunt ad publicanos (*Bed. Mald. Calm. Schegg, Fil. Meyer*); « hoc solus dixit Marcus, ut efficacitatem fructumque praedicationis Christi declararet, qua moti multi etiam publicani et peccatores eum tamquam magistrum discipuli sectarentur; hanc vim habet particula illa *et* quasi dicat publicanos et peccatores multos non solum libenter audivisse Christum et quae ab eo dicebantur credidisse, sed secutos etiam fuisse eum quoquo pergeret; peccatores autem vocat non eo sensu quo omnes homines et sunt et vocari solent, sed eo quo Iudaei solos gentiles aut gentilium similes publicanos qui negotia Caesaris agebant appellabant » (*Mald.*). Quae tamen acceptio non caret difficultate; nam multos publicanos et peccatores simul discubuisse cum Iesu modo dictum est; cur ergo repeteretur statim iterum *erant enim multi?* neque opus erat notare multos exsistere eiusmodi homines. Dein cum hoc loco dicatur Christus primum cum peccatoribus conversari, etiam non exspectamus dici generatim solitos esse peccatores magno numero eum sequi, id scil. supponeret iam a longiore tempore peccatores et publicanos fuisse comites Iesu. De qua tamen re in narratione eousque nullum reperitur indicium. Neque admitti potest quod compluribus arrisit : erant multi et *secuti eum erant* scil. in domum Matthaei. Obstat enim primo tautologia quae in *erant multi* habetur, neque facile ἠκολούθουν notione temporis plusquamperfecti accipi potest[1]; insuper inutile est postquam dictum est eos accumbere cum Iesu, addere eos secutos esse Iesum in domum. Nam qua alia ratione poterant esse in eadem cum Iesu domo? Nemo enim putabit eos iam ante vocationem Matthaei in eius domum convenisse.

Hisce perpensis altera commendatur acceptio quam *Patr.* proposuit, sententiam referri ad Christi discipulos quos multos fuisse et magistrum sequi solitos Marcus narret (ita quoque *Schanz, Weiss*). Cum enim Marcus prima vice mentionem discipulorum inferat, non erat abs re adnotare iam eorum numerum magnum fuisse eosque constanter in Christi comitatu versatos esse. Et Christum eo tempore iam multos habuisse discipulos nemo incredibile censere potest; nam non adeo multo post ex discipulis elegit duodecim apostolos et vocatio Matthaei versus finem primi anni vitae eius publicae ac praedicationis evenit (cf. *Cornely,* Introd. III p. 287). Ex lectione demum quam *Ti* adoptavit tertia eruitur acceptio, quam *Keil* adoptavit : erant enim multi (pu-

1. Quandoque etiam dicunt ἀκολουθεῖν significare sequi tamquam discipulum. Id quidem habetur in v. 14; at saepius quoque verbum dicitur alio sensu de iis qui Iesum solum per breve tempus comitantur, eum in desertum locum sequuntur; ita 3,7; 5,24; 6,1; 10,32. 52 11,9; 14,13. 51. 54 et ita quoque apud alios evangelistas.

blicani) et sequebantur eum etiam scribae pharisaeorum et videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus dicebant etc. Quae tamen explicatio etiam est impedita; nam multos adfuisse publicanos modo dictum est; ad quid igitur repetitur? dein cum Iesus dicatur iam domum ingressus et in domo accumbere, iterum oportet *sequebantur scribae* explicare tempore plusquamperfecto : secuti eum erant et videntes dicebant etc. Quare secunda explicatio praeferenda videtur qua et aliquid novi narratur et in *sequebantur eum* id exprimitur quod proprium est discipulorum eum sequi continuo.

Scribae in domum publicani et peccatoris non sunt ingressi. Neque id opus erat ut possent videre Iesum mensae accumbentem cum publicanis; v. 16 *et scribae et pharisaei*, secundum lectionem aliam : scribae pharisaeorum i. e. qui a partibus erant pharisaeorum et proinde quam maxime aemulatores legis ab omni cum peccatoribus contaminatione abstinendum esse docebant, *videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus dicebant discipulis eius : quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester?* discipulos aggrediuntur, ut eos vexent, a Iesu avertant sperantes se iis facile posse rei indignitatem persuadere; ipsum adire magistrum verentur quippe quem haud impune lacessi vel reprehendi iam erant experti. Simul ea offensione manifestant se prorsus nihil didicisse ex eo quod Christus sibi competere potestatem dimittendi peccata miraculo probavit. Tali enim cum sit potestate instructus, peccatores vult et debet praeparare et disponere ad remissionem accipiendam; proinde debebit cum iis agere, eos ad se allicere, iis sua comitate et affabilitate animos addère. Insuper si regnum Dei intellexissent tale quale a prophetis et a Ioanne baptista annuntiabatur, etiam perspicere poterant et debebant peccatoribus offerri salutem (cf. Is. 4,4; 42,3; 49,9. Ier. 3,22. Ez. 36,25 etc. Matth. 3,2. 8).

Respondet Christus modo proverbiali, sed eo quo se simul tamquam servatorem et reparatorem declaret v. 17 *hoc audito ait illis : non necesse habent sani medico sed qui male habent;* ergo se medicum esse ait generis humani peccatis perditi; cf. Is. 35,4 Deus ipse veniet et salvabit vos, 53,5 livore eius sanati sumus. Iam si medicus est, aegrotos debet adire; quid magis consequens esse potest? et quo quis maioribus et pluribus peccatis est implicitus, eo maiore necessitate adeundus erat a medico. Illa igitur scribarum quaestione patefit eos ne minime quidem ex agendi docendique ratione Iesu id percepisse quod tamen quam maxime in aperto erat positum, Iesum scil. ad id omni tendere conatu, ut morum emendationem apud omnes efficiat et populum ad veram pietatem instituat. Quare Iesus locutionem illam proverbialem propriis

verbis explicat addens : *non (enim) veni vocare iustos sed peccatores;* sensus est idem; quos antea sanos vocaverat nunc vocat iustos, quos male habentes nunc appellat peccatores; ut medicus curam impendit aegrotis, ut salvator salvat eos qui interitui obnoxii sunt i. e. peccatores. Iam vero ex peccato Adam omnes nascuntur peccatores, totum genus humanum male habet et multiplici morbo laborat, uti *S. Aug.* dicit : « aegrotat humanum genus, non morbis corporis, sed peccatis; iacet toto orbe terrarum ab oriente usque in occidentem grandis aegrotus; ad sanandum grandem aegrotum descendit omnipotens medicus; humiliavit se usque ad mortalem carnem tamquam usque ad lectum aegrotantis » (serm. 87, cap. 11 ; al. de verbis D. 59 ; *M.* 38,537). Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei, ut ait apostolus (Rom. 3,23).

Proinde non opus est quaerere quinam sint sani et iusti, vel quomodo Christus dicat se non venisse vocare iustos, cum tamen iusti quoque fuerint in vetere testamento et tempore Christi quos sane ad se invitaverit. Neque necesse est explicare aut cum *Alb.* eos vocari qui longe sint, iustos autem iam esse prope et cum Iesu coniunctos, unde eos non indigere vocatione, aut cum aliis Iesum loqui ironice : non veni ut vocarem vos qui vos ipsos iustificatis (*Theoph.*) quam acceptionem *Mald.* veterum esse auctorum merito dicit (ad Matth. 9,13). Verum manifestum est omnes a Christo vocari i. e. invitari ad poenitentiam, omnibus offerri varias gratias quibus se possint salvare et scribis quoque et pharisaeis Christum doctrinis suis ac reprehensionibus et miraculis multas obtulisse opportunitates resipiscendi. Neque oportet cum *Toleto* (ad Luc. 5 annot. 63) interpretari : « non *tam* veni vocare iustos *quam* peccatores; omnes quidem veni vocare, iustos et peccatores, sed magis indigebant peccatores, idcirco dico magis venisse propter hos, sicut medicus magis propter aegrotos venit quam propter sanos, etiam si hi medico indigeant ». Quare potius dicendum est cum *Cai.* : « duplici ratione confutat pharisaeos; prima est ex officio medici quae clara est; secunda ratio ex proprio officio; ubi nota quod non solum quatenus officium medici, sed etiam quatenus officium annuntiantis verbum Dei exercet, rationem reddit. In qua insinuat nullos iustos sed omnes peccatores esse; ex eo enim quod ipse venit vocare omnes et non venit vocare iustos, consequens est quod nullus sit iustus ». Proinde ut sententia illa una, Iesum esse medicum eumque venisse ut salvos faceret perituros i. e. peccatores, clare et cum emphasi efferatur, enuntiatur bis, affirmative semel, semel negative, id quod saepius fieri solet; vide Matth. 6,14. 15.

Matthaeus scribens illis qui Scripturas norunt addit : euntes autem discite quid est : misericordiam volo et non sacrificium (Os. 6,6). Marcus et Lucas id non habent, cum apud eos quibus scribunt libros vet. test. adeo esse notos minime supponere possint. — Perperam concipit *Meyer* καλέσαι *vocare* de invitatione ad convivium, ut probet convivium fuisse in domo Iesu

Iesumque fuisse instructorem convivii. Bene notat *Vict.* Iesum ostendere se non venisse et adesse tamquam iudicem, sed ut medicum; « id quod medico incumbit peragit; versatur cum aegrotantibus et iis qui sanatione indigent ». Quod vero idem dicit de vocatione Matthaei : si Christus videt margaritam in luto iacentem, illam accipit, benigne est interpretandum, ne error in doctrina de gratia enuntietur. Quare non est haec sententia cum aliquibus adeo admiranda, praesertim cum antea *Vict.* dixerit a Christo eligi dignos.

c) Quaestio de ieiunio 2,18-22.

2,18. Et erant discipuli Ioannis et Pharisaei ieiunantes; et veniunt, et dicunt illi : quare discipuli Ioannis et Pharisaeorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? 19. Et ait illis Iesus : numquid possunt filii nuptiarum quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare? quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare. 20. Venient autem dies quum auferetur ab eis sponsus; et tunc ieiunabunt in illis diebus.

21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri; alioquin aufert supplementum novum a veteri, et maior scissura fit. 22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt; sed vinum novum in utres novos mitti debet.

2,18. Καὶ ἦσαν οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ φαρισαῖοι νηστεύοντες· καὶ ἔρχονται καὶ λέγουσιν αὐτῷ, Διατί οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ μαθηταὶ τῶν φαρισαίων νηστεύουσιν, οἱ δὲ σοὶ οὐ νηστεύουσιν; 19. καὶ εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος ἐν ᾧ ὁ νυμφίος μετ' αὐτῶν ἐστὶν νηστεύειν; ὅσον χρόνον ἔχουσιν τὸν νυμφίον μετ' αὐτῶν, οὐ δύνανται νηστεύειν· 20. ἐλεύσονται δὲ ἡμέραι ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσιν ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. 21. οὐδεὶς ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπιράπτει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν· εἰ δὲ μή, αἴρει τὸ πλήρωμα ἀπ' αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται. 22. καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· εἰ δὲ μή, ῥήξει ὁ οἶνος τοὺς ἀσκούς, καὶ ὁ οἶνος ἀπόλλυται καὶ οἱ ἀσκοί· ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινούς.

In v. 18 οι των φαρισαιων E F G H L S U V Γ Δ 1. 33 al longe pl a ff^1 g^1 l mt syr (sch) aeth; sed οι φαρισαιοι ℵ A B C D K M Π al 25 fere b c e f ff^2 g^2 q vulg arm go sax Aug. In v. 19 filii *sponsi* a c e f ff^1 g$^{1.2}$ i l q mt ken go aeth. In v. 20 in *illa die* d ff^2 i l q am dub ept^{a} hub theod med ken corp lind; item ℵ A B C D K L Δ al plus 30 arm syr aeth go. In v. 21 nemo *enim* dub eg lich mt ken rush; πληρωμα απ' αυτου ℵ B L A K Δ minusc. mu, l tollit ab eo multitudinem nova plagula; το πληρωμα το καινον απο του παλαιου D aliq minusc, item a b c f ff^2 g^2 i q vulg; c tollit supplementum veteri; cop novum aufert supplementum veteris. In v. 22 εκχειται και οι ασκοι απολουνται ℵ A C Γ Δ Π unc 9 al pler c f ff^1 g$^{1.2}$ q vulg arm aeth go; item add βλητεον in fine.

Eodem ordine tres synoptici hanc de ieiunio quaestionem inferunt. Unde colligi potest eam occasione illius apud Matthaeum convivii esse propositam vel saltem illud convivium evangelistis occasionem dedisse ut eius disceptationis mentionem insererent. Austeritas vitae magnam semper parat apud plebem auctoritatem. Insuper talem prae se ferebat Ioannes baptista quem populus magna veneratione prosequebatur;

ad eandem quoque suos erudiebat discipulos. Quod itaque pharisaei contra Iesum hoc loco movent, plane aptum erat quo eius apud populum existimationi detrimentum inferretur haud parvum. Videbatur enim non solum recedere a more pharisaeorum ieiunandi, quod ieiuniorum exercitium tamen multis s. Scripturae locis commendabatur (cf. Num. 30,14. Iud. 20,26. 1 Reg. 7,6; 31,13. 2 Reg. 1,12; 12,16. 3 Reg. 21,27. 2 Par. 20,3. Esdr. 8,21. Bar. 1,5. Dan. 9,3. Ioel 1,14; 2,12. Zach. 7,5; 8,19 etc.) verum etiam a more Ioannis baptistae; quare cum is tanta sanctitatis fama celebraretur apud populum, Iesus contrario vivendi modo utens facile plebi proponi potuit ac si a vera religionis et sanctitatis norma longe abesset, non solum quia cum peccatoribus ageret familiariter eorumque uteretur consuetudine, sed etiam quia liberiorem vivendi rationem suis concederet discipulis alienam a probata sanctitate.

Solus Marcus praemittit ipsi narrationi v. 18 *et erant discipuli Ioannis et pharisaei ieiunantes;* iam *Mald.* notat duplicem haec verba habere posse sensum, vel tunc cum hoc accideret Ioannis et pharisaeorum discipulos re ipsa ieiunasse vel alias frequenter eos solitos esse ieiunare. In quas sententias recentiores quoque abeunt, dum alii id praemitti docent quo statuatur ad quaestionem intelligendam eos ieiunandi consuetudinem frequenter usurpasse (*Schegg, Bisp. Schanz, Fil.*), alii vero censent eo die id quaesitum esse quo ex maiorum traditione ieiunium ab iis servaretur (*Meyer, Weiss, Keil* aliique). Forma loquendi *erant ieiunantes* tamen magis indicare videtur id quod fieri solebat frequenter, quod usum vel consuetudinem constantem declarat; cf. 15,43. Luc. 4,31; 5,10; 23,51; vide *Winer* § 45,5. Eos solitos esse ieiunare statim quidem consequitur ex quaestione quam ponunt; unde id praemitti supervacaneum posset videri. At eiusmodi abundantia narrandi non est aliena a dicendi genere Marci; *et veniunt et dicunt illi : quare discipuli Ioannis et pharisaeorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant?* qui veniunt et quaerunt? respondent quidem aliqui quaestionem poni a discipulis quibusdam Ioannis et pharisaeorum (*Ians. Fil.*); verum tum potius exspectaremus : quare nos ieiunamus, uti habetur Matth. 9,14. Bene iam notat *S. Aug. :* « verba ipsa quae illos dixisse apud Marcum legitur magis indicant alios hoc dixisse de aliis, id est convivas qui aderant venisse ad Iesum et hoc ei de illis dixisse, ut quod ait *veniunt,* non de ipsis dixerit de quibus interposuerat *et erant discipuli Ioannis et pharisaei ieiunantes,* sed cum isti essent ieiunantes, veniunt illi quos hoc movet et dicunt illi : cur discipuli etc. » (de cons. evang. 2,26. 62) et similiter *Beda :* « hic ita sonare videtur evangelicus sermo quasi alii aliqui quos huius

rei cura movisset hanc ei quaestionem intulerint ». Pari modo explanat *Theoph.* προσέρχονταί τινες, et recentiores quoque statuunt καὶ ἔρχονται *et veniunt* ab antecedentibus esse separandum et explicandum impersonaliter, uti grammatici loquuntur (on vient, man kommt; cf. *Schanz*, *Weiss* etc.). Narrationem cum ea apud Matthaeum ita conciliat *S. Aug.* ut dicat ipsos quoque adfuisse discipulos omnesque certatim quaesivisse, « quorum sententia diverso loquendi modo, sed tamen a veritate non alieno, a tribus evangelistis insinuata est » et similiter *Beda* a pluribus hanc quaestionem Domino esse propositam colligit. Ceterum nota a S. Matthaeo propter 9,18 eam disceptationem alio quoque tempore locum habuisse indicari quod a tempore apud Lucam assignato diversum est; vide quae ad Matth. adnotavi (Comment. I. p. 355.356).

Christus ita respondet ut testimonio Ioannis de se edito utens suam eos edoceat (si capere velint) dignitatem et adhibita similitudine dicat in hoc quod una cum ipso sint causam adesse eximiam cur gaudeant et laetentur; tempore autem laetitiae non posse esse ieiunii locum quippe quod ad luctum suscipiatur; v. 19 *et ait illis Iesus : numquid possunt filii nuptiarum* νυμφῶνος filii thalami, paranymphi, sodales sponsi qui ei aderant ipsumque stipabant cum nuptiae fiebant (*Patr.*) בני חופה eorum hilaritatem tempore nuptiarum non opus est referre (*Lightfoot* ad Matth. 9,15; *Wünsche* p. 124), *quamdiu sponsus cum illis est ieiunare?* Erat Iesus designatus tamquam sponsus a Ioanne (Ioan. 3,29) : qui habet sponsam sponsus est; amicus autem sponsi qui stat et audit eum gaudio gaudet propter vocem sponsi; hoc ergo gaudium meum impletum est. Foedus Dei cum populo tamquam sacrum connubium consideratur; instauratio messiana pari modo describitur : sponsabo te mihi in sempiternum (Os. 2,19), populus messianus dicitur sponsa Domini (Is. 61,10), ipse Messias tamquam sponsus proponitur Ps. 44. Quanto desiderio et quot suspiriis prophetae dies Messiae exspectabant? Abraham exsultavit ut videret hunc diem (Ioan. 8,56). Quid ergo magis aequum esse potest, quam ut discipuli invento Messia in eius suavissimo commercio viventes laetentur et exsultent? quare cum emphasi repetitur : *quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare*, ieiunare quippe in vetere testamento dicitur *affligere animam* (Lev. 16,31; 23.27. 32. Num. 29,7). Nonne discipulis quam maxime gaudendum est quod tandem ille praesens est et cum ipsis familiariter conversatur quem multi prophetae et iusti cupierunt videre (Matth. 13,17)?

Ne igitur adversarii iis exprobrent quod nunc per breve tempus praesentia sponsi cum laetitia fruuntur! Nam mox iis quoque advenient dies luctus et afflictionis et ieiunii v. 20 *venient autem dies cum*

auferetur ab eis sponsus et tunc ieiunabunt in illis diebus; prima vice mentionem facit mortis violentae et ita quidem, ut vaticinium Isaiae ad se applicet; ἀπαρθῇ ἀπ'αὐτῶν et Is. 53,8 αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ; nota qua emphasi dies illos per quos sponsus a suis remotus erit tamquam dies ieiunii designet, ter enim tempus illud effert : venient dies, tunc, in illis diebus. Proinde uti alias (Matth. 6,17) ieiunium suis commendat, ita hic explicite dicit fore ut sui sint ieiunaturi postquam ipse e mortali vita egressus visibilem suam praesentiam iis subtraxerit. Iam vero quod praedicit, id certo etiam fieri vult. Quare hoc loco Ecclesiae suae statuit praeceptum, ut aliqua observentur ieiunia. Simul causam eiusmodi ieiunii et luctus (cuius indicium est ac symbolum ieiunium) assignat : quia sponsus ablatus est; aufertur autem passione et ascensione in coelum (*Alb.*); eius itaque praesentiam desiderantes ieiunabunt, ut ipsi secundum spiritum sint praesentes emundati a voluptatibus corporis (*Vict.*). Considerabunt scil. eius ablationem, mortem eius violentam, ideoque dolebunt; cernunt se in vita hac periculis expositos et cupientes eius aliquando perfrui beata praesentia operibus insistent poenitentiae quibus a blandimentis peccatorum sibi caveant et defectus naevosque expient. Ea responsione Christus adversariis quoque os obstruit; ostendit enim, ut *Vict.* ait, a se discipulos neutiquam institui ad vitam lautiorem et commodam; verum fore tempus quo illud ipsum observaturi sint quod adversarii ab iis fieri velint.

Verum simul docet Christus observationem illam etsi specie externa videatur eadem tamen a vetere fore longe diversam. Tempus enim messianum est tempus novum, prout foedus messianum iam a propheta ut foedus novum praedicebatur (Ier. 31,31). Hac vero novitate necessario exigitur, ut vetus illa foederis forma aboleatur. Unde Christus occasione capta ab una illa observatione iam progreditur ad documentum generale, quo ostendat regnum novum messianum eiusque indolem nullatenus includi ac coarctari posse angustis illis veteris foederis limitibus, verum valere id quod apud Michaeam legatur 7,11. Quare v. 21 *nemo assumentum panni rudis* ἀγνάφου, panni impexi, impoliti, qui scil. a fullonibus nondum apparatus est (*Ians.*) *assuit vestimento veteri; alioquin aufert supplementum novum a veteri* i. e. assumentum illud τὸ πλήρωμα quo scil. expletur scissura vel lacuna vestimenti veteris, tollit a vetere vestimento; cum enim huiusmodi pannus nondum a fullone subactus sensim per se contrahatur, eius frustum assutum vesti iam detritae alias huic scissuras contractione inducit (*Patr.*) *et maior scissura fit.* Alia est ratio, alia indoles novi foederis; quare quae forma consentanea erat veteri, eadem non potest apta esse novo. Idque alio simili declaratur v. 22 *et nemo mittit vinum novum in utres veteres;*

alioquin dirumpet vinum utres et vinum effundetur et utres peribunt: hanc enim permixtionem fatalem si quis attentaverit, ut scil. novum foedus vellet includere in arctam illam veteris formam, neutrius foederis commoda et bona percipiet, utrumque foedus pro se perdet. Id suo damno experti sunt iudaizantes ex Christianis quos insectatur apostolus (cf. Gal. 3,3; 5,7. Col. 2,20 seq.), id sectae illae Ebionitarum, Nazarenorum etc.; *sed vinum novum in utres novos* (*mitti debet*), graecum legi debet per modum exclamationis, id quod ad emphasin orationis multum confert. Inter se comparari vetus et novum testamentum iam perspexit *Tertullianus* (de orat. cap. 1; c. Marc. 3,15; *M.* 1,1151 et 2,342). Bene quoque adnotat *Vict.*: cum enim apostoli novi foederis praecones esse debeant, fieri non potest ut veteribus statutis serviant. Ceterum vide ad Matth. 9,16. 17.

In v. 21 ediderunt Ti W H: αἴρει τὸ πλήρωμα ἀπ' αὐτοῦ τὸ καινὸν τοῦ παλαιοῦ. Explicari oportet ita ut πλήρωμα subiectum sit grammaticale, τὸ καινόν per modum appositionis subsequitur, ut iterum cum epitasi efferatur novum illud assumentum veteris vestimenti afferre damnum maius maioremque scissuram. Ita καινόν rite explicat *Theoph.*: εἰ ῥάκος ἄγναφον, τουτέστι καινόν, ἐπιβληθείη ἱματίῳ παλαίῳ si pannus impexus, i. e. novus, assuatur vestimento veteri, sua firmitate illud discindit. Perperam aliqui concipiunt καινόν ut obiectum grammaticale: assumentum aufert a veste id quo vestis illa quasi nova videbatur (*Volkmar*); sed ipsum assumentum est illud novum; dein καινόν explicare prae se ferre speciem novam i. e. satis bonam, plane est arbitrarium. Explica πλήρωμα id quod explet. Qui πλήρωμα obiecti loco habent interpretantur: commissura seu assumentum illud tollit plenitudinem i. e. perfectionem et integritatem a vestimento vetere (cf. *Ians. Lamy*).

d) Pharisaeorum cavillatio et malitia 2,23-3,6.

2,23. Et factum est iterum quum Dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli eius coeperunt progredi, et vellere spicas; 24. pharisaei autem dicebant ei: ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet? 25. Et ait illis: nunquam legistis quid fecerit David quando necessitatem habuit et esuriit ipse, et qui cum eo erant? 26. Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, et dedit eis qui cum eo erant? 27. Et dicebat eis: sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum.

28. Itaque Dominus est Filius hominis, etiam sabbati.

2,23. Καὶ ἐγένετο αὐτὸν ἐν τοῖς σάββασιν διαπορεύεσθαι διὰ τῶν σπορίμων, καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἤρξαντο ὁδοποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας. 24. καὶ οἱ φαρισαῖοι ἔλεγον αὐτῷ, Ἴδε, τί ποιοῦσιν τοῖς σάββασιν, ὃ οὐκ ἔξεστιν; 25. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Οὐδέποτε ἀνέγνωτε τί ἐποίησεν Δαυεὶδ, ὅτε χρείαν ἔσχεν καὶ ἐπείνασεν αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ; 26. εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως, καὶ τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως ἔφαγεν, οὓς οὐκ ἔξεστιν φαγεῖν εἰ μὴ τοὺς ἱερεῖς, καὶ ἔδωκεν καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσιν; 27. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, καὶ οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον. 28. ὥστε κύριός ἐσνιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου.

3,1. Καὶ εἰσῆλθεν πάλιν εἰς συναγωγὴν,

3,1. Et introivit iterum in synagogam: et erat ibi homo habens manum aridam. 2. Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum. 3. Et ait homini habenti manum aridam : surge in medium. 4. Et dicit eis : licet sabbatis benefacere, an male? animam salvam facere, an perdere? At illi tacebant. 5. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus super caecitate cordis eorum, dicit homini : extende manum tuam. Et extendit, et restituta est manus illi. 6. Exeuntes autem pharisaei statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent.

καὶ ἦν ἐκεῖ ἄνθρωπος ἐξηραμμένην ἔχων τὴν χεῖρα, 2. καὶ παρετήρουν αὐτὸν εἰ τοῖς σάββασι θεραπεύσει αὐτὸν, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ. 3. καὶ λέγει τῷ ἀνθρώπῳ τῷ τὴν χεῖρα ἔχοντι ξηράν, Ἔγειρε εἰς τὸ μέσον. 4. καὶ λέγει αὐτοῖς, Ἔξεστιν τοῖς σάββασιν ἀγαθοποιῆσαι, ἢ κακοποιῆσαι; ψυχὴν σῶσαι, ἢ ἀποκτεῖναι; οἱ δὲ ἐσιώπων. 5. καὶ περιβλεψάμενος αὐτοὺς μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν, λέγει τῷ ἀνθρώπῳ, Ἔκτεινον τὴν χεῖρα. καὶ ἐξέτεινεν καὶ ἀπεκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ. 6. Καὶ ἐξελθόντες οἱ φαρισαῖοι εὐθὺς μετὰ τῶν Ἡρῳδιανῶν συμβούλιον ἐδίδουν κατ' αὐτοῦ, ὅπως αὐτὸν ἀπολέσωσιν.

In v. 23 παραπορευεσθαι ℵ A L Γ Δ Π unc 9 al pler; c e ff² transire; add *Dominus* steph sixt; *Iesus* dub ept lich ken rush; apud pler ὁδὸν ποιειν; codd vulg pler *praegredi* (progredi dub wil); a f q arm go : iter facientes vellere. In v. 24 add *discipuli tui* big theod car lich mt ox ken val corp lind steph sixt; item D M minusc mu a b c d f i q; quod non licet *eis* D a b c ff² g¹; ken *eis facere*. In v. 26 πως quomodo apud pler; om B D 102; solum ιερεως Δ f go; nisi *solis* sacerdotibus cav dub eg lich mt ken rush tol steph sixt; item D minusc pl it pl arm aeth go ev hier. In v. 28 omisso ωστε : *dico autem vobis quoniam* a c e ff² i g¹; item D. In 3,4 αποκτειναι L Δ* minusc pl; *perdere* it vulg syr (sch) arm go ev hier. In v. 5 *super emortua illorum corda* c ff² i; graece πωρωσει; in duobus minusc 17. 20. πηρωσει; νεκρωσει in graecis codd non invenitur; restituta est *statim* ευθεως D ff² i g¹². In v. 6 om ευθυς *statim* D L al 5 b c ff² g¹² i q lich mt rush aeth; συμβουλιον εποιησαν vel εποιουν ℵ A C P Δ Γ Π unc 9 al pler it pler vulg faciebant (q iniebant) arm go; εδιδουν B C aliq minusc.

Qui sit pharisaeorum animus et quae eorum in Iesum simultas, hisce de lege sabbati narrationibus panditur. Discipuli autem suo agendi modo iam ostendunt, ut *Vict.* quoque adnotat, sese reddidisse liberos ab illa severitate pharisaica in observando sabbato. Uti pharisaei in priore eventu ridiculam prae se ferunt observandi religionem a vera legis intelligentia plane alienam, ita in altero malitiam manifestant prorsus impiam et sanguinolentam. Iesus vero eo modo respondet et agit quo et suam revelet dignitatem potestatemque et animos sinceros ad sui amorem et admirationem pertrahat; v. 23 *et factum est* (*iterum*) *cum Dominus sabbatis ambularet per sata* i. e. die sabbati; cf. 1,21; *et discipuli eius coeperunt progredi et vellere spicas*, verte ex graeco : coeperunt iter facere vellentes spicas. Cur *coeperunt?* aliqui opinantur ita dici ut significetur, simul ac coeperint, statim pharisaeos exprobratione sua Iesum interpellasse (*Schanz*, *Meyer*); id quod forte subtilius excogitatum est; alii moris esse aiunt apud Marcum ut ponatur ἤρξαντο, ut initium actionis quae posita conditione demum fieri poterat expri-

matur vel ut transitus a quiete ad agendum designetur (*Weiss*). Sed simplicius dicendum erit, dum per sata ambularent, unum alterumve incepisse spicas vellere aliosque paulatim etiam secutos esse. Ad id eos fame esse inductos Marcus quidem explicite non dicit; at ex responsione Christi v. 25 aperte consequitur et statim ab unoquoque qui non opinione praeiudicata evangelistas inter se committere velit deprehenditur; ad quid enim alioquin exemplum Davidis allegaretur indigentis et esurientis? Atque spicas vellere ex alieno agro lege erat licitum : si intraveris in segetem amici tui, franges spicas et manu conteres; falce autem non metes, sicuti in vinea licuit uvas comedere (Deut. 23,24. 25). Quare pharisaei id solum exprobrant quod sabbato faciunt, non quod rem in se illicitam faciunt.

Haec sententia videtur satis simplex. Nihilominus complures iactantur controversiae. Et primum quidem quia in codicibus pluribus et editionibus legitur αὐτὸν παραπορεύεσθαι διὰ τῶν σπορίμων i. e. iuxta aliquid, ad latus alicuius incedere. Unde explicant per medias segetes incedere ita ut etiam significetur praeterire vel transire segetes quae ex utraque parte viam cingunt. Id quod utique cogitari potest quia is qui per segetes iter agit, profecto etiam ab utraque parte habet segetes adeoque iuxta eas incedere concipi potest, quamvis duplex haec consideratio et expressio aliquantulum mira videatur. Quare *Schegg* vocem aliter interpretatur, Iesum esse viam ingressum a via trita divergentem. Planior et simplicior est altera lectio διαπορεύεσθαι quacum Luc. 6,1 congruit et etiam Matth. 12,1 ἐπορεύθη. Altera controversia est de notione ὁδὸν ποιεῖν vel ὁδοποιεῖν. Apud Graecos quidem haec dictio significat viam sternere, parare, munire; quo significatu sunt qui locutionem etiam hic explicent; ita *Schegg* discipulos praeisse et Domino viam stravisse stipulas pedibus proterentes, culmos qui per viam portenderentur removentes aliaque impedimenta arcentes; alii immo interpretantur eos viam parasse per medias segetes evulsione ac proiectione spicarum, vel viam spicis fuisse consitam quam illis evulsis perviam reddiderint (cf. *Meyer, Holtzmann, Hilgenfeld, Volkmar, Schenkel*). Qua explicatione simul aliqui utuntur, ut reperiri contradictionem inter evangelistas statuant, dum scil. apud Marcum spicae evelluntur, ut via pateat per segetes, apud duos alios autem quia discipuli fame laborabant.

Verum hanc explicationem esse falsam certum est. Cui enim in mentem veniret sibi viam sternere per medias segetes spicis evulsis? Eam rem esse illicitam *Meyer* fatetur et putat pharisaeos reprehendere quod rem in se illicitam sabbato faciant. Sed si res erat illicita, quomodo Christus potuit iis permittere, immo eos ab omni reprehensione defendere? Dein nulla potest fingi necessitas, ut per agrum spicis consitum viam sibi aperirent; insuper qualis fuisset labor viam parare evulsis spicis? nam spicas maturas evellere non est adeo facile; praeterea qui per talem agrum transire vellet, sane spicas non multo cum labore evelleret, sed pedibus conterens viam sibi aperiret. Nonne res plane ridicula esset discipulos occupari ut spicis et culmis evulsis viam Domino munirent? Quare ὁδὸν ποιεῖν eo sensu accipi debet quo apud profanos scriptores dicitur ὁδὸν ποιεῖσθαι iter facere (cf. *Bisp. Schanz, Fil. Keil, Weiss* etc.) atque revera ea significatione dicitur ὁδὸν ποιεῖν apud LXX Iud. 17,8 et ad eandem notionem refertur apud Ier. 26,13 βελτίους ποιήσατε τὰς ὁδοὺς ὑμῶν, nam sensus est, ut melioribus viis incedant, sensu utique translato, ut relicta via iniquitatis per

viam virtutis ingrediantur. Ceterum etiam advertendum est non deesse exempla, in quibus forma verbi activa adhibetur pro forma mediali, atque id frequenter locum habet in verbo ποιεῖν; immo ποιεῖσθαι raro reperitur in novo testamento et fere solum apud Lucam et Paulum (cf. *Winer* § 38,5; *Buttmann* p. 167). Quae cum ita se habeant, omni ex parte certum est esse vertendum iter facere, non autem viam sternere.

Quam insidiose pharisaei observaverint Iesum et eius discipulos, documento est quod sabbato cum Iesus per campos incederet eius vestigiis haerebant v. 24 *pharisaei autem dicebant ei : ecce,* ἴδε, vide, LXX quoque ראה reddunt ἴδε dum הִנֵּה ἰδού, vertunt (*Schanz*) *quid faciunt sabbatis quod non licet?* lex sabbati est : non facies omne (ullum) opus in eo; quam seduli fuerint rabbini hoc mandatum ad minima quaeque ut extenderent, plurima documenta habentur in tractatu mischnico de sabbato; ita inter principalia opera (patres operum) recensentur texere fila duo, rumpere fila duo, suere duas suturas, scribere duas litteras (cap. 7,2; *Surenhusius* II p. 29); pariter reus declaratur sabbati violati, qui promit cibos in quantitate caricae, qui promit paleam quantum os vaccae capit, qui gramen promit quantum os agni capit, qui promit folia allii et folia ceparum viridia in quantitate caricae etc. (l. c. p. 31). Atque pharisaeos tempore Christi ab eiusmodi minutiis non abfuisse ex eorum accusatione patet satis superque.

Christus primo eos ad silentium adigit exemplo Davidis cui esurienti princeps sacerdotum panes dedit quibus vesci solis licuit sacerdotibus. Neque David qui eos panes postulavit neque princeps sacerdotum qui dedit ullo modo reprehenditur in s. litteris; quare discere poterant pharisaei admitti causas quibus legis mandata cessent; v. 25 *et ait illis : nunquam legistis quid fecerit David quando necessitatem habuit et esuriit ipse et qui cum eo erant?* v. 26 *quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum et panes propositionis manducavit quos non licebat manducare nisi sacerdotibus et dedit eis qui cum eo erant?* vide 1 Reg. 21,4-6 : dedit ei sacerdos sanctificatum panem neque enim erat ibi panis nisi tantum panes propositionis; tales autem panes erant sanctum sanctorum quos soli sacerdotes in loco sancto comedere iubebantur (Lev. 24,9) et David non tantum ipse comedit, sed etiam suis dedit comitibus. Sacerdos igitur, ut *Beda* ait, non dubitavit panes dare melius arbitratus (secundum prophetam Os. 6,6) de famis periculo homines liberare quam Deo offerre sacrificium; hostia enim Deo placabilis hominum salus est. « Opponit ergo Dominus et dicit : si et David sanctus est et Abimelech pontifex a vobis non reprehenditur, sed legis uterque mandatum probabili excusatione transgressi sunt et fames in causa est, cur eandem famem non probatis in apostolis quam probatis in ceteris »? Id factum esse sub Abiathar, ἐπὶ tempore Abiathar

pontificis solus refert Marcus quibus verbis sane censendus est velle non solum designare tempus, sed etiam insinuare id factum esse tali viro qualem se praebuerit Abiathar pontifex minime prohibente vel impediente. In 1 Reg. 21,4 seq. refertur Achimelech qui erat pater Abiathar panes dedisse. Verum eodem tempore etiam Abiathar in Nobe fuisse, facile colligitur ex 1 Reg. 22,11-20. Eum autem Iesus nominat, ut ostendat et patrem Achimelech qui ex narratione omnibus notus erat et filium Abiathar qui postea Davidi erat familiaris et adiutor modum agendi Davidis approbasse. Vocat eum ἀρχιερέα vel eo modo quo tempore Christi filii pontificum ἀρχιερεῖς appellari solebant (quoties enim in evangeliis mentio fit de principibus sacerdotum? vide quae dixi ad Matth. 2,4) vel quia occiso a Saule patre munere illo apud Davidem fungebatur vel quia, ut aliis placet, vicarius patris pontificatum gerebat (*Dion. Bisp.*), vel quia principatum gerebat familiae sacerdotalis ex Ithamare Aaronis filio progenitae (ita *Patr.*, « non enim idem munus erat neque semper ac necessario ab una et eadem persona simul gerebatur pontificatus et familiae principatus »; cf. lib. III de evang. dissert. 28 n. 36-40).

Quomodo dici potuerit *sub Abiathar principe sacerdotum*, varie explicare conantur. Parum probabile est patrem et filium fuisse binomines Achimelech et Abiathar (qua ratione aliqui nodum solvere volunt; cf. *Vict. Theoph. Ians. Lap. Bisp.*), neque haec sententia fulciri potest 2 Reg. 8,17 et 1 Par. 18,16 et 24,6; nam hisce locis « rectius hunc Achimelech statuimus filium eius Abiathar qui ad Davidem transfugit et nepotem antiquioris illius Achimelech (1 Reg. 21,4); neque est cur argumentis probemus potuisse nepotem avi nomine vocari [1], cum apud Iudaeos infantium nomina e cognatione desumerentur Luc. 1,61; neque chronologica difficultas obstat, cum ignoremus qua aetate Abiathar Davidi se iunxerit; potuit is esse grandaevior » (*de Hummelauer* ad 2 Reg. 8,17). Praeterea *Vict. Theoph.* etiam aliter rem expediunt monentes Abimelech (ita enim legunt) solum vocari sacerdotem in libro Regum, Abiathar autem dici pontificem a Christo, atque id discrimen *Vict.* quoque eo in s. litteris indicari censet quod sacerdotes a Saule interemptos esse, non autem pontificem, refertur. Alii, uti *Bed. Alb.*, nominari Abiathar existimant quia maioris excellentiae quam pater effectus sit, quippe qui fuerit comes Davidis exsulis et postea regnante David pontificatum gesserit. Alii putant Marcum rem ita retulisse uti Iudaei illam narrare consueverint qui scil. Abiathar cum e caede sacerdotum salvus evasisset

1. In inscriptionibus Phoeniciae haud raro inveniri eum usum quo nepos nomine appelletur avi mecum communicavit *Zenner*; exempla habentur in opere : Corpus inscriptionum semiticarum ab academia inscriptionum et litterarum humaniorum conditum atque digestum, pars I (tom. 1, Parisiis 1881; tom. 2 1890) inscriptione n. 3 p. 17; n. 7 p. 30; n. 47 p. 69; n. 93. 94. 171. 180. 185. 187. 201. 643. 660. 691 etc.

pontificem fuisse existimassent (*Schegg, Schanz*). Nomen autem Abiathar ad lapsum memoriae Marci referre (*Keil, Weiss*) nequit admitti. Neque ἐπὶ licet explicare cum *Wetstein* : « praesente et factum probante Abiathare qui paulo post patri suo per Doegum occiso in dignitate pontificis maximi successit; non dicit ἐπ' ἀρχιερέως Ἀβιάθαρ quod significaret : sub pontificatu Abiatharis ». Verum in ἐπὶ habetur designatio temporis cf. Luc. 3,2; 4,27; Matth. 1,11. Act. 11,28, etc.; vide *Winer* § 47 g. d. Aliud est si dicitur Act. 23,30 λέγειν ἐπὶ σοῦ dicere apud te, vel 24,20 στάντος μου ἐπὶ τοῦ συνεδρίου stare in (coram) concilio vel 25,9 κριθῆναι ἐπ' ἐμοῦ iudicari apud me, idemque 1 Cor. 6,1 etc.

Pharisaeos litterae legis mordicus inhaerentes hoc exemplo iam docet Christus praeter litteram alia quoque esse in considerationem adhibenda. Ostendit enim, ut *Alb.* ait, a causa legem quandoque esse solubilem. Dein idem ostendit a ratione ordinis, dicit quippe legem esse homine inferiorem (*Alb.*) v. 27 *et dicebat eis : sabbatum propter hominem factum est et non homo propter sabbatum;* i. e. sabbatum institutum est propter hominis bonum, commodum, utilitatem; utique si homo creatus esset propter sabbatum, ita ut observatio sabbati hominis esset destinatio et finis quasi ultimus, tunc homo cum maximo suo incommodo, immo etiam cum iactura vitae deberet observare sabbatum, prout homo creatus pro Deo paratus esse debet potius mortem subire quam graviter peccare. At sabbatum ad hominis bonum et commodum institutum est; si itaque quies sabbati homini evadat valde noxia relinquenda est et labor capessendus ut homini consulatur (*Lap.*). Sabbatum datum est (ut *Mald.* dicit), ut homo animo et corpore sanus esset; animo quidem quia institutio sabbati inter alias causas ad colendam religionem et profitendam fidem facti a Deo mundi facta fuerat (Ex. 20,11. Deut. 5,12) quae si rite fierent ad salutem animae pertinebant; corpore vero quia altera institutionis sabbati causa fuit, ut hominum corpora assiduo sex dierum labore fatigata requiescerent; unde sequitur ita observandum fuisse ut neque animi neque corporis saluti noceret. — Praeclarum Christus proponit documentum quo homines a servitute litterae pharisaica liberantur et vera illa statuitur norma qua in interpretanda et observanda lege positiva uti oporteat. Hanc rationem a Christo promulgatam solus nobis retulit Marcus.

Ex ea norma deducitur conclusio qua tamen simul nova ratio continetur cur Christus etiam a lege sabbati suos possit eximere v. 28 *itaque dominus est Filius hominis etiam sabbati;* se Filium hominis vocat pharisaeis s. litterarum haud ignaris insinuans suam si vellent intelligere dignitatem (cf. Dan. 7,13); ὥστε *itaque;* cum enim sabbatum ad bonum hominis, *propter hominem,* institutum sit, Filius hominis qui

ex Dan. 7,13. 14 est dominus omnium hominum et dominus omnium quae ad eorum salutem ordinantur, debet etiam esse dominus sabbati ordinati propter hominis utilitatem (*Ians.*). Quomodo enim is qui caput est hominum (*Alb. Bisp.*), habens dominium hominum (*Schegg*) et potestatem omnem regendi a Deo sibi datam (*Vict. Schanz, Fil.*) non etiam summa valeret auctoritate in legem ad hominis bonum constitutam? Unde *itaque* sensu suo proprio retineri potest et debet, neque opus est ac si nulla ex antecedentibus efficeretur conclusio vocem accipere cum *Mald. Lap. Patr.* quasi particulam completivam : *denique* Filius hominis dominus est sabbati. Aliter *Beda* conclusionem infert ex v. 26 : si, inquit, David rex sacerdotali cibo pastus excusabilis est, quanto magis Filius hominis, qui verus rex est et verus sacerdos et ideo dominus sabbati, evulsarum sabbato spicarum noxa non tenetur? et si sacerdotes et duces belli in sabbati observatione dispensare potuerunt, multo magis Filius hominis poterit (*Mald.*). Sabbatum est iure praecipuo dies quem Iahve sanctificavit. Si itaque Iesus se dicit dominum huius diei aequalem sibi cum Deo potestatem attribuit. Id quod Matth. 12,8 et Luc. 6,5 videri posset clarius quidem enuntiari, quia ita se dominum vocat, ut id ex antecedente documento non deducatur tamquam conclusio, sed in universum affirmetur, dum hic primo et per se ut consequens ex sententia praemissa proponitur. At tamen plus asseritur quam ex sola consecutione inferri posset, cum se sine ulla limitatione dominum sabbati appellet. Quare haec apud Marcum argumentatio uberior est ex aliqua parte quia ex norma in v. 27 statuta colligitur amplior ratio, cur Filius hominis, Messias, etiam in sabbatum valeat auctoritate.

Pharisaei reprehenderant Iesum quia non prohiberet discipulos facere sabbato quod non liceret (2,24). Iam ulterius progrediuntur expiscantes occasionem ut ipsum accusent sabbati violati et eo crimine eius apud plebem auctoritatem everlant : non est hic homo a Deo qui sabbatum non custodit (Ioan. 9,16). A tribus synopticis haec de manu arida narratio subiungitur (Matth. 12,9. Luc. 6,6), « quo aperte constet et maxima pharisaeorum in diiudicando caecitas et implacabilis factorum Christi invidia, cui nullis rationibus quantumvis efficacibus satisfieri potuit, sed potius semper in peius profecit » (*Ians.*) ; 3,1 *et introivit iterum in synagogam ;* iterum (cf. 1,21. 39) dicitur quia antea iam narratum est eum docuisse in synagoga in Capharnaum (*Mald.*) ; similiter 2,1 iterum intravit Capharnaum et 2,13 iterum ad mare egressus est. Hoc vero dicendi modo cum non apponatur designatio temporis (uti 2,1 et 2,23) opinatur *Schegg* indicari nullum temporis intervallum intercessisse inter eventum priorem et hunc. Verum id non sequitur ex

verbis et falso inferri elucet ex Luc. 6,6 : factum est autem in alio sabbato [1] (ἑτέρῳ σαββάτῳ) quod ex erronea traditione haustum esse gratuito et perperam asseritur; fuisse sabbatum iam colligi potest ex mentione ingressus in synagogam et sequitur ex v. 4 seq.; *et erat ibi homo habens manum aridam,* ἐξηραμμένην dicitur accuratius (non ξηράν) i. e. morbo arefactam, quae cum antea sana fuisset contabuerat deficiente sucu vitali; is scil. cuius manus ἐξηράνθη (uti dicitur LXX 3 Reg. 13,4 de manu Ieroboam quae exaruit) habet manum ἐξηραμμένην; ex Luc. 6,6 discimus dexteram manum factam esse aridam. Erat ibi homo iste « aut a pharisaeis eo inductus quasi muscipula ad capiendum Christum (credi enim potest quidquid alienum non est ab eorum ingenio) aut qui de more, sicut alii Iudaei, in synagogam venisset, quia sabbati dies erat, nihil de curatione sua cogitans; aut quod similius veri est, qui eo animo causaque venerat, ut a Christo quem pro sua consuetudine in synagogam die sabbati venturum credebat sanaretur » (*Mald.*).

Cum pharisaei, ut Matth. 12,10 narrat, ipsi incipiant quaerere a Iesu : si licet sabbatis curare, ut eum accusarent, valde probabile videtur quod *Mald.* suspicatur, virum ab eis esse inductum, ut caperent Iesum; cui etiam congruit quod dicitur v. 2 *et observabant eum* insidiose scil. et animis infestis, *si sabbatis curaret, ut accusarent illum;* nam videntur pharisaei iam talia secuti esse qualia in tractatu mischnico de sabbatho reperiuntur : qui laborat dentibus, ei prohibitum est ut ad confirmandam gingivam sorbeat acetum et mox exspuat; qui lumbis laborat, non licet ei se ungere vino vel aceto etc. vide *Surenh.* II p. 51; v. 3 *et ait homini habenti manum aridam : surge in medium* i. e. surge et procede in medium; palam et coram omnibus Iesus ingenium pharisaeorum explorare ac manifestare vult. Omnium quoque aspectui hominem laborantem manu exponere vult, ut eo viso miseratione moti perversitatem pharisaeorum abominentur. Censet *Vict.* eum esse in medio statutum ut pharisaei ad meliorem sensum flecterentur et malitiam deponerent.

Matth. 12,10 primi interrogant pharisaei : si licet sabbato curare? Cui quaestioni insidiose positae respondet Christus alia interrogatione qua illi ad incitas rediguntur (cf. *S. Aug.* de cons. evang. 2,35. 82; *Vict. Ians.*) v. 4 *et dicit eis : licet sabbatis bene facere an male? animam salvam facere an perdere?* quaestio haec adeo universalis aptissima erat

1. Notat *S. Aug.* : « posset putari eo die factum et de spicis et de isto sanato, quoniam et sabbatum hic commemoratur, nisi Lucas aperuisset alio sabbato factum esse de sanitate aridae manus. Proinde quod ait Matthaeus : et cum inde transisset venit in synagogam eorum, non quidem venit nisi cum inde transisset, sed post quot dies in synagogam venerit, an recta continuoque illuc ierit, expressum non est » (de cons. evang. 2,35. 82).

ad pharisaeos confundendos; non poterant negare esse licitum benefacere in sabbato; utrum benefacere accipiatur de beneficio praestando et ope ferenda (*Beda, Ians. Lap. Schegg*), an de opere religiose bono vel de utroque simul (*Schanz, Fil.*) perinde est; nam in nullo casu poterant negare, nisi magnam absurditatem omnibus statim conspicuam coram omnibus vellent affirmare cum suae auctoritatis damno. Quare quaestio prudentissime a Iesu adeo generalis est proposita. Porro si negarent licere bene facere, absurdum illud affirmarent licere male facere; nam saepe contingit ut alicui non opem ferre, si possis, idem sit quod ei inferre malum; alicui non prodesse saepissime est ei nocere; id quod in ultima Domini sententia clare apparet : hoc ipso enim perdunt, cum non iuvant si possunt (*Alb.*); perdit enim vitam alterius qui cum possit servare non servat. Neque poterant pharisaei respondere : licet benefacere; quia tum et se ipsos refutassent et confessi essent quam ridiculam quaestionem proposuissent et (quod sane maxime abhorrebant) Iesum recte agere affirmassent et omnem eum accusandi opportunitatem quam insidiose quaerebant sibi ipsi penitus amputassent.

Quare cum neque verum fateri neque malitiam vellent deponere, eo modo se gerunt quo solent homines in malo obstinati et contumaces : *at illi tacebant;* hanc obdurati animi testem, taciturnitatem, solus explicite refert Marcus, uti etiam quo vultu et quo animi affectu Iesus hanc eorum in malitia obdurationem reprehenderit; utrumque ad Petri narrationem expressum esse non dubitabis asserere v. 5 *et circumspiciens eos cum ira*, singulos intuetur severe, uti eorum conscientiam acuat et exstimulet, ipso aspectu severo reprehendens malitiam et obstinationem quam illa taciturnitate produnt, *cum ira*, vultu torvo et irato ostendens se indignatione commoveri de tanta in malo contumacia; quae Domini ira et indignatio simul cum dolore et tristitia de tanta animorum obstinatione coniuncta erat : *contristatus* συλλυπούμενος non simul cum aliis dolens amicis et bonis, de quibus nulla hic est mentio, sed toto animo dolens, vel melius ut quasi dolorem suum una cum illorum pervicacia exsistere significet eumque veluti eorum calamitati adiungat, *super caecitate cordis eorum* ἐπὶ τῇ πωρώσει de acie mentis obtusa, de obstinatione et improbitate qua veluti callo eorum animi obducti erant. Dein solo verbo hominem sanat : *dicit homini : extende manum tuam; et extendit et restituta est manus illi;* dixit et facta sunt. Ita quoque probat suam de sabbato doctrinam.

Num saltem miraculo quod ignorari et negari nequit animi pharisaeorum emolliuntur et reverentia legati Dei imbuuntur? v. 6 *exeuntes autem pharisaei statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent* ὅπως ut eum perderent; en culmen ini-

micitiarum et furoris; plane in rabiem et insaniam (Luc. 6,11) aguntur eo quod Iesus miraculo ostendit licere in sabbato curare. Iam caedem spirant et sanguinem Domini fundere sitiunt. Quem in finem pharisaei, aemulatores legis et theocratiae, qui ut tales dominationem Herodis Idumaei pari modo abominabantur sicut imperium Romanorum, non dubitant cum asseclis et fautoribus Herodis (qui hanc scil. domum regnare super populum Israel cupiebant) foedus inire et ex oe tempore frequenter cum illis consilia capere — nota ἐδίδουν imperfectum — ut Iesum interimerent. Cum Christus tum temporis versaretur in Galilaea quae regio pars erat tetrarchiae Herodis Antipae, sine huius auctoritate nihil in eum moliri poterant; quare eos adeunt qui ab eius partibus erant et pro suo in domum Herodis studio apud eum auctoritate valebant. Quos religionis causa abhorrebant, hos adiutores advocant, ut suum in Iesum odium expleant. — Contendunt aliqui rationalistae (de Wette, Baur, Hilgenfeld) falso et erronee hic fieri mentionem Herodianorum eamque perperam ex Matth. 22,16 huc esse transsumptam. At si pharisaei non more sicariorum clam et per insidias, sed auctoritate publica per magistratum Iesum e medio tollere volebant, omnino indigebant ope et auxilio eorum qui possent Herodem inducere, ut sicut Ioannem baptistam carcere incluserat ita Iesum quoque caperet et interficeret. Eorum autem maxime interfuisse propter populum, ut potestate publica Iesus morti adiudicaretur, quis negaverit?

Quale sit ingenium qualesve mores adversariorum Christi, quinque hisce narrationibus (2,1-3,6) satis declaratum et descriptum est. Eo iam probatum est eos esse plane ineptos ad regnum messianum, cuius regni naturam ignorant neque a Domino ullo modo discere volunt. Pariter ostensum est eos odio et improbitate inflammatos moliri Domini mortem. Si vero tales sunt duces plebis et ii qui singulari fama religionis, pietatis, studii legis observandae apud turbas auctoritatem et venerationem sibi conciliarunt, iam etiam suspicari licet qualem tandem exitum res habitura sit apud plebem. Nonne maxime timendum erit ne plebs in eorum trahatur partes et a Domino abstrahatur, praesertim si Dominus non talem se Messiam praestiterit qualem omnes exspectant, qui scil. hostes Israel conterat, thronum davidicum erigat, populum Israel constituat dominatorem orbis terrarum? Unde hisce narrationibus aliquatenus praeformatur, qualis futurus sit rerum progressus et exitus in Israel.

3. *Electio et institutio apostolorum* 3,7-6,29.

Duces et principes synagogae esse utpote Iesu adversarios et eius iam meditantes mortem ineptos ad regnum messianum satis manife-

stum est. Quare Iesus alios eligit regni sui principes, apostolos, eosque et potestate patrandi miracula instruit et vario modo ad munus apostolicum erudit.

a) Electio apostolorum 3,7-19.

3,7. Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare; et multa turba a Galilaea et Iudaea secuta est eum, 8. et ab Ierosolymis, et ab Idumaea, et trans Iordanem; et qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna, audientes quae faciebat, venerunt ad eum. 9. Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum.

10. Multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent, quotquot habebant plagas. 11. Et spiritus immundi, quum illum videbant, procidebant ei; et clamabant, dicentes : 12. tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum.

13. Et ascendens in montem, vocavit ad se quos voluit ipse; et venerunt ad eum. 14. Et fecit ut essent duodecim cum illo; et ut mitteret eos praedicare. 15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et eiiciendi daemonia. 16. Et imposuit Simoni nomen Petrus, 17. et Iacobum Zebedaei et Ioannem fratrem Iacobi, et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui, 18. et Andream, et Philippum, et Bartholomaeum, et Matthaeum, et Thomam, et Iacobum Alphaei, et Thaddaeum, et Simonem Cananaeum, 19. et Iudam Iscariotem, qui et tradidit illum.

3,7. Καὶ ὁ Ἰησοῦς μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἀνεχώρησεν πρὸς τὴν θάλασσαν· καὶ πολὺ πλῆθος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἠκολούθησεν, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας, 8. καὶ ἀπὸ Ἱεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου καὶ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα, πλῆθος πολύ, ἀκούοντες ὅσα ποιεῖ, ἦλθον πρὸς αὐτόν. 9. καὶ εἶπεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα πλοιάρια προσκαρτερῇ αὐτῷ, διὰ τὸν ὄχλον, ἵνα μὴ θλίβωσιν αὐτόν. 10. πολλοὺς γὰρ ἐθεράπευσεν, ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ, ἵνα αὐτοῦ ἅψωνται, ὅσοι εἶχον μάστιγας· 11. καὶ τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, ὅταν αὐτὸν ἐθεώρουν προσέπιπτον αὐτῷ, καὶ ἔκραζον λέγοντα, ὅτι σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. 12. καὶ πολλὰ ἐπετίμα αὐτοῖς ἵνα μὴ αὐτὸν φανερὸν ποιήσωσιν.

13. Καὶ ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος, καὶ προσκαλεῖται οὓς ἤθελεν αὐτός· καὶ ἀπῆλθον πρὸς αὐτόν. 14. καὶ ἐποίησεν δώδεκα, οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασεν, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν, 15. καὶ ἔχειν ἐξουσίαν ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια· 16. καὶ ἐποίησεν τοὺς δώδεκα καὶ ἐπέθηκεν ὄνομα τῷ Σίμωνι Πέτρον· 17. καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου, καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰακώβου· καὶ ἐπέθηκεν αὐτοῖς ὄνομα Βοανεργές, ὅ ἐστιν, Υἱοὶ βροντῆς· 18. καὶ Ἀνδρέαν, καὶ Φίλιππον, καὶ Βαρθολομαῖον, καὶ Ματθαῖον, καὶ Θωμᾶν καὶ Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ἀλφαίου, καὶ Θαδδαῖον, καὶ Σίμωνα τὸν Καναναῖον, 19. καὶ Ἰούδαν Ἰσκαριώθ, ὃς καὶ παρέδωκεν αὐτόν.

In v. 7 ηκολουθ ponitur post Γαλιλαιας in A B L P Γ Π unc 9 al pler cop syr go; ponitur post Ιουδ. in ℵ C Δ 238. it vulg Ti. In v. 8 και οι περαν D, f et qui erant trans Iord.; pariter και οι περι A D P Γ Π unc 9 a g^1 vulg arm go; apud pler ακουσαντες; ακουοντες ℵ B Δ minusc pl it vulg cop aeth go Ti W H. In v. 11 eg proiiciebant sc. In v. 12 C a add οτι ηδεισαν τον χν αυτον ειναι, quoniam sciebant eum b $g^{1\,2}$ q tol. In v. 14 ους και απ. ωνομ. additur in ℵ B Δ aliq minusc cop aeth; praedicare *evangelium* D b d e f ff^2 g^1 i q arm am dub ept hub theod lich mt ox corp lind. In v. 15 add θεραπευειν τας νοσους A C^2 D P Γ Π unc 9 al fere omn it vulg syr arm go; non add in ℵ B C^* L Δ 102. cop Ti W H; add : et ut circumeuntes praedicarent evangelium in a c e g^2 gat

dub eg lich ken tol. In v. 16 και εποιησεν τ. δωδ. ℵ B C* Δ Ti W H. In v. 17 longe pler ονοματα. In v. 18 pro Thaddaeo praebent λεββαιον D a b d ff² i q codd aliq apud Orig. In v. 19 σκαριωθ D et ita it et codd vulg.

Quamvis pharisaei tanto iam flagrarent in Christum odio, plurimae tamen turbae assidue Iesum quaerebant et sectabantur miraculorum eius fama adductae et sanationem quaerentes pro aegrotis. Superbi illi ac nobiles, sua iustitia legali elati, Iesum interimere machinantur; turbae et qui variis miseriis erant afflicti eum sedulo quaerunt eiusque comites sunt assidui et beneficiis et doctrina ab ipso donantur. — Eandem rerum seriem synoptici tenent Matth. 12,15 et Luc. 6,12 qui electione apostolorum praemissa (de qua Marcus 3,13 seq.) pariter turbas undique ad Iesum convenisse narrat; v. 7 *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare,* et cum Matthaeus dicat : sciens (machinationes et consilia pharisaeorum) recessit inde, sese infestationibus adversariorum subducere vult, uti ipsa voce ἀνεχώρησεν indicatur (cf. Matth. 4,12; 14,13. Ioan. 6,15). Cedit furori pharisaeorum, quia tempus passionis nondum venerat; ipsis quoque consulit, dum illis occasionem facinoris subtrahit et e contra tempus sedationis et resipiscentiae concedit (*Ians.* cf. *Vict. Mald.*). Ita eum saepius egisse evangelistae testantur, Matth. 2,14 et 4,12; Luc. 4,29; Ioan. 8,59 et 12,36, « quae loca Tertulliano, Athanasio et Augustino ut scriberent de fuga in persecutione copiosam materiam praebuerunt » (*Mald.*).

Et quantopere fama Iesu iam longe lateque percrebruerit ostenditur magna hominum multitudine quae non ex Galilaea eum sequebatur, verum etiam ex aliis regionibus ad eum confluebat, *et multa turba a Galilaea secuta est eum,* cum in Galilaea versaretur et modo in synagoga coram multis miraculum patrasset, Galilaei multi bene dicuntur eum *sequi,* dum alii ex dissitis regionibus ad eum venisse dicuntur, quare collocatio verborum in A B etc. unice apta est (vide lect. var.), *et a Iudaea* v. 8 *et ab Ierosolymis*, effertur Ierusalem, uti Matth. 3,5, « quia magis mirum erat inde quam ex reliquis Iudaeae partibus venisse aliquos, cum civitas esset Christo omnium inimicissima plenaque doctorum, ut in ea qui essent non existimarent sè Christi indigere institutione atque disciplina; sed nimirum miraculorum magnitudo invitos etiam trahebat inimicos » (*Mald.*) *et ab Idumaea,* a meridie Iudaeae obtendebatur eoque nomine designatur regio inter Palaestinam meridionalem et Arabiam petraeam; distabat autem a Capharnaum multo magis quam ceterae regiones in his versibus commemoratae (*Patr.*). Idumaei quidem olim ab Hyrcano subacti et ad circumcisionem assumendam (si in sua regione manere vellent) compulsi sunt (cf. *Iosephus,* Antiq. 13,9. 1), nihilominus a Iudaeis ut alienigenae habebantur

et trans Iordanem i. e. a Peraea *et qui circa Tyrum et Sidonem* i. e. ex vicinia et finibus Tyri quoque et Sidonis ad Iesum veniebant, *multitudo magna,* cum emphasi repetitur, *audientes quae faciebat venerunt ad eum;* proin ex regione meridionali, orientali, septemtrionali et occidentali (Galilaea nimirum) turbae circa Iesum congregantur, inter quas gentiles quoque haud paucos fuisse, ipsis regionibus Idumaeae, Tyri, Sidonis et partim etiam Peraeae suadetur (*Cai. Ians.*). Nam solos Iudaeos qui prope Tyrum et Sidonem habitabant designari (ut aliqui volunt) verbis evangelistae nullo modo indicatur: περὶ Τύρον etc. a *Theoph. Euth.* explicatur de Tyriis et Sidoniis.

Et quanto studio et impetu ad Iesum appropinquare eiusque opem efflagitare soliti sint, docemur eo quod Christus naviculam continuo paratam sibi esse volebat in quam se a nimiis turbis reciperet v. 9 *et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret* προσκαρτερῇ constanter sibi praesto esset ad manum, ut sibi esset comes assidua (*Lap.*); graeca vox, ait *Mald.*, plus esse videtur quam deservire, ut scil. quotiescumque vellet propriam haberet navem; *propter turbam ne comprimerent eum;* et cur tam avide nec sine molestia Domini ad eum irruperint declaratur v. 10 *multos enim sanabat, ita ut irruerent in eum, ut illum tangerent quotquot habebant plagas;* iam adeo iis persuasum erat de Iesu potentia, ut solo attactu sibi sanitatem promitterent. Magnam fidem prae se ferunt. Appellantur morbi plagae, flagella, quia saepe morbi flagella Dei sunt ob peccata inflicta; nam ad emendationes nobis morbi multum conducunt flagellante nos Deo quasi filios patre (*Theoph.*); eius rei exempla habentur multa in s. litteris Ex. 15,26. Lev. 26,16. 21. Deut. 7,15; 28,27. 60. 2 Reg. 24,13 et 4 Reg. 5,27 et 2 Par. 21,18 et Ioan. 5,14 (*Mald.*). Unum genus sanationum evangelista peculiari modo adducit quo scil. dignitas Iesu et eius in daemones potestas maxime patefit v. 11 *et spiritus immundi* (vide ad 1,23) *cum illum videbant, procidebant ei et clamabant dicentes :* v. 12 *tu es Filius Dei;* attende tempus imperfectum; itaque de re quae frequenter evenisse solebat sermo est; procidebant non religione ulla, sed timore quasi supplicium suum et confessione oris et subiectione corporis deprecaturi (*Mald.* sim. *Bed. Euth.*); at Christus eos tacere iussit; *et vehementer,* πολλά crebro, multoties id fieri debuit quia saepe occurrebant daemoniaci, *comminabatur eis ne manifestarent illum;* nondum enim populus ad doctrinam de eius divinitate rite capiendam aptus erat neque tempus eius praedicationis advenerat; debuit enim antea scandalum crucis removeri resurrectione Iesu; porro cavendum quoque erat ne populus falsa sua exspectatione messiana ad nimiam commotionem tumultusque abriperetur. Vide ad 1,34. 44. Nota quoque quae

v. 9 dicuntur de navicula quam constanter sibi praesto esse volebat et quae v. 10 de impetu turbarum et v. 11 et 12 de prostratione et confessione daemoniacorum, a solo Marco referri. Tam vera autem et ampla paucis verbis efficitur rerum imago, ut Petri testis narrationem facile deprehendas. — Cum daemones membris et organis obsessorum uterentur et obsessos quasi regerent, bene dicitur spiritus immundos sese prostravisse; plena itaque possessio exprimitur.

Cum ex una parte pharisaei, scribae, sacerdotes, duces populi, adeo essent Christo infensi, ex altera autem parte populus quam maxime indigeret salutari institutione et doctrina, Christus elegit apostolos qui essent regni sui principes et duces populi; nam videns turbas misertus est eis, quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem (Matth. 9,36). Quare alios pastores iis providit; dum autem ex discipulis qui eum comitari solebant elegit apostolos, ordinem hierarchicum in suo regno instituit; v. 13 *et ascendens in montem* εἰς τὸ ὄρος, uti v. 7 τὴν θάλασσαν, proin designatur mons in littore maris Tiberiadis, et uti ex Luca 6,20 seq. patet, intelligitur mons beatitudinum, in quo sermo montanus habitus est (vide Comment. in Matth. I p. 176). Pariter ex Luca discimus Iesum ascendisse in montem ut oraret eumque in oratione Dei pernoctasse (6,12), qua oratione Patri apostolos et Ecclesiam suam commendasse nemo negabit. Hac praeparatione praemissa quanti momenti opus sit aggressurus ostendit. Notat *Beda* Deum ut legem daret priori populo in monte apparuisse et de monte quae agenda essent intonuisse. Ita Christus in monte Ecclesiae suae fundamenta eligit legesque promulgat ipsa loci sublimitate eos admonens « non in infimis desideriis animum dissolvere, sed ad superna desideranda et quaerenda semper erigere debere » (*Beda*).

At nemo sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo (Hebr. 5,4. *Mald.*) et Christus ipse postea ait : non vos me elegistis, sed ego elegi vos (Ioan. 15,16. *Beda*); unde hic : *vocavit ad se quos voluit ipse,* neque enim illorum electionis et studii, sed divinae erat dignationis et gratiae, ut in apostolatum vocarentur (*Beda*); ambitionem et meritum apostolorum excludit et Christi potestatem et auctoritatem evangelista affirmat (*Mald.*); *et venerunt ad eum,* eorum declaratur promptitudo et profecto dubitandum non est quin summa alacritate et laetitia proxime ad Iesum accesserint et muneris ac dignitatis rationem ab eo didicerint; v. 14 *et fecit ut essent duodecim cum illo,* explica ἐποίησεν δώδεκα et constituit duodecim; iam ad quid eos constituerit, exprimitur (ἵνα) duabus sententiis in graeco : ut essent secum et ut mitteret eos ad praedicandum et ad habendam potestatem eiiciendi daemonia. Primum itaque eorum ius ac munus est ut sint cum Iesu, socii eius et comites

individui, familiares: alterum ut suo tempore mittantur ad praedicandum, in qua missione potestate instruentur eiiciendi daemones; praedicatione et miraculis regnum satanae destruent et doctrinae suae a Christo haustae robur addent ad persuadendum potestate illa miracula patrandi, *curandi infirmitates et eiiciendi daemonia*, ut vulg. habet (cf. Matth. 10,1). Novum divinitatis Christi documentum in eo cernitur quod sua auctoritate illis eiusmodi potestatem largitur. Cur *duodecim* constituat, ratio assignari potest, quia patres veteris testamenti erant duodecim (*Alb. Ians.*); sunt itaque illi duodecim patriarchae et principes novi Israel, novi populi Dei. Ceterum hunc numerum in sacra historia frequenter reperiri notum est: duodecim erant filii Iacob, duodecim principes Israel, duodecim inventi sunt fontes in Elim, duodecim adolescentes offerebant hostias pacificas et holocausta post lectam legem Domini, duodecim lapides erant in rationali Aaron, duodecim panes propositionis, duodecim exploratores missi sunt a Moyse, per duodecim lapides sublatos de Iordane factum est altare ab Elia, duodecim boves sustinebant mare aeneum in templo, duodecim iudicum meminit liber Iudicum, qui praefuerunt populo post Iosue (*Ians.*) etc.

Legitur graece v. 16 καὶ ἐποίησε τοὺς δώδεκα et constituit duodecim, ad quam vocem ἐποίησεν referuntur nomina in v. 17-19 Iacobum et Ioannem etc.; sed antea inseritur sententia v. 16 *et imposuit Simoni nomen Petrus;* ad constructionem grammaticalem potius desiderares[1]: et constituit duodecim, Simonem, cui imposuit nomen Petrus, et Iacobum etc. Quem Marcus eousque vocavit Simonem (1,16. 29. 30. 36), ab hoc loco Petrum constanter deinceps appellat (5,37; 8,29. 32; 9,2; 10,28; 11,21; 13,3; 14,29 seq.). Unde valde probabile efficitur hanc Petri nominis impositionem non solum referri occasione electionis apostolorum, verum etiam factam esse. Nam aliquid simile deprehenditur quoque in Act.; reperitur nomen Sauli usque ad Act. 13,9, deinceps in narratione constanter legitur Paulus; ex quo merito concluditur eventum eo loco narratum mutati nominis fuisse occasionem (cf. *Cornely*, Introd. III p. 350). Praeterea, uti Ioan. 1,42 ei hoc nomen promittitur: tu vocaberis Cephas, ita postea Matth. 16,18 ut iam impositum ac notum recoli videtur: tu es Petrus; insuper tempus electionis ad novam apostolatus dignitatem aptum quoque erat quod nominis mutatione redderetur celebre ac memorabile pro principe apostolorum.

1. Fatendum est hunc modum interrumpendi sententiam esse duriorem. Unde aliqui quaerunt explicationem. Et Klostermann opinatur Marcum arcte secutum esse verba Petri qui ita narraverit: constituit nos duodecim et mihi dedit nomen Petri. Aliter Volkmar et W H ἐποίησεν τοῦς δώδεκα (καὶ ἐπέθηκεν ὄνομα τῷ Σίμωνι) Πέτρον sed quam inepte poneretur parenthesis ante nomen!

Contendit *Weiss* hanc nominis impositionem hoc loco a Marco relatam non posse conciliari cum Ioan. 1,42. Utique sunt qui iam primo Petri cum Iesu occursu ei hoc nomen inditum esse censeant; ita *S. Aug.* (de cons. evang. 2,17. 34) *Beda* aliique. Sed advertendum est id ex voce *vocaberis* necessario non sequi, cum ea aeque bene tempus futurum designetur, nullatenus unice quod aliqui volunt : te appellari iubeo Petrum (du sollst P. heissen). Porro etiam dici potest ex verbis Marci nominis impositionem referri ita ut quo tempore facta sit accurate et explicite non statuatur. Proin utrocumque modo explicaveris, immerito asseritur contradictio. Aliis placet nomen a Iesu non esse mutatum nisi Matth. 16,18. Illi statuunt (id quod admitti potest) narrari προληπτικως (*Patr. Fil.*) vel, ut *Vict.* ait, προφητικῶς, ἵνα προλάβῃ τὸ ἔργον ἡ κλῆσις προφητικῶς· Πέτρος γὰρ αὐτὸν κέκληκεν, ἐπειδὴ ἐν πέτρᾳ ἤμελλεν οἰκοδομεῖν; quibus verbis tamen non sequitur existimasse *Vict.* nomen non esse mutatum nisi Matth. 16,18, sed solum nomen ipsum quod Iesus imposuerit fuisse sua significatione propheticum nomen.

In albo apostolorum Matth. 10,2 et Luc. 6,14 post Petrum enumeratur eius frater Andreas qui Petro prius ad Iesum accesserat et fratrem suum ad Iesum adduxerat (Ioan. 1,40-42); Marcus mentione facta impositionis nominis statim eos subiungit quibus pariter alterum nomen a Iesu imponebatur, qui ordo quoque Act. 1,13 cernitur; καὶ ἐποίησεν *et* (constituit) *Iacobum Zebedaei et Ioannem fratrem Iacobi;* vide 1,19, *et imposuit eis nomina Boanerges quod est filii tonitrui;* cur ita vocati sint, duo solent afferri, vel indoles ferventior[1], quae deprehenditur 9,38 et etiam 10,35. Luc. 9,54 et quae in epistolis quoque Ioannis haud obscure se prodit 1 Ioan. 2,22; 3,8 et 2 Ioan. 7-11 et in variis locis Apoc., vel eloquentia tonans et praedicatio ardentissima. Prius sequuntur *Calm. Patr. Bisp. Keil, Weiss,* alterum *Theoph.,* ita eos vocat ὡς μεγαλοκήρυκας καὶ θεολογικωτάτους, *Euth. :* tamquam tonitruum enim de coelo auditum hi divina tonabant dogmata, Iacobus quidem sine scriptura, Ioannes vero scribendo, et similiter *S. Gregorius* naz. existimavit; scribit enim : cum Ioanne tonitrui filio intona (βρόντησον) nihil de Deo abiectum et terrenum insonans, sed excelsum et sublime (or. 34,13; *M.* 36,253) et *Theodoretus* pariter nomen inditum esse ait ob admirandam divinamque theologiae vocem (in Ps. 28,3; *M.* 80,1065; alios Patrum locos vide apud Suicerum I p. 711 seq.) et similiter *Vict. Bed. Alb. Ians. Mald. Lap.,* ut vocis efficacia essent quasi tonitrua quae homines etiam infideles et barbaros concuterent et ad poenitentiam traducerent. Alii utrumque coniungunt; neque immerito; nam cum indole ferventiore facile coniungi potest impetus quidam ac fervor di-

1. Cuius indicium etiam deprehendi potest in eo quod Epiphanius narrat noluisse eum in eodem cum Ebione balneo lavare (haer. 30,24; *M.* 41,445).

cendi et eloquentia ad id aliis persuadendum quod quis magno animi fervore amplexus est. Alii in tonitru exprimi censent non sublime et excelsum, verum id quod incutit terrorem et conscientias timore excitat, uti terribilis Dei maiestas tonitru designatur Ps. 28,5 seq. Iob 38,34; 40,4; neque id a fervore dicendi alienum est, praesertim cum initium praedicationis messianae esse debeat : poenitentiam agite, et S. Paulus quoque annuntiationem evangelii inchoet ab ira Dei quae revelatur coelitus super omnem impietatem (Rom. 1,18) et a die quem Deus statuit ad iudicandum orbem (Act. 17,31).

Uti *Wetstein* ex Aristophane (Acharn. 530) affert, Pericles in ira dicitur fulgurasse, tonuisse etc., et certe tonantes ii dici possunt qui genere dicendi vehementi utuntur; nam ut Cicero de eodem Pericle dicit (Orator. 29) : qui si tenui genere uteretur, nunquam ab Aristophane poeta fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus esset. Aliqui verentur nomen hoc tonantium de ingenio fervidiore explanare; nam esse plane improbabile Christum cognomen a vitio quodam imposuisse. Hoc fieri non potuisse concedendum erit, at negandum indolem ferventiorem statim esse in vitiorum loco ponendam vel talem reputandam defectum qui reprehensione dignus censeatur. Vox Βοανηργές vel ut multi quoque codd praebent Βοανεργες explicatur בְּנֵי רִגֶּשׁ; cum schwa mobile iam apud LXX in nominibus propriis plena vocali saepe exprimatur (cf. Βοσόρ, Γοδολίας, Ῥωβώθ, Ζοροβάβελ, Σόδομα etc. cf. *Koennecke*, die Behandlung der hebr. Namen in der Septuaginta, Stargard 1885 p. 26), mirum non est in pronuntiatione aramaica populari simile quid evenisse. Exempli causa affertur a Strabone (16,764) scribi Μοασαδα pro בִּיצְדָא (*Lightfoot* ad h. l. *Schanz*, *Patr.*). immo Hugo Broughton affirmat Iudaeos in hunc usque diem schwa per oa enuntiare. Aliqui in voce רִגֶּשׁ inveniunt difficultatem, cum ea vox non tonitru, sed turbam tumultuantem vel strepitum edentem significet. Quare iam S. Hieronymus (in Dan. cap. 1) scribit non ut plerique putent Boanerges, sed emendatius legendum esse Benereem (רַעַם tonitru) et in versione syriaca revera בני רגשי explicatur per בני רעמא. Eandemque difficultatem etiam recentiores aliqui movent et censent potius רגז (ira, impetus ira plenus) esse substituendum; cf. *Kautzsch*, Grammatik des Biblisch-Aram. p. 9. Sed eadem vox hodie adhuc in lingua vulgari in Syria adhibetur significatione quoque tonitru (cf. Vocabulaire arabe-français, Beyrouth 1883 s. v.). Quare haec notio in lingua vulgari exsistere potuit, etsi in libris non reperiatur, et proinde non opus erit cum *Mald.* aliisque dicere, quia tonitru tumultus sit vehemens quidam, poni tumultum pro tonitru, ideoque evangelistam interpretatum esse filios tonitrui.

Cur hi duo sicuti Petrus cognomine a Domino sint donati, hanc reddit rationem *Mald.* : « futuri erant secundum Petrum Christo familiarissimi et evangelii eius ardentissimi praecones; Petro igitur tamquam duci, Iacobo et Ioanni tamquam duobus eius signiferis nova dedit nomina, quia insigniores evangelii praedicatione futuri erant »; at nisi id retuleris ad eorum missionem vivo in terris Domino, difficile intelligitur, cum Iacobus mox ab Herode occisus sit (Act. 12,2); v. 18 *et Andream et Philippum et Bartholomaeum* quem Nathanael fuisse verisimile efficitur ex Ioan. 1,45 et 21,2 et ex ordine enumerationis

(vide ad Matth. 10,3); est itaque Nathanael filius (בר) Tholomaei (cf. 2 Sam. 13,37 תַּלְמַי LXX Θολμί, Θελαμί et apud Iosephum quoque nomen Θολομαῖος occurrit v. g. Antiq. 14,8. 1 et 20,1. 1; cf. *Lightfoot* ad Matth. 10,3), *et Matthaeum et Thomam*, qui dicitur Didymus (Ioan. 11, 16; 20,24; 21,2; תְּאוֹם geminus; cf. Gen. 25,24; 38,27 Cant. 4,5) *et Iacobum Alphaei* filium, qui Iacobus minor quoque vocatur (infra 15, 40) et frater Domini, de quo Gal. 1,19; 2,9 et qui est auctor epistolae (vide *Cornely*, Introd. III p. 593 seq.) *et Thaddaeum*, qui etiam Iudas Iacobi (Luc. 6,16. Act. 1,13) Iacobi scil. frater[1] et Lebbaeus quoque appellatur et inter fratres Domini recensetur et auctor est epistolae Iudae nomine inscriptae (cf. *Cornely* l. c. p. 649 seq.); nomen תדאי talmudicis quoque notum erat (cf. *Lightfoot* et *Wetstein* ad Matth. 10, 3). Nominis etymon et significatio est obscura; in Onomastico explicatur αἰνετός (*de Lagarde*, Onomastica s. 202,83); ceterum vide ad Matth. 10,3; *et Simonem Cananaeum* i. e. zelotem, uti Luc. 6,15 et Act. 1,13 habetur; proinde vocabulum explicandum est ex קַנָּא zelotypus, zelotes hebr. et aram. קַנָּאי quoque, unde ex nun dagessato orta videtur forma καναναῖος (cf. nomina propria גַּלַּלַי, מִלַּלַי Neh. 12,36; itaque קַנַּנַאי? uti *Schegg* p. 292, not. 18 monet); v. 19 *et Iudam Iscariotem qui et tradidit eum* i. e. vir ex Karioth oppido Iudae (Ios. 15,25; unde nomen explicatur אִישׁ קְרִיּוֹת). Unus ex apostolis erat vir ex regione Iudaeae; ceteri erant Galilaei; nam eos alloquuntur angeli : viri Galilaei et homines quoque Ierusalem degentes dicunt: nonne omnes isti Galilaei sunt (Act. 1,11 et 2,7); quare id immerito in dubium vocat *Weiss*. In eius electione demonstrari ait *Vict.* non naturae necessitate (φύσει) homines salvari vel perire, verum prout unusquisque se dignum ostendat vel salute vel interitu. Pluribus ea de re egi ad Matth. 10,4.

1. Non υἱὸς Ἰακώβοιο, ut habet *Nonnus* panoplit. ad Ioan. 14,22; *M.* 43,869. Quam explicationem *Patr.* quoque sequitur : « si Iacobus et Iudas apostoli fratres erant qui fieri potuit, ut alter Alphaei, alter Iacobi filius esset? Ut breve id faciam, aio, nisi dicere malis fratres uterinos eos fuisse, quaestionem dissolvi non aliter posse nisi ita ut dicamus Iudam apostolum alium esse illo qui in evangeliis una cum Iacobo inter Christi fratres recensetur, et sicut hi qui Christi fratres habebantur alii non erant quam huius patrueles, ita Iudam apostolum Iacobi fratrem habitum esse atque appellatum, quia eius esset vel patruelis, non quidem ex patruo (nullum enim Alphaeus fratrem habuit nomine Iacobum) sed ex amita vel consobrinus sive ex avunculo sive ex matertera ». Sed a lingua graeca minime alienum est ut *Iudas Iacobi* explicetur *frater* Iacobi; cf. *Winer* § 30,3 qui affert exemplum : Τιμοκράτης ὁ Μητροδώρου scil. ἀδελφός, Alciphr. 2,2. — Ceterum de Iacobo fratre Domini vide quae erudite disputavit *Ebben*, Veterum praeter apostolos scriptorum testimonia de Iacobo fratre Domini, Cleve 1858. Eius disputationis summam hisce accipe : « illud certissimum est Iacobum fratrem Domini non fuisse verum ac germanum fratrem Christi, quoniam patres scriptoresque ecclesiastici ad unum omnes germanos Christi fratres filiosque Mariae Virginis non agnoscunt ac reiiciunt et aspernantur » (p. 35) et « Iacobum fratrem Domini et eundem atque Alphaei filium et Iesu patruelem (non consobrinum) intelligendum esse » (p. 41).

b) Accusatio de Beelzebub 3,20-30.

3,20. Et veniunt ad domum; et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare. 21. Et quum audissent sui, exierunt tenere eum; dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.

22. Et scribae, qui ab Ierosolymis descenderant, dicebant: Quoniam Beelzebub habet, et quia in principe daemoniorum eiicit daemonia.

23. Et convocatis eis, in parabolis dicebat illis: Quomodo potest satanas satanam eiicere? 24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare. 25. Et si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. 26. Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit stare, sed finem habet. 27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum eius diripiet. 28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiae quibus blasphemaverint:

29. Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in aeternum, sed reus erit aeterni delicti:

30. quoniam dicebant: spiritum immundum habet.

3,20. Καὶ ἔρχεται εἰς οἶκον· καὶ συνέρχεται πάλιν ὁ ὄχλος, ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μηδὲ ἄρτον φαγεῖν. 21. καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· ἔλεγον γὰρ, ὅτι ἐξέστη. 22. Καὶ οἱ γραμματεῖς οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβάντες ἔλεγον, ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει, καὶ, ὅτι ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων ἐκβάλλει τὰ δαιμόνια. 23. καὶ προσκαλεσάμενος αὐτοὺς ἐν παραβολαῖς ἔλεγεν αὐτοῖς, Πῶς δύναται σατανᾶς σατανᾶν ἐκβάλλειν; 24. καὶ ἐὰν βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δύναται σταθῆναι ἡ βασιλεία ἐκείνη· 25. καὶ ἐὰν οἰκία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ, οὐ δυνήσεται ἡ οἰκία ἐκείνη στῆναι· 26. καὶ εἰ ὁ σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν καὶ ἐμερίσθη, οὐ δύναται στῆναι, ἀλλὰ τέλος ἔχει. 27. ἀλλ' οὐ δύναται οὐδεὶς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἰσχυροῦ εἰσελθὼν τὰ σκεύη αὐτοῦ διαρπάσαι, ἐὰν μὴ πρῶτον τὸν ἰσχυρὸν δήσῃ, καὶ τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει. 28. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι πάντα ἀφεθήσεται τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων τὰ ἁμαρτήματα καὶ αἱ βλασφημίαι ὅσα ἐὰν βλασφημήσωσιν· 29. ὃς δ' ἂν βλασφημήσῃ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον, οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου ἁμαρτήματος, 30. ὅτι ἔλεγον, πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει.

In v. 21 pauc μετ αυτου vel περι αυτου vel παρ αυτω; discipuli eg; discipuli sui gat dub wil; D και οτε ηκουσαν περι αυτου οι γραμματεις και οι λοιποι; item it pler et cum audissent de eo scribae et ceteri, go; D εξεσταται αυτους, a b d ff^2 i q exsentiat eos. In v. 26 D μεμερισται εφ εαυτον; i q dispertitus est super se; et non poterit stare regnum eius; item D a b g^1. In v. 29 αιωνιου κρισεως A C^2 Γ Π unc 9 al pler; iudicii f tol syr (utr).

Mox post electionem apostolorum Iesus longiore sermone quem montanum dicere consuevimus discipulos et turbas docuit, uti Luc. 6,20 seq. refertur. Hunc sermonem Marcus non commemorat; verum Iesum nobis ostendit revertentem domum i. e. in Capharnaum, uti sermone expleto etiam Luc. 7,1 narratur. Atque hic apostoli ex una parte testes sunt quanto studio et fervore turbae irruant, ex altera autem parte etiam experiuntur ex ipsis Iesu amicis nonnullos minime eius a Deo missionem credere, immo scribas, legis peritos ex Ierusalem, palam affirmare eum foedere inito cum principe daemonum eiusque ope sua

patrare portenta. Ex impetu turbarum, ex amicorum incredulitate et turpi errore, ex summa scribarum improbitate et blasphemia discere et animo poterant praesagire qualem ipsi quoque habituri essent partem cum Christo in officio ac munere apostolatus. Et primo quidem Marcus maximum quendam populi concursum nobis describit v. 20 *et veniunt ad domum* vel et venit, Christus scil., ἔρχεται εἰς οἶκον domum, intelligi domum Petri ex antecedentibus (1,29; 2,1) omnino probabile fit (*Mald. Schanz*) et etiam ex modo loquendi (venire domum) suadetur; si enim Christus in itinere ad quandam diverteret domum, exspectaremus dici εἰσέρχεται... (*Keil*); *et convenit iterum turba;* iterum, uti scil. 2,7 sese receperat quem nihilominus plurima turba sequebatur; *ita ut non possent* ipse et apostoli *neque panem manducare,* μηδὲ ne cibum quidem capere. Nota Hebraeorum phrasis est qua panis pro omni ponitur cibo et panem sumere et cibum sumere (*Mald.;* vide ad Matth. 6,11). Talem populi impetum esse factum solus nobis refert Marcus. Modus loquendi talis est qualem 1,33 deprehendimus et qui ad eius rei testem et participem pertinet. Quanto studio turbae opem Iesu exquirunt et appetunt! o quam felix occupatio Salvatoris, ait *Beda,* quam beata frequentia turbae confluentis, cui tantum studii ad audiendum verbum Dei, tantum fuit curae ad obtinendam salutem, ut auctori salutis cum eis qui secum erant ne vescendi quidem hora a solatio vitae miseris impendendo libera maneret!

Tanto autem populi concursu factum est, ut amicis quibusdam Christi res videretur periculi plena; quare Iesum vi eripere et ab actione coercere tentarunt v. 21 *et cum audissent sui* οἱ παρ' αὐτοῦ ii dicuntur qui quocumque modo ad aliquem pertinent, propinqui, cognati, discipuli, ii quos aliquis circa se habet, qui simul cum aliquo vivunt, comites, domestici (ita apud Graecos; vide *Passow* s. v. *Schanz;* ita quoque 1 Mach. 9,44 : dixit ad suos Ionathas; 1 Mach. 11,73; 15,15; 16,16; quibus locis apparet intelligi eos qui a partibus alicuius sunt, eius comites). Usus itaque is est, ut *sui* non necessario de consanguineis vel propinquis explicari debeat. Immo quia Marcus statim postea in v. 31 cognatos Christi voce maxime propria appellat *fratres,* hic locutione diversa indicari videtur non intelligi cognatos Christi, sed aliquos eius discipulos (uti iam *Ps. Hier.* explicat)et amicos qui in Capharnaum ab eius partibus erant. Hi itaque ἀκούσαντες ἐξῆλθον; quid audierunt? ex contexta oratione de nulla alia re sermo esse potest nisi de v. 20 de tanto populi concursu qui utique factus est propter miracula a Christo patrata; et unde *exierunt?* Si ἀκούσαντες oportet interpretari ex v. 20, exierunt itaque ex privatis domibus Capharnaum (*Calm. Schanz*), simulac rumor de immenso turbarum impetu ad eos perlatus est; exie-

runt *tenere eum* κρατῆσαι, scil. ut eum prehenderent et alio abducerent et eum in tuto collocantes simul commotionem turbarum coercerent; *dicebant enim, quoniam in furorem versus est;* utrum id quoque vere existimaverint apud se necne non satis indicatur. Sufficit si vocem ἔλεγον spectas explicare id eos *dixisse,* forte ut studio inconsiderato comprimerent impetum turbarum, vel potius ut invidiae et insidiis occurrerent scribarum et insaniam praetendentes Iesum facilius ab eorum insectatione vindicarent et servarent. Quodsi ita eorum agendi modum exposueris, studium quidem quoddam pro Iesu prae se ferunt, at simul pandunt quam parum eousque in Iesu schola et disciplina profecerint, quam parum de eius dignitate, munere, missione divina intellexerint. Si palam dicunt eum mente alienatum in insaniam et furorem incidisse, et Iesu maximam irrogant iniuriam et nascenti turbarum fidei damnum inferunt eo maius, quia qui eius asseclae et amici esse perhibentur tam nefario modo de eo loqui audiuntur. Quo quid posset esse magis perversum?

Plura sunt in hac brevi narratione et obscura et controversa atque dubia. Iam *Vict.* scribit : qui essent qui audierint et unde exierint, non clare enarravit (οὐ σαφῶς διηγήσατο), et ipse quidem opinatur evangelistam loqui de pharisaeis et scribis qui propter populi concursum ira inflammati Christum voluerint comprehendere. Unde consequitur interpretem graecum τοὺς παρ' αὐτοῦ intellexisse solum de iis qui circa Iesum erant, prope eum versabantur eumque sequebantur animo maligno. Plerumque autem eam dictionem accipiunt de discipulis (*Alb.* qui in textu legit : et cum audissent sui discipuli), de discipulis et consanguineis (*Dion.*), de cognatis et propinquis (*Beda, Cai. Ians. Mald. Calm. Patr. Schegg, Fil. Weiss*); sed de asseclis et amicis ex Capharnaum *Schanz, Keil* explicant, *Theoph.* haec proponit seligenda : οἱ οἰκεῖοι αὐτοῦ, τυχὸν οἱ ἀπὸ τῆς αὐτῆς πατρίδος, ἢ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ et *Euth.* quoque similiter. Cum Ioan. 7,5 narret : neque enim fratres eius credebant in eum, haec de cognatis explicatio nihil habet quod sit a verisimili alienum nisi unum illud quod Marcus cognatos v. 31 alio vocabulo nominat.

Suos autem insaniam praetendisse quo facilius Iesum eriperent et removerent opinantur *Lamy, Bisp. Schanz, Fil. Keil, Weiss;* alii eos revera putasse Iesum esse in furorem versum; ita *Theoph.* (eum habere daemonium) *Cai. Dion. Ians. Mald.*, qui notat : « omnes quos me legisse memini vetustiores auctores non simulationem sed sententiam fuisse existimant; quibus libenter equidem eorum ductus auctoritate subscribo, quamquam nihil absurdi esse video, si fuisse dicamus simulationem; nam nec evangelista dicit putabant, sed *dicebant*, et si eorum volumus existimationi consulere, res est eiusmodi ut levioris fuisse culpae videatur id fingere quam credere ». Ceterum si explicatio de cognatis placet, eorum incredulitas haud difficile intelligitur. Nam, ut *Cai. Ians.* adnotant, viderant siquidem Iesum

usque ad annum trigesimum vitam egisse communem, ab aliis nihil differentem, viderant ipsum arti fabrili vacantem et sciebant eum operam litteris nunquam dedisse; egerant cum ipso familiariter. Inde factum est ut nihil magnificum de eo sentire valerent. Cum itaque audirent quae de ipso nuntiabantur insolita esse et supra modum humanarum virium, furore quodam et daemone agi dixerunt atque hinc fieri ut nova atque inaudita faceret et doceret (*Ians.*), vel putaverunt eum versum in insaniam et veluti fatuum garriendo discurrere (*Cai.*). Quare suum esse putabant, ut eum cohiberent metuentes forte etiam ne rebus per Iesum novatis tota simul cognatio perderetur et profligaretur odio eius adversariorum.

Haec quamvis in se vera esse possint, tamen valde dubito num hoc loco contineantur vel enuntientur. Nam qui ita explicant debent illud ἀκούσαντες referre saltem ad omnia quae Marcus eousque de Iesu praedicatione et miraculis narravit; alias enim insolita illa et quae sint supra modum humanarum virium non haberentur. Sed de tali vocis explicatione prorsus nihil indicatur; ea excluditur propter nexum qui effertur inter v. 20 et 21. Eodem nexu prohibemur, ne *exierunt* cum *Bisp. Schegg, Fil. Weiss* referri dicamus ad Nazareth; nam in v. 20 narratur eventus qui semel Capharnaum contigit et ita quidem, ut consueto tempore Christus cum apostolis non posset mensae accumbere; quod audientes exierunt, etc.; talem autem rumorem perlatum esse Nazareth indeque egressos statim adfuisse ut Iesum turbis eriperent plane improbabile est.

Sunt quoque qui Christi cognatos ab accusatione insaniae in Iesum absolvant. Id quod varia ratione tentatum est; eos scil. venisse, quia homines dicebant eum esse in furorem versum; ita *Euth.*, qui scribit : ἔλεγον γάρ τινες φθονεροί, ὅτι παρεφρόνησε; sim. *Fab.*, hunc rumorem perlatum esse Nazareth ideoque illos venisse, *Lamy, Weiss;* sed bene notat *Mald.*, id subtilius dici. Alii : discipulos dixisse : populus in furorem versus est, populus ita se gerit quasi non satis sanus esset; unde etiam κρατῆσαι αὐτόν ut populum coercerent vel inhiberent, interpretantur (cf. *Schoettgen* ad h. l.). Alii eo offendebantur quod Iesus furoris et insaniae accusaretur; unde vocem ἐξέστη ad alias notiones trahere conabantur. Iam *Euth.* commemorat alios interpretari ἀπέστη ἀπ' αὐτῶν διὰ τὸν ὄχλον, alios : dissolutus est a vigore corporis prae nimio labore; ita recentiores quoque aliqui : nimis defatigatus est, deliquium passus est (*Grotius, Kuinoel*), vel in ecstasin raptus est. Verum haec omnia coacta sunt et a notione et usu vocis recedunt; de eius significatione etiam vide 2 Cor. 5,13; Graeci quidem saepe addunt φρενῶν, τοῦ φρονεῖν; sed etiam solam adhibent vocem; ita Aristoteles : ἐξίσταται καὶ μαίνεται (H. A. 6,22; cf. *Cremer,* Bibl. theol. Woerterb. s. v.). Merito scribit *Mald.* : « hunc locum difficiliorem pietas facit; quia enim animus horret non solum credere sed cogitare etiam Christi cognatos aut dixisse aut existimasse eum esse furiosum, pio quodam studio nonnulli relicta verborum proprietate alias quae minus a pietate abhorrere viderentur interpretationes quaesierunt; nescio an dum pias quaererent falsas invenerint ». Aliis in locis ἐξιστάναι dicitur de magna animorum commotione qua quis prae admira-

tione et obstupefactione quasi extra se rapi videretur cf. 2,12; 5,42; 6,51, etc.

Etiam peius scribae iudicant de Iesu. Quibus occasionibus eiusmodi blasphemias protulerint, refertur Matth. 9,34 et 12,22 seq. et Luc. 11,14. Id quidem totidem verbis Marcus non indicat; at satis clare patet ex calumnia scribarum et responsione Christi. Pharisaeos talia accusasse narrat Matthaeus, Marcus scribas; cum utrique quasi conspiratione facta Christo malitiose insidiarentur, utrosque in hac quoque calumnia conspirasse qua nascentem turbarum fidem non solum exstinguerent, sed etiam rabiem popularem in Iesum accenderent nemo negabit; ceterum vide 2,16 οἱ γραμματεῖς τῶν φαρισαίων, quare ne umbra quidem contradictionis vel diversitatis relinquitur v. 22 *et scribae qui ab Ierosolymis descenderant*, uti turbae 3,8, ita scribae quoque ab urbe venerant; at hi ut Iesum malitiose observarent et causas ad eum accusandum captarent; quanta itaque iam in eum exstiterit nobilium et doctorum simultas aperte colligitur, *dicebant* ἔλεγον, igitur ita dicere et in vulgus spargere solebant et studebant, *quoniam* ὅτι qua particula, uti assolet, ipsa loquentium verba inducuntur, *Beelzebub*[1] *habet et quia in principe daemoniorum eiicit daemonia:* ergo miracula eius fiunt ope diabolica: foedere inito cum diabolo viribus diaboli edit portenta. Insignis huius calumniae malitia quam maxime effertur Matth. 12,23, quia tum eam in vulgus spargunt, cum turbae magna operum Iesu admiratione captae incipiunt eum profiteri Messiam. Proin scribae diabolica improbitate initia fidei penitus exstirpare et Iesum tamquam hominem cum daemone intime coniunctum et proinde omni abominatione dignum et plane abhorrendum designant turbis.

Iesus autem tam ingenti iniuria irrogata mitis ac mansuetus respondet. Et primoquidem apertissime ostendit quam falso et inepte talia aggerant, secundo docet a se satanam eiusque regnum destrui, tertio magnitudine eius blasphemiae declarata omnes absterret ne opera Dei diabolo adscribentes peccato scribarum consentiant; v. 23 *et convocatis eis in parabolis dicebat illis*, rem similitudinibus et exemplis declarat; prius interrogatione rem de qua agitur ita statuit, ut ipsa quaestione iam appareat eorum calumniam esse plane absurdam: *quomodo potest satanas satanam eiicere?* fierine potest, ut satanas seipsum expellat, e sede deiiciat, se ipsum dominatione privet et suum regnum ipse evertat? Id

1. Vide quae de Beelzebub dicta sunt in Comment. Matth. ad 10,25 (I p. 400); quibus addo quae existimat *Neubauer* (The dialects in Palestine, Studia biblica, Oxford 1885 p. 39), זבול esse formam dialecti pro זבוב *apis;* fuisse in aliquibus locis Baal muscarum, in aliis Baal apium.

enim Christum facere luce clarius est, cum ubique daemones eiiciat et homines ad pietatem reducat et daemones eius potestatem timeant et solum inviti cedant. Dein pluribus ostendit quam absonum sit affirmare eiici daemones per principem eorum v. 24 *et si regnum in se dividatur,* secum ipsum dissidet, ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ breviter dictum est : si *divisum* est ita ut *contra se ipsum* discordet ac dissideat, *non potest regnum illud stare*[1]; idem valet de familia, de minore quadam societate, quae consistere et prospere agere nequit, si discordia socii inter se scinduntur; v. 25 *et si domus super semetipsam dispertiatur,* dictio est eadem quae in v. 24 graece, *non potest domus illa stare;* inde vero concluditur v. 26 *et si satanas consurrexerit in se ipsum,* suum regnum ipse evertat, socios suos daemones constanter expellat, *dispertitus est et non poterit stare sed finem habet;* sed quis tam absurdus est ut asserat daemonem se ipsum auctoritate et regno privare et omni conatu nunc destruere quod omni studio acquirere et retinere vult?

Scribis ita absurditatis convictis demonstrat quid ex eiectione satanae disci potius potuerit ac debuerit v. 27 graece cum emphasi ἀλλὰ, quin immo *nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget et tunc domum eius diripiet* i. e. me videtis ingressum in regnum diaboli eiusque vasa et instrumenta ei eripere, homines quos ille ceu spolia Deo subrepta possedit, videtis me eius auferre arma in quibus hactenus confisus est, potentiam scil. et vim ipsius et vitia, quibus hactenus contra homines praevaluit; hoc itaque certum est argumentum a me tamquam fortiore eum esse alligatum et superatum. Et quid inde consequitur? quid consequitur, si caput serpentis diaboli conteritur? et princeps huius mundi eiicitur foras? ergo pervenit in vos regnum Dei (Matth. 12,28).

Quid vero immineat eis qui data opera miracula divina quae tamquam divina non possunt non cognoscere attribuunt diabolo, ut legato Dei invidiam creent hominesque a salute avertant, Christus gravibus denuntiat verbis, ut omnes deterreat ne blasphemiae scribarum suffragentur v. 28 *amen dico vobis,* affirmationis formula uni Christo quantum scimus usitata, idque quam saepissime (*Patr.*), certe, profecto vobis assero et affirmo : *quoniam* (ὅτι, ut v. 21. 22) *omnia dimittentur filiis hominum*[2] *peccata et blasphemiae quibus* (ὅσα quibuscumque vel quantiscumque) *blasphemaverint,* ipsa collocatione : omnia dimittentur... peccata, et addita sententia generali ὅσα... effertur emphasis, omnibus

1. Notum est illud Sallusti quod *Beda* h. l. affert : quomodo concordia parvae res crescunt, sic discordia maximae dilabuntur.

2. Ex sermone aramaico dictio est servata; ibi enim barnoscho (filius hominis) ita in generalem notionem hominis abiit, ut ipse quoque Adam vocetur barnoscho.

hisce iri veniam concessum, ut exceptio quae statuitur quam maxime animos mentesque percellat et a crimine absterreat, v. 29 *qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum non habebit remissionem in aeternum*, quae exceptio sententia altera affirmativa adiuncta certissime valere ac consistere dicitur : *sed reus erit delicti aeterni* peccatum hoc est peccatum aeternum quod nunquam tollatur aut expietur, sed quo ille in aeternum manet peccator; et qualis sit haec blasphemia explicatur v. 30 *quoniam dicebant : spiritum immundum habet* i. e. eam commiserunt blasphemiam cum dicerent v. 22 : Beelzebub habet etc.

Quem locum bene explicat *Beda*, cum dicit : « qui ergo manifeste intelligens opera Dei cum de virtute negare non possit, stimulatus invidia calumniatur et Christum Deique verbum et Spiritus sancti opera dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur neque in praesenti saeculo neque in futuro. Non quod negemus et ei, si poenitentiam agere voluerit, posse dimitti ab eo qui vult omnes homines salvos fieri et in agnitionem veritatis venire; sed quod ipsi iudici et largitori veniae credentes qui et se poenitentiam semper accepturum et hanc blasphemiam nunquam dicit esse remittendam, credamus hunc blasphemum exigentibus meritis, sicut nunquam ad remissionem, ita nec ad ipsos dignae poenitentiae fructus esse perventurum ». Et profecto id secundum leges sermonis humani consequitur. Statuitur enim in v. 28 regula et norma generalis; huic in v. 29 additur exceptio, in quo scil. casu remissio non concedatur, quae exceptio duabus sententiis enuntiatur et in aeternum manere et valere bis quoque affirmatur. Nonne audacius est a *tali* exceptione iterum statuere exceptionem i. e. eam proprio marte abrogare velle? In sententia simili nemo id audet : qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit — en regula communis — qui vero non crediderit condemnabitur (Marc. 16,16); omnes dicunt sententiam hanc negativam valere in universum, uti est natura eiusmodi sententiarum; nemo audet explicare : qui non crediderit, fere semper condemnabitur, raro et difficillime servabitur etc. quas tamen explicationes haud raro huic Christi verbo v. 29 imponunt. Sed ea de re explicatius egi in Comment. Matth. I p. 487-495 et in Revue biblique 1892 p. 161. Addo quod *Patr.* scribit : « cum Christus videret scribas ita esse animo comparatos praevideretque tales semper futuros adeo ut nunquam poenitentia ducti mentem essent mutaturi, aeternam damnationem quae ipsos manebat eis denuntiavit; attamen universe locutus est quia eadem esset ceterorum omnium conditio qui pari modo peccarent ». Si vero idem explicat blasphemare in Spiritum sanctum esse idem atque apud se habere constitutum gratiam a Deo oblatam respuere semper et con-

temnere, fateor me non perspicere quomodo haec definitio ex hac evangelii narratione colligatur recte et unice.

c) Qui sint cognati Messiae 3,31-35.

3,31. Et veniunt mater eius et fratres, et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum. 32. Et sedebat circa eum turba; et dicunt ei : Ecce mater tua et fratres tui foris quaerunt te. 33. Et respondens eis ait : quae est mater mea, et fratres mei? 34. Et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant, ait : Ecce mater mea, et fratres mei.

35. Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

3,31. Καὶ ἔρχονται ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ ἔξω στήκοντες ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν καλοῦντες αὐτόν. 32. καὶ ἐκάθητο περὶ αὐτὸν ὄχλος καὶ λέγουσιν αὐτῷ, Ἰδοὺ, ἡ μήτηρ σου καὶ οἱ ἀδελφοί σου ἔξω ζητοῦσί σε. 33. καὶ ἀποκριθεὶς αὐτοῖς λέγει, Τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου ἢ οἱ ἀδελφοί; 34. περιβλεψάμενος τοὺς περὶ αὐτὸν κύκλῳ καθημένους, λέγει, Ἴδε ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου. 35. ὃς ἂν ποιήσῃ τὰ θελήματα τοῦ Θεοῦ, οὗτος ἀδελφός μου καὶ ἀδελφὴ καὶ μήτηρ ἐστίν.

In v. 32 add και αι αδελφαι σου A D E F H M S U V Γ minusc mu a b c f ff²1 q go. In v. 33 *qui sunt* fratres mei in big eg mt ox tol wil corp. In v. 35 ος γαρ apud testes pler; solum B θεληματα; al το θελημα; hub pater (pro *mater*).

In antecedentibus didicerunt apostoli doctrinam et opera Christi quandoque ab ipsis quoque amicis non intelligi, ab adversariis autem summa improbitate perstringi, immo ad diabolum auctorem et adiutorem referri. Quid itaque sibi ipsis, sociis Iesu et legatis, exspectandum esset, coniicere poterant. Nunc vero aliud iis exhibetur documentum quod pariter summi est momenti pro munere apostolico v. 31 *et veniunt mater eius et fratres;* immerito aliqui dicunt hic continuari narrationem in v. 21 inceptam, sed longiore parenthesi interruptam (*Mald. Schegg, Bisp. Fil.*). Dico immerito; nam hic venire dicuntur mater et fratres, ibi autem οἱ παρ' αὐτοῦ; si evangelista indicare voluisset esse eosdem eandem quoque adhibuisset designationem. Dein οἱ παρ' αὐτοῦ multo latiorem habet significationem. Multo melius dicit *Ed.* I p. 543 evangelistam ipsa mutatione dictionis clare ostendere iam de alia re institui sermonem. Neque argui potest cum *Fil.* legi οὖν; quare narrationem priorem iterum assumi ac continuari. Nam codices meliores et editiones criticae legunt καί (ℵ B C D G L) et simili modo uti hic καὶ ἔρχονται, alias quoque novus eventus induci solet (1,21. 40; 3,1. 13. 20; *Schanz*). Pariter plane falsum est asserere v. 22-30 per modum parenthesis inseri ideoque nunc narrationem antea inceptam absolvi. Nihil enim afferri potest quo ostendatur talem parenthesin esse statuendam. Neque ullo pacto probabile est scriptorem narrationem intercipere et interrumpere alia relatione et disputatione longiore quae

quomodo cum instituta narratione cohaereat nullo nexu indicatur. Et si eiusmodi inseruisset, debuit postea saltem uti iisdem vocabulis ad eos designandos de quibus scribere et narrare pergere vellet. Neque insertio ex eo potest explicari quod dum illi exirent, scribae blasphemiam in vulgus spargerent. Nam secundum seriem et ordinem rerum apud Lucam duo isti eventus longo temporis intervallo separantur; cognati ad Iesum veniunt Luc. 8,19; disceptatio illa cum scribis 11,17.

Iesus docebat in domo; prae turba eum adire non poterant. Quaerunt etiam quam ob causam venerint. Evangelistae nullam assignant. Varias opiniones colligit *Sylv.* lib. 5 cap. 25 qu. 2, eos aestuasse vehementi desiderio videndi ac fruendi Christo, vel postulasse ut locus ad audiendum aptus sibi pararetur; eum vocasse, ut a labore et praedicatione aliquid caperet quietis, vel etiam ut a periculo eum liberarent quod a pharisaeis ipsi imminere intellexissent. Sed cum evangelistae sileant, haud utile erit multum coniecturis insistere; *et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum*, eos misisse ad Iesum, solus Marcus accuratius ceteris refert, et cur miserint etiam indicat v. 32 *et sedebat circa eum turba*, qua sententia eadem redditur ratio quae legitur Luc. 8,19 : non poterant eum adire prae turba. Is quem miserant rem communicat cum iis qui prope Iesum assistunt, *et dicunt ei : ecce mater tua et fratres tui foris quaerunt te;* Iesus autem, uti olim iam significaverat se debere in iis esse quae Patris sui essent, ita hic quoque et apostolos et omnes docet in negotio evangelico non agnoscendam et spectandam cognationem carnis nec ob ullos humanos affectus sermonem evangelicum interrumpi debere (*Ians.*), ob privatam propinquorum causam nullatenus esse postponendum munus a Deo in salutem omnium commissum. Quare Iesus tamquam Messias et legatus divinus saluti omnium operam suam impendit neque carnalem cognationem agnoscit : v. 33 *et respondens eis ait : quae est mater mea et fratres mei?* qui sunt ii quos maximo animi affectu et amore prosequor? quibus omnem curam ac sollicitudinem impendo? quibus ius est ut a me amorem et opem expetant? v.34 *et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant*, benignissimo certe ac suavissimo intuitu, indice amoris et, ut Matthaeus narrat, extendens manum, quasi eos amplectens, oculis itaque et manibus suum contestans amorem, *ait : ecce mater mea et fratres mei*, v. 35 *qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus et soror mea et mater est;* ut dixit : meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei, ut perficiam opus eius (Ioan. 4,34), ita tenerrimo animi affectu se eos complecti affirmat qui hanc secum habeant cognationem spiritualem. Hi itaque vere sunt ipsius propinqui quia eiusdem indolis ac naturae sunt participes, propinqui sunt non carnis et sanguinis habita ratione, sed quod multo

nobilius est, propter eandem animi habitudinem. Quare simul patet ab eo nullatenus contemni matrem et propinquos, sed solum affirmari quo quis maiore studio voluntatem Patris animo et opere complecti et exsequi studuerit, eum quoque modo insigniore Iesu esse propinquum et familiarem. Iam vero quis ardentiore animo voluntatem Dei est amplexus quam illa quae totam suam mentem hac descripsit sententia : ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum? Vide quae dixi ad Matth. 12,50.

Ostendit itaque Christus, ut *Vict.* ait, prae omni cognatione eos esse praeferendos qui sint propinqui secundum fidem, neque haec ab eo dici ac si repudiaret matrem et cognatos, verum ut doceat se prae omni propinquitate carnali magni aestimare animi cognationem ; idque palam profiteri ea in occasione omnino oportuisse ad doctrinam eorum qui adfuerint, quia scil. ad propinquorum collocutionem vocatus sit quasi ad aliquid quod eum praedicationi antepositurum esse existimaverint. Opus igitur spiritale carnis cognationi praefert, religiosiorem cordium coniunctionem docens esse quam corporum (*Beda*) et docens servandum ordinem, ut divina opera praeponantur humanis, ut divina praedicatio, ut religio non omittatur propter pietatis officia; importune dictum ei fuerat : ecce mater tua etc. (*Cai.*). Atque tale ab eo documentum et exemplum exhiberi neque propter privatum propinquorum desiderium intermitti curam omnium profecto eum decuit qui suos docet : qui amat patrem aut matrem plus quam me non est me dignus et qui exigit ab apostolis, ut relictis omnibus sibi adhaereant, immo vitam et sanguinem pro se fundant (cf. Matth. 10,37. 39. Luc. 14,26). Ceterum qui dicantur *fratres* Christi, vide ad 6,3 et cf. *Cornely*, Introd. III p. 695.

Narratio haec legitur apud Matth. et Marc. ante parabolam de seminante, apud Lucam post eam; unde tres synoptici etiam rationem temporis eius eventus satis indicant, scil. ea vitae publicae parte qua Christus turbas quae ab erronea exspectatione regni messiani se dimoveri non sinebant incepit docere parabolis, ut videntes non videant et audientes non intelligant, cum scil. ob regni temporalis desiderium inepti sint ad veram Messiae eiusque regni naturam animis percipiendam. Vide ad Matth. 13,13.

d) **Parabola seminantis 4,1-20.**

4,1. Et iterum coepit docere ad mare : et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari; et omnis turba circa mare super terram

4,1. Καὶ πάλιν ἤρξατο διδάσκειν παρὰ τὴν θάλασσαν· καὶ συνάγεται πρὸς αὐτὸν ὄχλος πλεῖστος ὥστε αὐτὸν εἰς πλοῖον ἐμβάντα καθῆσθαι ἐν τῇ θαλάσσῃ· καὶ πᾶς ὁ ὄχλος

erat. 2. Et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrina sua :

3. Audite : ecce exiit seminans ad seminandum. 4. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam; et venerunt volucres coeli, et comederunt illud. 5. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam; et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terrae; 6. Et quando exortus est sol, exaestuavit, et eo quod non habebat radicem exaruit. 7. Et aliud cecidit in spinas; et ascenderunt spinae, et suffocaverunt illud; et fructum non dedit. 8. Et aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum ascendentem et crescentem; et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. 9. Et dicebat : qui habet aures audiendi, audiat. 10. Et quum esset singularis, interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim, parabolam.

11. Et dicebat eis : vobis datum est nosse mysterium regni Dei : illis autem qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt.

12. Ut videntes videant, et non videant; et audientes audiant, et non intelligant; ne quando convertantur, et dimittantur eis peccata. 13. Et ait illis : nescitis parabolam hanc? et quomodo omnes parabolas cognoscetis? 14. Qui seminat, verbum seminat. 15. Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum; et quum audierint, confestim venit satanas, et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum. 16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur; qui quum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud; 17. et non habent radicem in se, sed temporales sunt; deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. 18. Et alii sunt, qui in spinis seminantur : hi sunt qui verbum audiunt; 19. et aerumnae saeculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum; et sine fructu efficitur.

20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt : qui audiunt verbum,

πρὸς τὴν θάλασσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἦσαν. 2. καὶ ἐδίδασκεν αὐτοὺς ἐν παραβολαῖς πολλὰ, καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, 3. Ἀκούετε. ἰδοὺ, ἐξῆλθεν ὁ σπείρων σπεῖραι· 4. καὶ ἐγένετο ἐν τῷ σπείρειν, ὃ μὲν ἔπεσε παρὰ τὴν ὁδὸν, καὶ ἦλθεν τὰ πετεινὰ καὶ κατέφαγεν αὐτό. 5. καὶ ἄλλο ἔπεσεν ἐπὶ τὸ πετρῶδες, καὶ ὅπου οὐκ εἶχεν γῆν πολλήν· καὶ εὐθὺς ἐξανέτειλεν διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος τῆς γῆς· 6. καὶ ὅτε ἀνέτειλεν ὁ ἥλιος ἐκαυματίσθησαν καὶ διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν ἐξηράνθη. 7. καὶ ἄλλο ἔπεσεν εἰς τὰς ἀκάνθας· καὶ ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, καὶ συνέπνιξαν αὐτὸ, καὶ καρπὸν οὐκ ἔδωκεν. 8. καὶ ἄλλα ἔπεσεν εἰς τὴν γῆν τὴν καλήν· καὶ ἐδίδου καρπὸν ἀναβαίνοντα καὶ αὐξανόμενα, καὶ ἔφερεν εἰς τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν. 9. καὶ ἔλεγεν, Ὃς ἔχει ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω.

10. Καὶ ὅτε ἐγένετο κατὰ μόνας, ἠρώτων αὐτὸν οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα τὰς παραβολάς. 11. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Ὑμῖν τὸ μυστήριον δέδοται τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ· ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξωθεν ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται· 12. ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσιν· καὶ ἀκούοντες ἀκούωσι, καὶ μὴ συνιῶσιν· μή ποτε ἐπιστρέψωσιν καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς. 13. Καὶ λέγει αὐτοῖς, Οὐκ οἴδατε τὴν παραβολὴν ταύτην; καὶ πῶς πάσας τὰς παραβολὰς γνώσεσθε; 14. ὁ σπείρων τὸν λόγον σπείρει. 15. οὗτοι δέ εἰσιν οἱ παρὰ τὴν ὁδὸν, ὅπου σπείρεται ὁ λόγος, οἳ ὅταν ἀκούσωσιν, εὐθὺς ἔρχεται ὁ σατανᾶς καὶ αἴρει τὸν λόγον τὸν ἐσπαρμένον εἰς αὐτούς. 16. καὶ οὗτοί εἰσιν ὁμοίως οἱ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπειρόμενοι, οἱ, ὅταν ἀκούσωσιν τὸν λόγον, εὐθὺς μετὰ χαρᾶς λαμβάνουσιν αὐτὸν, 17. καὶ οὐκ ἔχουσιν ῥίζαν ἐν ἑαυτοῖς, ἀλλὰ πρόσκαιροί εἰσιν· εἶτα γενομένης θλίψεως ἢ διωγμοῦ διὰ τὸν λόγον, εὐθὺς σκανδαλίζονται. 18. καὶ ἄλλοι εἰσὶν οἱ εἰς τὰς ἀκάνθας σπειρόμενοι, οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον ἀκούσαντες, 19. καὶ αἱ μέριμναι τοῦ αἰῶνος καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι εἰσπορευόμεναι συμπνίγουσι τὸν λόγον, καὶ ἄκαρπος γίνεται. 20. καὶ ἐκεῖνοί εἰσιν οἱ ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν σπαρέντες, οἵτινες ἀκούουσι τὸν λόγον καὶ παραδέχονται, καὶ

et suscipiunt et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. | καρποφοροῦσιν, ἓν τριάκοντα, καὶ ἑξήκοντα, καὶ ἑκατόν.

In v. 1 οχλος πλειστος ℵ B C L Δ Ti W H; πολυς A D Π unc 9 al it vulg; D περαν της θαλ, al παρα την θαλ; vet latin : circa, super mare, circa litus maris, ad litus, proxime litus; g^1 omnis turba stabat in litore, item *in litore* b c f ff^2. In v. 2 b et docebat eos in similitudinibus. In v. 3 pler του σπειρειν. In v. 4 πετεινα του ουρανου D G M al vix mu a ff^1 g^2 i q gat. In v. 5 τα πετρωδη ℵ D it pl vulg, a petrosam terram. In v. 7 g^1 ff^2 q increscentibus spinis suffocatum est. In v. 9 add D και ο συνειων συνειετω a b d ff^2 $g^{1\,2}$ i et intelligens intelligat. In v. 10 *cum* duodecim, uti graece, in am big dub hub lich med ox ken rush lind; de parabolis eg gat, codd vulg (excipe wil) *parabolas;* quae esset parabola ista it pl, item D minusc aliq. In v. 11 non habent γνωναι ℵ B C^* L A K Π al plus 10 ff^1. In v. 12 in fine add τα αμαρτηματα A D Δ Π unc 9 al pler it pler vulg cop syr al. In v. 15 in fine εν ταις καρδιαις D Π unc 9 al pler it pler (codd pler vulg *in corda*) syr arm go. In v. 19 codd it mire variant : sollicitudines victus et errores mundi, per sollicitudines saec. huius et illecebras divitiarum, delectationes mundi simul incidentes suffocant etc. In v. 20 Ti ἐν τριάκοντα καὶ ἓν etc. cum E F G H K M U V Π minusc pl.

In antecedentibus (3,20-35) apostoli iis quae coram se fieri ac disceptari viderunt edocti sunt de vario hominum genere, de sorte vitae apostolicae et de ratione qua huic muneri insistendum sit seposito omni affectu carnali. In turbis quae tanta aviditate Christum sectantur, laetus iis aperitur prospectus fore ut multi praedicationem salutis messianae cum aviditate et gaudio suscipiant; in scribis vero praeludium habent quanto odio et quanta improbitate homines superbi et scientia inani inflati veritatem oppugnare et suffocare conentur. Simili modo quas sortes et vicissitudines habitura sit annuntiatio messiana, iis nunc Christus aperit in parabolis, quibus eos edocet de mysterio regni Dei (4,11). Nam, prout bene advertit *Vict.*, parabolae sunt praedictiones quaedam eorum, quae per praedicationem et de praedicatione futura sunt, quibus Christus ostendit se plane gnarum esse eorum quae eventura sunt; praedicit autem et multorum studium amplectendi evangelium et aliorum negligentiam et incuriam, praedicit fructum et iacturam et sterilitatem ad institutionem eorum qui praedicaturi sunt, ne quid inopinato et quasi a Christo ignoratum sibi evenire unquam existiment.

Turbis frequentibus operam Christus impendit, quae cura documentum quoque egregium est pro apostolis; v. 1 *et iterum coepit docere ad mare*, uti docebat 2,13 ad mare et certe etiam 3,7 quamvis hic solum mentio fiat curationum; sed cum Christus sanaret etiam eo ut doctrinae via pararetur, non eum a docendo cessasse putandum erit; *coepit* docere in littore et cum coepisset idque statim longe lateque innotuisset, *congregata est,* congregatur (graece, id quod rem magis

subiicit oculis quasi eam sistens praesentem) *ad eum turba multa*, graece : plurima, ὄχλος πλεῖστος, proin progressu quodam ad πολὺ πλῆθος 3,7. 8, *ita ut navim ascendens sederet in mari*, tantus erat concursus ut ea uteretur opportunitate quam sibi paratam ac promptam esse voluerat 3,9; *et omnis turba circa mare super terram erat;* sedet in navicula piscans et in suam trahens sagenam eos qui in terra sunt; accurate evangelista scenam componit (*Vict.*). « Videmus Christum terra marique evangelium propagare et sicut mercatores lucrum, ita animas quaerere, et postquam privatim domi praedicavit prodire in publicum, ut omnes doctrinae suae participes faciat » (*Mald.*).

Eum diu et frequenter docuisse explicite statuitur v. 2 *et docebat* ἐδίδασκεν (nota verbi formam de eo quod fieri solet) *eos in parabolis multa*, septem refert Matthaeus cap. 13, ex quibus duas Marcus tradit (de seminante et grano sinapis) addita tertia quae alibi non commemoratur (de semine ultro fructificante 4,26); *et dicebat illis in doctrina sua* i. e. inter ea quae docuit etiam dicebat illis parabolam quae sequitur, in institutione et doctrina quam ibi exposuit etiam haec protulit; alii διδαχὴν accipiunt de modo et ratione docendi Christi (*Keil, Weiss*); at Christum suo modo et ratione sibi propria docuisse per se patet. Eum peculiariter provocasse attentionem solus habet Marcus v. 3 *audite*, tum pergitur, ut apud Matth. quoque, *ecce exiit seminans ad seminandum;* sed non omnia grana afferunt fructum, non quidem ex vitio seminis, sed quia semen bonum non recipitur eo modo quo oportet ut fructum ferat; v. 4 *aliud cecidit circa viam et venerunt volucres coeli et comederunt illud*, v. 5 *aliud cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terrae*, celeriter progerminabat quia carebat terra profunda, « loca enim saxea cooperta modica terra cito vegetant semen in herbam ex magnitudine caloris, quia calor ibi non imbibitur in profundo sicut in reliqua terra, sed reflectitur a saxo » (*Ians.*); dein quia non posset deorsum penetrare, vim suam sursum erexit (*Lamy*); v. 6 *et quando exortus est sol, exaestuavit* aestu adustum est, ardore solis exustum est et torrefactum, quia scil. non habebat humorem, ut Luc. 8,6 dicitur, *et eo quod non habebat radicem exaruit*, radicem videlicet quae tantum humoris e terra attraheret quantum germini alendo esset satis; solemus namque negare omnino id quod ex parte esset negandum, cum loquimur de effectu qui idem est, sive id quod negatur omnino desit sive ex parte (*Patr.*).

Duplex arefactionis causa designatur, solis aestus et penuria humi, ex qua fit ut radix sufficiens desit; quae si adest, planta solis aestu non facile corrumpitur; v. 7 *et aliud cecidit in spinas et ascenderunt spinae*

et suffocaverunt illud et fructum non dedit; tertia haec pars exsurgens spem dat fructus per aliquod tempus; at spinae luxuriose germinantes omne ei nutrimentum subtrahunt et quod iam in culmos excreverat supprimunt et suffocant; v. 8 *et aliud cecidit in terram bonam,* graece alia, nam de vario proventu statim fit mentio, *et dabat fructum ascendentem et crescentem,* secundum hanc lectionem intellige *fructum* de culmo, dedit semen culmum progerminantem et crescentem, sicut καρπός generatim significat quodcumque crescit in agris. Sed cum in v. 7 καρπὸν διδόναι dicatur de proventu et de frugibus afferendis, altera lectio graeca αὐξανόμενα praeferri debet : alia attulerunt fructum; ἀναβαίνοντα καὶ αὐξανόμενα hisce describitur, quomodo semina ad fruges pervenerint : progerminantia et crescentia, vel *adulta et aucta afferebant fruges,* quae quantae fuerint, iam accuratius determinatur : *et afferebat unum triginta, unum sexaginta et unum centum* « non solum in Israelitarum regionibus, sed et in aliis sementis cum centesimo redibat; immo alicubi cum centesimo et quinquagesimo » (*Patr.*); εἰς τριάκοντα afferebat usque ad triginta; alia lectio fert ἐν, quod explica : afferre fructum in triginta etc. granis consistebat; alia ἕν : unum granum afferebat triginta etc. Contrario ordine refert Matthaeus : aliud centesimum etc.; « evangelistae sententiae veritatem, non ordinis seriem servare studuerunt; si quis roget utro modo putandum sit dixisse Christum, respondeo nihil esse certi; sed si quis coniecturae locus est, existimare me hoc potius modo quo Marcus narrat eum dixisse, quia est omnibus hominibus naturale, ut rem de qua loquuntur exaggerantes crescente utantur oratione; exaggerabat autem rem Christus, et crescit apud Marcum oratio, decrescit apud Matthaeum » (*Mald.*).

Demum parabola proposita excitat ad spiritualem eius intellectum (*Alb.*) v. 9 *et dicebat,* itaque morula quadam interposita addit : *qui habet aures audiendi audiat,* qua formula apud tres synopticos parabola concluditur. Invitat itaque Iesus, ut parabolam bene perpendant, doctrinam in ea contentam eruant et diligenter attendant sibi applicantes. Dicens *qui habet...* monet, ut si quis motione interna se impulsum sentiat ad rem altius investigandam, si sentiat desiderium utilitatis inde capiendae, ne hanc gratiae divinae invitationem negligat neve contemnat, verum studiose eam animo amplectatur eique cooperetur. Alias enim periculum est ne iis accenseatur de quibus dicitur : et non dedit vobis Dominus cor intelligens et oculos videntes et aures quae possunt audire usque in praesentem diem (Deut. 29,4); ceterum cf. Matth. 11,15; 13,43. Luc. 14,35. Apoc. 2,7. 11. 17. 29; 3,6 etc.

Hoc Christi monitum, si minus turbae, ii saltem sequuntur qui pro-

pius ei adhaerent v. 10 *et cum esset singularis*, solus, seorsim turbis semotis, *interrogaverunt eum hi qui cum eo erant duodecim parabolam*, de parabola, Luc. 8,9 quae esset haec parabola, ergo explicationem parabolae petunt; Matth. 13,10 rogant : quare in parabolis loqueris eis? una quaestio non excludit alteram. Quod Marcus habet, magis est indeterminate; nam de parabolis (graece) interrogare potest utrumque includere. Dicitur τὰς παραβολάς, non quia una haec parabola plures continet partes et plures similitudines quibus plures hominum classes quasi totidem parabolis describuntur, sed potius, quia ut iam dictum est Christus in parabolis eo tempore docebat v. 2; cf. Matth. 13,10. et discipuli ad Christum accedunt postquam in pluribus parabolis turbas docuit, uti satis indicatur v. 1 et 2. Graece dicitur accuratius : *interrogabant eum qui circa eum erant cum duodecim;* proin simul cum apostolis alii discipuli turbis dimissis apud eum versabantur eius familiaritate et doctrina utentes. Unde hic habemus argumentum praeter apostolos etiam alios complures fuisse comites Christi assiduos, uti postmodum legimus Luc. 10,1 a Christo septuaginta duos discipulos esse missos ad praedicandum, quos septuaginta hic iam indicari *Euth.* opinatur.

Petitioni respondet Christus v. 11 et dicebat eis : *vobis datum esse* (*nosse*) *mysterium regni Dei* a Patre scil. constitutum est, ut quod aliis est incognitum et absconditum de regno Dei vobis manifestaretur. Quare : beati oculi vestri quia vident et aures quia audiunt (Matth. 13,16). Illis autem fit haec doctrinae aliis absconditae communicatio quia credunt, quia ad Iesu discipulos et familiares pertinent; *illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt* οἱ ἔξωθεν, cum hi opponantur discipulis credentibus et explicationem rogantibus, intelliguntur turbae parum sollicitae de doctrina et quae Christo non eam quam postulat fidem adhibent, quae igitur quasi extra coetum asseclarum Iesu vel Christifidelium versantur. Eo nomine postmodum apostolus eos appellat qui ad Ecclesiam Christi non pertinent (1 Cor. 5,12. Col. 4,5. 1 Thess. 4,11); apud rabbinos οἱ ἔξω חיצונים sunt ethnici, appellantur etiam eo nomine indocti, insipientes, qui sententiam sapientum et doctorum non sequuntur (*Lightfoot*). Illisce itaque qui a fide Christi et vera discipulorum indole absunt *omnia* quae ad doctrinam de regno Dei spectant *in parabolis* in similitudinibus *fiunt*, traduntur et communicantur.

Quod autem Christus eo modo iam docet, poena est eorum incredulitatis et obdurationis. Adhaerent quidem Christo miracula patranti, at falsam illam regni messiani exspectationem non relinquunt ideoque Iesu non eam adhibent fidem quam iure postulat, cuius rei exemplum inter alia habes Ioan. 6,30. 15 (regem suum Iesum facere volunt, qui scil.

Romanos e regione expellat; credere ei nolunt!). Cum itaque Christi doctrinam non susceperint eo quo oportuit modo, in poenam ulterior eis institutio subtrahitur v. 12 *ut videntes videant et non videant et audientes audiant et non intelligant, ne quando convertantur et dimittantur eis peccata;* verbis hisce sententia refertur ex Isaia 6,9. 10. Saepe explicant ἵνα ita ut, quasi sola consecutio et eventus significaretur. At id uti a propria notione vocis recedit, ita quoque vim sententiae et minas iudicii divini infirmat. Nam peccato hominis supposito Deus revera *vult* ea quae pro sua iustitia cum peccato nexu quodam interno coniuncta sunt. Communiter quidem loquimur Deum *permittere* obcaecationem et obdurationem; at permissio ita concipi debet, ut Deus illa quae ex abusu liberi arbitrii hominum sequuntur, peccata scil. suae gubernationi et fini quem intendit subservire faciat. Eo magis dici potest et debet Deum velle cum agitur de poenae inflictione vel de subtractione gratiae quam homo propter abusum gratiarum incurrit. Id autem hoc loco obtinet. Cum turbae a falsa illa exspectatione non se revocari sinerent neque Iesu ea fide adhaererent quam tot signis et argumentis postulavit, iam se reddiderunt ineptas ad institutionem de vera regni messiani natura capiendam. Atque in poenam Christus ulteriorem atque explicitam doctrinam illis non tradit; sed veritatem illis proponit quasi velamine obtectam. Praevidet illos non esse intellecturos; nihilominus eo modo docet. Quare illorum hac in re caecitatem velle dicitur, quae simul est poena quam meruerunt. Vide Comment. Matth. I p. 517.

Cum verba deprompta sint ex Isaia, apud quem de suo tempore valent, simul indicatur aequalitas quaedam conditionis quae exsistat inter populum aetate Isaiae et aequales Christi. Atque revera, uti aequales Isaiae verbis et monitionibus prophetae pro sua malitia offensi maiorem induerunt contumaciam, rebellionem in Deum auxerunt et ad blasphemias sunt progressi (cf. 5,19), ita quo magis Christus docet et miracula patrat, eo maior in eum exoritur simultas, donec tandem turbae clamoribus importunis eum ad crucis supplicium postulant. Ceterum vide quae adnotavi in Comment. Is. I p. 139 seq.

Laudaverat Christus discipulos quod desiderent sensum parabolae intelligere et exposuerat cur turbis loqueretur in parabolis quae scil. se ipsas ineptas reddidissent ad veram de regno Dei doctrinam capiendam v. 11. 12. Post hanc quasi digressionem redit Christus ad interrogationem discipulorum, eam sua quaestione assumens ac repetens v. 13 *et ait illis : nescitis parabolam hanc et quomodo omnes parabolas cognoscetis?* ita scil. eos reducit ad id quod in v. 10 petierant; sensus est : vos igitur, uti fatemini, nescitis quid haec sibi velit parabola neque scitis quomodo omnes parabolas concipiatis. In hac itaque sententia non

continetur ulla reprehensio, sed solum attentio discipulorum post v. 12 revocatur ad id unde sermo digressus est, ad v. 10. Ad quod etiam multo magis convenit, ut non duae quaestiones inter se separatae intelligantur, sed una : nescitis hanc parabolam et (generatim nescitis) quomodo cognoscatis omnes? de pluribus autem parabolis fit mentio propter v. 2. Si duae quaestiones inter se non coniunctae statuuntur, sensus evadit : si hanc parabolam nescitis, quomodo alias cognoscetis (*Euth.*)? et enuntiatur quaedam reprehensio discipulorum; « nam si parabolas intellectu faciliores veluti hanc de qua interrogabant, minus intelligebant, nec difficiliores intellecturi erant » (*Patr.*). Verum difficile creditu est velle Christum reprehendere, quia id per se non intelligerent ad quod percipiendum donum coeleste requiri ipse modo affirmaverat v. 11, idemque accuratius Matth. 13,11. 12. 16. 17. Quem scopulum prior acceptio omnino evitat atque insuper aptissime mentes audientium ad explanationem avide audiendam praeparat et invitat.

Hac itaque parabola docentur apostoli praedicationem evangelii nequaquam apud omnes eos allaturam esse fructus quos evangelium (quae est virtus Dei ad salutem) per se potens est producere. Quae doctrina magni est momenti pro iis qui eo munere funguntur, ne cadant animis. Simul iis panduntur rationes ex quibus praedicatio apud alios maneat sterilis, quas cognoscere opus est ut iis remedia afferant opportuna. Demum apud eos ipsos qui fructum afferunt varios esse gradus discunt neque eandem virtutis perfectionem esse ab omnibus exspectandam; v. 14 *qui seminat verbum seminat* τὸν λόγον, evangelium, praedicationem nuntii messiani; itaque semen est verbum Dei, uti Luc. 8,11 dicitur. Bene exponunt *Vict. Theoph.* etiam illud in v. 3 *exiit,* Christus, Dei Filius, exiit e paternis sinibus ineffabili misericordia se nobis attemperans; dum nos non poteramus ingredi in coelum peccatis aditum nobis occludentibus, ipse egressus est ad nos, nobis factus proximus per suam in carne commorationem; v. 15 *hi autem sunt qui circa viam* οἱ παρὰ τὴν ὁδόν, aliqui supplent σπειρόμενοι (*Meyer*), uti in v. 16. 18. 20 additur; sed cum hic non addatur, neque cogitatione id suppleri possit quod nondum dictum est, sed solum postmodum ponitur, satius erit, οἱ παρὰ τὴν ὁδόν explicari sententia quae statim subiungitur ὅπου σπείρεται ὁ λόγος, ii apud quos semen cadit iuxta viam, ii sunt qui simul atque audierint etc.; ὅπου iam *Euth.* exponit εἰς οὓς, unde refert ad designandos eos qui audiunt verbum; *ubi seminatur verbum,* proxime ad *viam* adiungitur, in quam aliquid cadit seminis, *et cum audierint,* graece : qui cum audierint (uti constructione grammaticali exigitur), *confestim venit satanas et aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum;* primus itaque hostis est satanas, qui omni cura id quod prae-

dicatione auditum est auferre, oblivione obruere et delere studet. Cur autem facile auferre possit, ratio indicatur *circa viam*, « illorum scil. animus ad instar viae publicae est, in qua quod quis reliquit spes non est ut post horam reperiat; prima itaque huius mali causa incuria est et negligentia » (*Patr.*); item *Vict.* qui viae comparantur socordes sunt et negligentes; aliter *Theoph.* : qui hominibus placere volunt, ii sunt via conculcata a multis; quando enim quis omnia facit ut huic et illi placeat, iste a multis conculcatur; *Cai.* vero eos designari censet qui non intelligunt, « non penetrat verbum regni coelestis ita ut credant; in his enim primis nulla est omnino germinatio, utpote deficiente intellectu qui est principium fidei ».

Alterum genus eorum est, in quorum animis verbum Dei recipitur quidem, at radices non agit alte v. 16 *et hi sunt similiter* simili explicatione *qui super petrosa seminantur*, « *seminari* dicitur semen quod iacitur, item ager in quem iacitur, quemadmodum aspergitur aqua et aspergitur homo » (*Erasmus*), *qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud*, cf. v. 5 statim exortum est, v. 17 *et non habent radicem in se, sed temporales sunt* i. e. verbum in eorum animos non satis penetrat, non firmiter adhaeret, sunt πρόσκαιροι temporarii, ad tempus breve solummodo durantes (cf. 2 Cor. 4,18 : quae videntur πρόσκαιρα, quae non videntur αἰώνια, Hebr. 11,25) Luc. 8,13 : ad tempus credunt; *deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum*, cf. v. 6 quando exortus est sol, et tribulationes et persecutiones imagine aestus proponuntur saepius (Ps. 16,3. Is. 25,4. 5), *confestim scandalizantur*, in offendiculum impingunt et labuntur, a fide deficiunt. Secundo loco post diabolum tamquam causa vel occasio ruinae proponuntur variae calamitates et persecutiones, quae utique iis non desunt qui pie volunt vivere. Praedicit itaque hisce quoque Christus fore ut homines probentur variis afflictionibus, uti aurum in fornace; qui igitur infirmi sunt et inconstantes et timidi i. e. qui animi firmitatem et robur non hauriunt ex evangelio doctrinam Christi totis animi viribus amplexi, mox exorta tempestate deficient et misere peribunt.

Tertio loco impedimento sunt saluti curae huius vitae ac sollicitudines et variae cupiditates quibus animi hominum pulsantur v. 18 *et alii sunt qui in spinis seminantur* εἰς τὰς ἀκάνθας in spinas, uti v. 7, *hi sunt qui verbum audiunt et aerumnae saeculi* huius, μέριμναι curae quibus homines in diversas partes distrahuntur et quasi dividuntur (cf. 1 Cor. 7,34 et divisus est μεμέρισται), sollicitudines huius temporis, mundi, *et deceptio divitiarum* ἀπάτη fraus, Matth. 13,22 fallacia; « fallaces sunt quia nobiscum diu permanere non possunt, fallaces sunt quae mentis nostrae inopiam non expellunt » (*S. Gregorius*, hom. in

evang. 15,1), fallaces quia promittunt quod non dant, quia ab itinere salutis faciunt deviare et aberrare; cf. 1 Tim. 6,9; *et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum et sine fructu efficitur,* cupiditates quae circa reliqua, voluptates, honores, vindictam capiendam de iniuriis, invidiam etc. animos subeunt et occupant, verbum, etsi iam radices egit et crevit, suffocant. Indicatur itaque periculum quod instat semper, etiam si quis iam diutius secundum normam doctrinae Christi instituerit vitam.

Designantur igitur a Christo tres illi salutis adversarii quos generatim appellare solemus satanam, mundum, carnem; mundum intellige homines qui persecutiones movent, qui variis modis alios a salute avertere student, carnem etiam ipsam naturam hominis ad malum pronam. Porro declaratur esse periculum ne verbum omnino non suscipiatur; etsi cum gaudio suscipiatur fieri posse, ut fervor ille cito exstinguatur; licet diutius iam in animis germinaverit, non esse putandum omnia in tuto esse collocata. Quare pro apostolis et praedicatoribus et solatium continetur et institutio plane necessaria; solatium scil. ne animos despondeant, si multi non credunt vel postquam crediderint, a fide vel regula morum deficiant; ita enim fore Christus praedixit hac parabola; institutio autem habetur, quia quae immineant fidelibus pericula demonstratur, ut iis suo tempore congruis occurrant remediis et doceant quomodo offendicula illa vel removeantur vel superentur.

Aliud solatium quod magis exoptatur Christus suis praebet legatis praedicens fructus exorituros esse ex munere evangelico laetissimos et uberrimos v. 20 *et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum et suscipiunt et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum;* en, non eadem virtutum documenta, non eadem opera bona exspectari vel postulari oportet ab unoquoque; stella differt a stella in claritate et in domo Patris multae sunt mansiones et in uno corpore varia sunt membra, nobiliora et ignobiliora, et in una domo varia supellex, vasa pretiosa et viliora; uni enim dedit quinque talenta, alii duo, alii vero unum. — Perperam autem colligunt *Vict. Theoph.* ex parabola paucos solum servari ex iis quibus praedicetur, cum quarta solummodo seminis pars cadat in terram bonam. Quae tamen ratio plane aliena est a parabola. Nam si quis seminat semen in agrum, utique aliqua grana cadere poterunt circa viam vel vento ablata vel vehementiore iactu extra agrum volantia; item fieri potest, ut vel iuxta agrum vel in ipso agro exsistat alicubi solum petrosum et spinis obsitum. At quis finget seminantem adeo aut stupidum aut negligentem, ut tres partes seminis proiiciat in solum in quo nequit edere fructum vel ut colat et semine spargat agrum, cuius tres vel duae partes plane

sint inutiles ad fruges gignendas? Quare ex parabola paucos esse electos nullatenus consequitur. E contra, si liceret singula quaeque ad explanationem transferre, dicendum esset, sicut in semine iaciendo pauca grana cadant in via, sicuti ager seminetur qui longe maxima parte terra satis bona constet, ita fore, ut longe plerique praedicatione audita fructum afferant. Verum neutrum ex parabola colligi posse videtur, cum parabola non proponatur ad numerum aliquem credentium vel non credentium definiendum, sed ad variam praedicationis sortem generatim delineandam. — Pluribus de ea parabola egi in Comment. Matth. I p. 520 seq.

e) Aliae de regno Dei parabolae 4,21-34.

4,21. Et dicebat illis : numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur? 22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur; nec factum est occultum, sed ut in palam veniat. 23. Si quis habet aures audiendi, audiat.

24. Et dicebat illis : Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adiicietur vobis.

25. Qui enim habet, dabitur illi : et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. 26. Et dicebat : Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo iaciat sementem in terram. 27. Et dormiat, et exsurgat nocte et die; et semen germinet, et increscat dum nescit ille.

28. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. 29. Et quum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

30. Et dicebat : cui assimilabimus regnum Dei? aut cui parabolae comparabimus illud? 31. Sicut granum sinapis, quod quum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quae sunt in terra; 32. et quum seminatum fuerit, ascendit, et fit maius omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra eius aves coeli habitare.

33. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire. 34. Sine parabola autem non loquebatur

4,21. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, ὅτι μήτι ἔρχεται ὁ λύχνος ἵνα ὑπὸ τὸν μόδιον τεθῇ ἢ ὑπὸ τὴν κλίνην; οὐχ ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν τεθῇ; 22. οὐ γάρ ἐστιν κρυπτὸν, ἐὰν μὴ ἵνα φανερωθῇ· οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, ἀλλ' ἵνα φανερωθῇ. 23. εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.

24. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Βλέπετε τί ἀκούετε. ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν. 25. ὃς γὰρ ἔχει δοθήσεται αὐτῷ· καὶ ὃς οὐκ ἔχει καὶ ὃ ἔχει ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ·

26. Καὶ ἔλεγεν, Οὕτως ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, ὡς ἄνθρωπος βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς, 27. καὶ καθεύδῃ καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν, καὶ ὁ σπόρος βλαστᾷ καὶ μηκύνηται ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός. 28. αὐτομάτη ἡ γῆ καρποφορεῖ, πρῶτον χόρτον, εἶτεν στάχυν, εἶτεν πλήρης σῖτος ἐν τῷ στάχυϊ. 29. ὅταν δὲ παραδοῖ ὁ καρπὸς, εὐθὺς ἀποστέλλει τὸ δρέπανον, ὅτι παρέστηκεν ὁ θερισμός.

30. Καὶ ἔλεγε Πῶς ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ; ἢ ἐν τίνι αὐτὴν παραβολῇ θῶμεν; 31. ὡς κόκκῳ σινάπεως, ὃς, ὅταν σπαρῇ ἐπὶ τῆς γῆς, μικρότερον ὂν πάντων τῶν σπερμάτων τῶν ἐπὶ τῆς γῆς· 32. καὶ ὅταν σπαρῇ, ἀναβαίνει, καὶ γίνεται μεῖζον πάντων τῶν λαχάνων καὶ ποιεῖ κλάδους μεγάλους, ὥστε δύνασθαι ὑπὸ τὴν σκιὰν αὐτοῦ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ κατασκηνοῦν.

33. Καὶ τοιαύταις παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν· 34. καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει

cis : seorsum autem discipulis suis disserebat omnia.

αὐτοῖς· κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς ἰδίοις μαθηταῖς ἐπέλυεν πάντα.

In v. 21 pro ερχεται D habet απτεται et item *accenditur* c d e ff² g¹ i; adfertur b; accendunt lucernam f. In v. 22 τι κρυπτον in ℵ A C E F G L S V Δ al pm c f ff¹ g¹ vulg go arm; om τι B D H K M U al 80 fere b e ff² g² i q aeth; εαν μη ινα ℵ B Δ pl minusc., in fine pler ελθη εις φανερον. In v. 24 add in fine υμιν τοις ακουουσιν in A Π unc 9 pler minusc q syr; f go *credentibus*. In v. 28 add γαρ in Δ Π unc 9 al pler it vulg go; πληρης σιτος in B D Ti; πληρη σιτον ℵ A C² L Δ Π unc 9 al pler W H. In v. 29 codd vulg habent cum : et cum *se* produxerit fructus; steph sixt cum *ex se* pr. fr.; in versione vetere : cum fructum fecerit (ediderit, mutaverit), cum produxerit (tradiderit) fructus. In v. 30 τινι ομοιωσ. A D Π unc 9 al pler it vulg syr arm aeth go; πως in ℵ B C L Δ al 15 fere b e Ti W H; εν ποια παραβ A C² D Π unc 9 al pler go arm. In v. 31 pro ως legitur ομοια εστιν D cop (e simile est regnum Dei sicut); *sic est ut* in dub ept mt ken rush; *sic est enim sicut* lich. In v. 32 steph sixt et cum *natum* fuerit ascendit *in arborem*; ken *statim* maius est. In v. 34 B και χωρις; item cop syr (sch); reliqui testes χωρις δε.

Pergit Christus apostolis muneris rationem explicare modo quodam proverbiali. Dixerat enim iis datum esse mysterium regni Dei v. 11 atque iis seorsim explicaverat parabolam. Iam vero haec lux quam Iesus affert eorumque animis infundit debebit ministerio apostolorum orbi terrarum inferri v. 21 *et dicebat illis*, discipulis scil. ad quos sermo fit a v. 10, *numquid venit lucerna* vel infertur, *ut sub modio ponatur aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur?* nunc ostendit, ait *Beda*, per eos aliquando etiam ceteris idem mysterium esse revelandum et pectus omnium qui domum Dei essent intraturi fidei flammis illustrandum. Est quippe sermo evangelicus lux quae errorum tenebras discutiat et veram felicitatem ac beatitatem (quae saepe lucis metaphora designatur) afferat. Haec lux accenditur a Christo in discipulis, ut eorum opera tenebrae totius mundi discutiantur (*Erasmus*); « vos lumine divinae sapientiae accendo et illumino ut suo tempore velut supra candelabrum positi lumine vestro aliosquoque illuminetis » (*Ians.*). Simul declaratur quanta necessitas iis incumbat, ut iis qui in tenebris sedent afferant lucem, et quanta essent reprehensione digni, si absconderent doctrinam et socordia victi illam non praedicarent. Nam sicut esset stultitiae et malitiae poena dignae iis qui lumine indigent lucernam modio obtectam subtrahere et negare, ita non effugient iustum Dei iudicium qui rem sibi concreditam pervertunt et reddunt inutilem. Apte accommodat parabolam hanc *Beda* : « qui amore huius vitae temporalis et illecebrarum carnalium occultat verbum Dei, quasi modio vel lecto lucernam operit, quia concupiscentias carnis praeponit manifestationi veritatis quam praedicare metuit ».

Idemque repetito Dominus inculcat rationem afferens ex eo quod

Deus non quidquam faciat ut maneat occultum et ignoratum, sed ut manifestetur et in suam cedat gloriam et hominum utilitatem v. 22 *non est enim aliquid absconditum quod non manifestetur,* scil. quae Deus operatur, etiam suo tempore nota esse vult, etsi ad tempus propter varias causas cognitionem hominum fugiant; ceterum graece : non est occultum, *nisi ut* manifestetur, *nec factum est occultum,* ut scil. maneat occultum, *sed ut in palam veniat;* nunc quidem mysterium regni Dei turbis est absconditum neque iam tempus est, ut iis reddatur notum; at neutiquam semper debebit manere occultum; nam quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, praedicate super tecta (Matth. 10,27). Docet itaque discipulos quale sit Dei consilium, qui scil. vult veritatem manifestari et omnes homines ad eius pervenire cognitionem; unde eos quoque efficaciter invitat, ut huic Dei consilio pro viribus cooperentur. Deus enim per homines ad homines loquitur.

Proverbia haec de lucerna lucente, etc., multiplicem admittunt applicationem. Uti quis aliis lucem inferre concipitur doctrina, ita pariter dici potest lucem spargere sanctitate vitae. Atque eo modo accipiunt *Vict. Theoph. :* « sicut lucerna ponitur ut luceat, ita et vita vestra omnibus conspicua erit et omnes ad ipsam respicient; idcirco date operam ut vita vestra bona sit; neque enim in angulo sedetis, sed lucerna estis... Est unusquisque nostrum lucerna, qui debet poni super candelabrum, hoc est super summitatem eius quae secundum Deum est conversationis, ut et aliis possit lucere, et non sub modio, hoc est sub gastrimargia et ciborum cura, neque sub lecto, hoc est quiete ». Ad quae consequenter etiam adaptant v. 22 : « unusquisque, sive bonum fecerit sive malum in occulto, manifestabitur etiam hic et multo magis in futuro saeculo; quid enim magis absconditum Deo? attamen et ipse manifestatus est in carne ». At hoc loco prior acceptio certe est omnino praeferenda, quia Christus discipulos de mysterio regni Dei instituit expositione parabolae et quia in sequentibus quoque eos adhortatur ut doctrinam diligenter audiant et suscipiant. Neque ullo pacto officit, si eadem verba alio in contextu aliam vel ampliorem exigant significationem (cf. Matth. 5,15. Luc. 11,33). Nam per se eiusmodi parabolae ad multa apte applicantur et Christum eisdem usum esse saepius, etiam Luc. 8,16 et 11,33, item Luc. 8,18 et 19,26 ostenditur. Idem valet de v. 22 (cf. Matth. 10,26 et Luc. 8,17) et de v. 25 (Matth. 13,12 et 25,29 etc.).

Satis mirum est quod *Schegg* contra explicationem obiicit : si apostoli ibi debent lucere, ubi Christus non lucebat sed in parabolis loquebatur, fere viderentur id debere corrigere quod magister haud bene fecisset vel id praestare quod ipse omisisset. Nonne revera debebant iis praedicare ad quos Christus in vita sua mortali non erat missus? Offenditur *Schegg* porro, quod ipsa parabola ne minimum quidem vestigium mandati discipulis traditi

contineatur. At quid fieri oporteat, clarissime exprimitur, si Christus ex iis quaerit, num lucerna ponenda sit sub modio vel potius super candelabrum. Ad quid enim aliud eiusmodi ponuntur quaestiones vel exempla inferuntur, nisi ut alii ex rebus talibus erudiantur et ad agendum recte incitantur? Ipse autem *Schegg* exponit Christum relicta parabola de semine aliam eiusdem significationis inducere : lucernam inferri, ut occulta manifestentur i. e. praedicatione evangelii revelanda esse corda hominum.

Ut quae dicta sunt serio perpendant, Dominus monet v. 23 *si quis habet aures audiendi audiat;* perpendant itaque quae sibi necessitas incumbat ex eo quod lucernae constituantur a Domino et ex eo quod Deus abdita sua consilia hominibus nota fieri velit. Ex hisce autem consequitur, ut discipuli nunc in schola Christi se omni diligentia ad munus suum praeparent, atque ideirco maxima sollertia doctrinam Christi haurire et intelligere studeant. Ad quam adhortationem sermo iam progreditur v. 24 *et dicebat illis* (ita scil. Marcus designare solet novam partem quam ex longiore Domini sermone breviter proponere censendus erit) : *videte quid audiatis*, diligenter considerate quanti momenti sit, ut id quod auditis etiam bene intelligatis. Proin eos admonet ut totum animum ad doctrinam addiscendam applicent; *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis et adiicietur vobis*, « qua mensura metimini attentionem, in eadem metietur vobis in cognitione, hoc est, quantum intuleritis attentionis, tantum conferetur vobis cognitionis » (*Euth.*), immo plus vobis addetur. Deus quippe studium illud audiendi et discendi sacram doctrinam maxima liberalitate remunerabitur. Idque confirmatur proverbio v. 25 *qui enim habet dabitur illi, et qui non habet etiam quod habet auferetur ab eo;* quicumque habet attentionem dabitur ei cognitio, et qui non habet, semen cognitionis auferetur ab eo; quemadmodum enim studium auget tale semen, ita segnities corrumpit (*Euth.*). Qui itaque alacer est et diligens, illi dabitur; ab eo autem qui segnis fuerit, tolletur quoque quod videtur habere; propter segnitiem enim exstinguitur etiam parva scintilla quam habet, sicut per alacritatem accenditur (*Theoph. Vict.*). Proverbium ex usu et experientia depromptum est; qui enim dives est facile habet subsidia quibus maiores opes acquirat; pauper vero facile etiam parvum illud quod habet amittit et perdit.

Merito explicantur haec de studio audiendi (cf. *Vict. Theoph. Euth. Schegg, Bisp. Schanz, Fil. Keil, Weiss*). Hoc studium ut fructum afferat debere iuvari gratia divina patet. Sed pariter certum est nostrum conatum et desiderium requiri, cui Deus liberaliter obviam se iturum pollicetur. Mensuram illam *Mald. Lamy* assignant fidem, cui a Deo tribuatur intelligentia. Sed cum Christus in v. 24 admoneat ad dili-

genter audiendum, haec ipsa diligentia (utique a gratia adiuta) proponitur tamquam mensura, ut scil. ad studium illud desiderio cognitionis habendae stimulentur. Haud pauci haec verba Christi referunt ad exercitium muneris apostolici, fore scil. ut quo plenius quis atque abundantius huiusmodi officium impleat, eo maior coelestis doctrinae fiat accessio, merces eo uberior; vel si fueritis parci dispensatores doctrinae, parcam etiam sentietis in vos Dei benignitatem; contra vero, si larga mensura aliis dispensaveritis, largam etiam experiemini in vos Dei remunerationem (cf. *Bed. Alb. Cai. Ians. Lap. Calm. Patr. Reischl*). Sententia de se utique est vera et modus ille loquendi proverbialis, qui plurima complectitur, etiam id includit. At cum haec a Christo non in universum dicantur, sed certa occasione et conditione proponantur, inquirendum est quid generali illa sententia hoc loco voluerit illustrare. Id esse studium et fervorem audiendi et discendi ab ipso dicendum est. Nam ab hoc orditur sermo in v. 24; dein ut diligenter audiant, saepius monet v. 9. 23. Ad discendum quoque proponuntur in subsequentibus parabolae. Toto itaque contextu non ipsum exercitium muneris apostolici spectatur, sed praeparatio ad illud studio discendi. Cui acceptioni quoque testimonium fertur glossa illa quae alicubi legitur in v. 24 adiicietur vobis, ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν. Neque opponi potest, eadem verba alibi usurpari alia notione (cf. Matth. 7,2. Luc. 6,38). Cum enim variam admittant applicationem, etiam vario afferri sensu pro varietate doctrinae admitti debet.

Ea institutione discipulis tradita v. 10-25 refertur alia parabola quam Christus populo proposuit, quare omissis *illis* (v. 11. 21. 24) dicitur v. 26 *et dicebat* turbis scil. quas in parabolis docebat v. 2, *sic est regnum Dei*, regnum messianum, Ecclesia, eiusque origo, incrementum etc. sicut parabola sequenti describitur, *quemadmodum si homo iaciat sementem in terram* v. 27 *et dormiat et exsurgat nocte ac die* i. e. semine in terram iacto homo iam nihil agit circa semen, dormit per noctem (νύκτα), suis vacat negotiis per diem; at nihilominus eo nihil iam conferente *et semen germinet et increscat, dum nescit ille*, ὡς crescit scil. eo modo quo ipse nescit; non ipsum crescere, sed modum quo crescat nescire dicitur. Dum enim ille aliud agit nec modum quo semen ad germinationem perveniat perspicit, terra sua sponte ex indita sibi a Deo fertilitate semen illud in plantam explicat atque educit v. 28 *ultro enim terra fructificat* αὐτομάτη ἡ γῆ motu proprio acta, sua sponte, producit *primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica*, πλήρης σῖτος mutata constructione per emphasin effertur quasi diceres : en, exsistit copiosum frumentum in spicis! Quod cum productum est, iam qui seminavit venit ad messem

v. 29 *et cum produxerit fructus* (cf. lect. var.) παραδοῖ explicat *Euth.* ὅταν ὥριμος γένηται, cum maturuerit; verti potest: si fructus permittit, ea enim notione verbum etiam apud profanos adhibetur, *statim mittit falcem* ille scil. homo qui iecit sementem, *quoniam adest messis;* falcem immittit in messem.

Describitur itaque in hac parabola ortus Ecclesiae, eius incrementum et consummatio saeculi. Primam et ultimam partem, exordium et consummationem, ipse Christus palam visibili corpore peracturus est; progressum autem et incrementum Ecclesiae usque ad messem fieri docet, dum ipse iam non visibili sua praesentia agro illi seminato adstet. Semine scil. iacto ascendit in coelum (*Theoph. Ians.*), operam suam visibilem, suam praedicationem quam antea exhibuit, iam terrae subtraxit; qua in re aliquam in se exprimit similitudinem cum homine qui semine terrae commisso abit alia negotia curaturus. Exprimitur pariter vis et efficacia fundatae per Christum Ecclesiae, quae virtute a Christo sibi indita crescit et fructus fert. Huius autem Ecclesiae initia parva, progressus in v. 28 indicantur. Docet itaque Christus se iacto fundamento recessurum, suam Ecclesiam ex parvis initiis paulatim capere incrementa; ad tempus messis i. e. in consummatione se iterum venturum ut triticum congreget in horrea sua; *mittet falcem* cf. Ioel 3,13. Apoc. 14,15.

Sicut in priore parabola exhibetur quam varios effectus habitura sit praedicatio evangelii hominibus facta, ita in hac veluti gradus et aetates Ecclesiae generali quadam ratione adumbrantur. In explicatione rerum singularum varia quaeruntur. Hominem qui iaciat sementem esse Christum qui instituit Ecclesiam eique suam commisit doctrinam et vim ac destinationem indidit ut per orbem propagaretur, satis manifestum est et elucet quoque ex eo quia in parabola idem qui sementem iaciebat etiam metit, i. e. uti in terra commoratus fundavit Ecclesiam, ita aderit ad Ecclesiam suam in patriam coelestem inducendam, aderit in consummatione saeculorum iterum visibilis in terra. Propterea ii a proprietate parabolae recedere videntur qui hominem vel de Christo et de praedicatoribus evangelii explicant (cf. *Ians. Mald.*) vel de solis praedicatoribus (*Calm. Patr.*). Qui Christum intelligi negant, praecipue arguunt ex v. 27; Christum enim non ad alia se convertere negotia, neque semen sibi soli relinquere neque nescire modum quo germinet et crescat. Haec utique verissime dicuntur. At cum de parabola agatur dicuntur praeter rem. Nam in parabola praecipue attendi oportet ad quid tendat oratio; quod si habetur, non opus est ut maxima quaedam conformitas exsistat inter singulas partes parabolae et rei significatae. Describitur itaque in parabola homo ex rei veritate

secundum id quod apud homines fit; ut autem in re significata singula eodem modo reperiantur nullatenus requiritur. Alias nunquam liceret Christum Deum comparare cum homine seminante; homo enim solum plantat et rigat, non dat incrementum; Christus autem omnia simul praestat et confert. Omnino itaque sufficit, ut aliqua deprehendatur similitudo limitata et ex una aliqua parte deprompta. Hanc autem inveniri iam expositum est. Cum enim Christus fundata Ecclesia abierit in coelum neque sua praesentia visibili et suo labore in suo corpore hisce in terris praestito Ecclesiam suam adducat ad aetatem maturam et ad saeculorum consummationem, merito in parabola nobis describitur homo qui iacto semine abeat alia negotia curaturus.

Re autem parabolae praecipua constituta etiam ea considerare licet quae inde vel facili ratione consequuntur vel propter similem conditionem merito nobis etiam proponi censenda sunt. Iam apostoli et generatim verbi Dei praedicatores, uti opus a Christo inceptum continuant et tamquam eius legati munere funguntur atque id supplent quod laboribus Christi deest ad aedificandum corpus Christi quae est Ecclesia (Col. 1,24), ita merito similitudinem quandam cum Christo induere et sementem iacere dicuntur. Hi vero docentur verbum Dei vi sua atque natura per se crescere et gratia Dei adduci ad fructum, sicut semen iactum in terram pluvia coelesti et calore solis (quae ab homine praestari nequeunt) ad fruges ferendas adducitur. Ex quo documento verbi Dei praeconibus omnis vanae gloriae materia amputatur; demitur quoque sollicitudo nimis anxia de successu; nam iis in memoriam revocatur ipsa parabola hominem quidem plantare, Deum autem dare incrementum. Non itaque oportet animo cadere si videant parvum ac lentum esse praedicationis fructum (*Lap.*). Porro quod dicitur de seminis incremento, quod per herbam, spicam et plenum frumentum significatur, pariter applicari potest singulis Christianis, in quibus semen evangelicum habet suam herbam, dein spicam ac postremum suam maturitatem; in herbam enim enascitur in iis qui in baptismo renati innocentiae virore laetam de se spem praebent; qui iam excelsiores facti virtutum profectu spicas suas habent et cum pro modulo suo maturuerint, falce i. e. morte succiduntur (cf. *Ians.*). Vel tria haec triplici virtutum et meritorum incremento aptari possunt. Terra enim cordis germinat herbam, cum bona desideria et opera in se concipit et inchoat; spicam, cum ea operando strenue prosequitur; frumentum, cum opera et virtutes ad plenam maturitatem et perfectionem perducit (*Lap.*). De qua re *S. Gregorius :* « herbam producere est inchoationis bonae adhuc teneritudinem habere; ad spicam vero herba pervenit, cum se virtus animo concepta ad profectum boni operis pertrahit; plenum autem frumentum in spica fructificat, quando iam in tantum virtus proficit, ut esse robusti et perfecti operis possit » (homil. in Ezech. lib. 2 hom. 3,5; *M.* 76,960); similiter *Vict. Theoph. Cai. Dion. Calm.* Praeterea

monent designari liberum arbitrium eo quod terra ultro dicatur fructificare (*Vict. Bed. Theoph. Euth.*).

Haec parabola apud solum Marcum legitur. Cum alias ex sermonibus Domini nihil legatur apud Marcum quod non etiam apud alios synopticos reperiatur, aliqui ostendere conati sunt hanc quoque parabolam non esse ei propriam, sed ex parabola de zizaniis (Matth. 13,24-30) derivatam. Ita iam *Calm.* opinatur : « mihi quidem videtur Marcus id breviter collegisse quod Matthaeus 13,24 seq. fuse describit » et similiter Strauss, Hilgenfeld, Ewald, Weizsaecker, Weiss. At immerito. Nam doctrina hac parabola significata maxime differt, immo est plane alia. Totius Ecclesiae ab initio usque ad finem curriculum hic adumbratur; mentio fit solum de iis qui fructum afferunt; nulla fit zizaniorum mentio. Illa assumpta est, ut ostendatur permixtio bonorum et malorum in Ecclesia; haec plane aliud docet. Cum itaque doctrinam aliam, sibi unice propriam, contineat, propria quoque parabola est. Secundum doctrinam autem iudicare oportet; quare nihil refert ad id ut ex illa ortam esse monstretur, quod in utraque sermo fiat de semine, de somno, de herba et fructu, de messe. Nam modo prorsus diverso singula ad doctrinam diversam proponuntur.

Exposuerat Christus modum incrementi Ecclesiae. Iam in parabola de grano sinapis declaratur vis Ecclesiae qua maxima amplitudine protendatur ad orbem universum. Eandem parabolam et Matthaeus 13,31 et Lucas 13,18 proponunt; v. 30 *et dicebat : cui,* πῶς, quomodo, qua ratione, *assimilabimus regnum Dei aut cui parabolae comparabimus illud?* quanam similitudine illud illustrabimus? « qua quaestione dum veluti haesitabat, cui rei potissimum conferendum esset regnum Dei, magis attentos voluit reddere Dominus auditorum animos » (*Ians.*). Simili modo inducitur parabola apud Lucam. Ea autem quaestione Iesus quasi consulto in animis auditorum excitat eorum de regno messiano notionem, qua regnum illud cum pompa et splendore oriturum et hostibus Iudaeorum fusis fugatisque fundatum iri sperabant et desiderabant. Sed si talis imago eorum animos subit audita quaestione Domini, statim discere possunt quam egregie decipiantur; v. 31 *sicut granum sinapis,* ὡς κόκκῳ etc. simile est grano sinapis, *quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus quae sunt in terra:* « cum plantae plurimae sint quae e seminibus oriuntur grano sinapis sane exiguioribus, quaeritur qui potuerit Christus vere dicere granum sinapis minus esse omnibus seminibus. Quidam putant Christum more vulgi locutum esse; usitatum enim ac tralatitium Iudaeis erat rem quamque minimam grano sinapis comparare. Alii aiunt *minus omnibus seminibus* dictum esse pro uno e minimis omnium seminum. Equidem haec sic intelligo. Non simpliciter dicitur granum sinapis minimum

esse omnium seminum, sed omnium seminum quae sunt ἐπὶ τῆς γῆς in illa terra in qua ipsum iactum est; Christus videlicet hoc ponit, inter grandiora semina seminatum esse sinapi, quod tamen, sicut idem ipse ait, ubi ad iustam altitudinem creverit, maius fit omnibus olcribus quae ex illis grandioribus seminibus orta sunt » (*Patr.*). Ceterum « in adagium vulgare abiit כזרע חרדל pro quantitate grani sinapis frequentissime apud rabbinos rem vel quantitatem minutissimam innuentes » (*Lightfoot* ad Matth. 13,32, et similiter *Buxtorf*, lex. chald. p. 822); quare cur Christus ita loquatur, non multum laborandum erit; cf. ad Matth. 13,32.

At quamvis parvum sit, miram in se continet vim ac virtutem; v. 32 *et cum seminatum fuerit, ascendit;* monuit tempore seminationis esse minimum v. 31, at celeriter sese explicare et in altum crescere (v. 7. 8), *et fit maius omnibus oleribus et facit ramos magnos,* crescit itaque multum et in altitudinem et in amplitudinem, *ita ut possint sub umbra eius aves coeli habitare;* Ecclesia itaque cum fundatur minima est ex omnibus coetibus (Act. 1,15 numerantur asseclae Christi centum viginti), at cum germen illud parvum coelesti virtute praeditum sit, mox mirum in modum crescit, cuius incrementi testimonia iam habentur in Act. 2,41. 47; 5,14; 6,1 etc. et in epistolis S. Pauli Rom. 1,8; 10,18. Col. 1,6. 1 Thess. 1,8; « maxima fuit praedicatio et magnos ramos fecit; unus enim apostolorum ad Indiam, alius Romam, alius Achaiam et alius in aliam partem terrae divisi sunt ut rami » (*Theoph.*). Natura eius ac destinatio ad omnes gentes declaratur; et in avibus sub eius umbra habitantibus designatur pax, felicitas, protectio et salus quam populi invenient hanc Ecclesiam intrantes et secundum eius leges vitam componentes. Ceterum vide Ez. 17,23.

Uti in hac parabola progressus ille describitur et incrementum, quo Ecclesia per orbem terrarum debeat propagari et evadere vero sensu catholica seu universalis, ita in priore de semine crescente in herbam, in spicam, in plenum frumentum etiam intelligi potest profectus ille religionis de quo apte disserit Vincentius lirinensis in primo suo Commonitorio (23; *M.* 50,668) describens profectum fidei qui per aetates fieri possit ac debeat: « crescat igitur oportet et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quae licet annorum processu numeros suos evolvant et explicent, eadem tamen quae erant permanent... Non est dubium hanc esse legitimam et rectam proficiendi regulam, hunc ratum atque pulcherrimum crescendi ordinem, si eas semper in grandiori-

bus partes ac formas numerus detexat aetatis quas in parvulis Creatoris sapientia praeformaverat... ita etiam christianae religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur aetate... Hoc rectum et consequens est ut primis atque extremis sibimet non discrepantibus de incrementis triticeae institutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus; ut cum aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur et nunc laetetur et excolatur, nihil tamen de germinis proprietate mutetur; addatur licet species, forma, distinctio, eadem tamen cuiusque generis natura permaneat... Quodcumque igitur in hac Ecclesia Dei agricultura fide patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur observetur, hoc idem floreat et maturescat, hoc idem proficiat et perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa coelestis philosophiae dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; accipiant evidentiam, lucem, distinctionem ».

Concludit evangelista modum docendi Iesu eo tempore generatim describendo v. 33 *et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum*, tradebat doctrinam de regno messiano, de eius natura et effectibus, *prout poterant audire;* vide ad v. 11. 12; ita eis loquebatur, qualis erat animorum praeparatio; inepti scil. erant homines de turba ad veram regni naturam capiendam; ideo in parabolis loquebatur; quare *prout poterant audire* illorum hebetudinem designat qua Christus impediebatur quominus doctrinam sine tali involucro proponeret (cf. *Vict. Mald. Calm. Schanz, Fil.*). Atque eorum tarditas eo quoque satis deprehenditur quia Iesum de sensu parabolarum non interrogant (*Vict. Theoph.*); v. 34 *sine parabola autem non loquebatur eis*, eo scil. tempore quo evaserat manifestum eos a falsa sua notione regni non posse dimoveri. Quare doctrinam de regno Christus iis iam non aliter tradit. Cum parabolae plurimas admittant applicationes, aliquid utilitatis poterant percipere; sed ad quid proprie ex mente Christi tenderent, non capiebant neque iis curae erat ut intelligerent. At aliter de discipulis : *seorsum autem discipulis suis disserebat omnia*, explanabat; ex v. 10 graece ii sunt intelligendi qui cum apostolis coetum illum discentium et interrogantium constituebant. Unde ipso docendi modo indicatur separatio et disiunctio inter paucos illos qui fide Christum sequuntur et maiorem partem populi quae ad eam fidem non sese adducere sinebat.

Quemadmodum discipuli in antecedentibus edocti sunt explicatione parabolarum de vera natura regni Dei, ita in sequentibus edocentur magnis miraculis, ut eorum in Iesum fides magis expoliatur et consolidetur. Iesus enim se illis manifestat dominum maris et tempestatis qui

nutu voluntatis fluctus tumescentes coercet, dominum quem daemones trementes deprecantur, dominum vitae qui mortuos resuscitat. Quare se ostendit suprema potestate praeditum iis in rebus quibus homines quam maxime impotentiae admonentur. Quid enim homines valent in ventos et tempestates, quid contra daemonum astutias et vires, quid contra morbos et mortem? Hisce miraculis discipuli instituuntur, ut divinam Iesu naturam agnoscant, si Deum suum vocat patrem, si v. g. dicit : Pater meus usque modo operatur et ego operor (Ioan. 5,17).

f) De sedata tempestate 4,35-40.

4,35. Et ait illis in illa die, quum sero esset factum : transeamus contra. 36. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi : et aliae naves erant cum illo. 37. Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. 38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens; et excitant eum, et dicunt illi : Magister, non ad te pertinet quia perimus? 39. Et exsurgens comminatus est vento, et dixit mari : tace, obmutesce. Et cessavit ventus; et facta est tranquillitas magna. 40. Et ait illis : quid timidi estis? necdum habetis fidem? et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum : quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei?

4,35. Καὶ λέγει αὐτοῖς ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ὀψίας γενομένης, Διέλθωμεν εἰς τὸ πέραν. 36. καὶ ἀφέντες τὸν ὄχλον, παραλαμβάνουσιν αὐτὸν ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ· καὶ ἄλλα πλοῖα ἦν μετ' αὐτοῦ. 37. καὶ γίνεται λαῖλαψ μεγάλη ἀνέμου· καὶ τὰ κύματα ἐπέβαλλεν εἰς τὸ πλοῖον, ὥστε ἤδη γεμίζεσθαι τὸ πλοῖον. 38. καὶ αὐτὸς ἦν ἐν τῇ πρύμνῃ ἐπὶ τὸ προσκεφάλαιον καθεύδων· καὶ ἐγείρουσιν αὐτὸν, καὶ λέγουσιν αὐτῷ, Διδάσκαλε, οὐ μέλει σοι ὅτι ἀπολλύμεθα; 39. καὶ διεγερθεὶς ἐπετίμησεν τῷ ἀνέμῳ, καὶ εἶπεν τῇ θαλάσσῃ, Σιώπα, πεφίμωσο. καὶ ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος, καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη. 40. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Τί δειλοί ἐστε; οὕπω ἔχετε πίστιν; 41. καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους, Τίς ἄρα οὗτός ἐστιν, ὅτι καὶ ὁ ἄνεμος καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούει αὐτῷ;

In v. 36 πλοιαρια in E F G H L S U V al pl. In v. 37 et fluctus *mittebant* eg corp; ascendebant f; immittebantur e. In v. 40 τι δειλοι εστε ουτως A C Π unc 9 al omn fere syr go Ti; sed ουτως om ℵ B D L Δ it vulg cop aeth W H; eodem modo priores testes habent πως ουκ εχετε πιστιν; hi vero ουπω.

De tempestate sedata refertur Matth. 8,18. 23-27 et Luc. 8,22-25. Matthaeus nullum tempus assignat, verum miraculum hoc recenset eo loco, ubi seriem miraculorum omnis generis narrat ad Domini potentiam demonstrandam in omni rerum ordine. Apud Lucam ponitur post parabolam de seminante et post accessum fratrum, sed ponitur tempore indeterminato : factum est autem in una dierum. Marcus tempus accuratius designare videtur v. 35 *et ait illis in illa die, cum sero esset factum*, quae temporis declaratio referri nequit ad v. 33. 34 quippe quibus id enuntiatur quod Iesus solebat facere; neque assignari poterit idem dies de quo 4,1 narratio texitur; nam quae eo capite proponuntur, ita

narrantur, ut non serie continua vel uno die facta esse probabile sit; cf. 4,10. 21. 24. 26. 30 varii enim Domini sermones distinguuntur neque uno loco habiti neque ad eosdem. Proinde *illa dies* pertinebit ad ultimam parabolam de grano sinapis, ita ut transfretatio in regionem Gerasenorum vespera facta sit eius diei quo illam narraverat parabolam. Nam dictio haec non poterit explicari quodam die, vel illo tempore (uti volunt *Euth. Ians. Lamy, Schegg, Patr.*), verum certum diem designat et nexu arcto navigationem ad antecedentia adiungit (*Mald. Schanz, Fil. Keil*). Si enim Marcus tempus magis indeterminatum relinquere vult, dicit *in diebus illis;* vide 8,1; 13,17. 24; haec autem determinatio *in illa die, cum sero esset factum* hoc solum loco apud eum reperitur; et cum non sit eadem cum altera magis generali, arbitrarium est eam eodem cum altera sensu explicare. Neque verum est apud Matth. adhiberi in illo die pro in illo tempore. Nam 7,22 sermo de die iudicii instituitur, et 13,1 illo die quo accesserunt fratres Christum docuisse populum in parabolis etiam Lucas testatur 8,19, et Matth. 22,23 dictio proprio sensu retineri debet; idem valet de Luc. 10,12 et 17,31.

Vespera itaque illius diei dicit Iesus discipulis : *transeamus contra*, εἰς τὸ πέραν traiiciamus in ulteriorem ripam, in litus orientale lacus, in Peraeam; v. 36 *et dimittentes turbam*, relinquentes populum (*Mald.* et plerique) *assumunt eum ita ut erat in navi* i. e. iussi transfretare Christum in altum mare assumunt, uti erat sedens in navi; qua dictione promptam ac celerem exsecutionem discipulorum significat evangelista (*Ians. Schanz*); quod alii explicant : sine ullo ad iter apparatu (*Wetstein, Rosenmüller, Meyer, Volkmar, Ewald* etc.) quatenus prompta profectio exprimitur, sensu non multum differt. Censet autem *Mald.* significari non fuisse necessarium, ut illum nautae vel discipuli in navim inducerent ad traiiciendum, quia iam in navi esset. Modus loquendi ad Petrum eius rei testem referri videtur; nam si quis profectionem sine ulla mora factam describere vult, solet dicere : eum sicut erat abduximus; *et aliae naves erant cum illo*, μετ' αὐτοῦ, τοῦ πλοίου, δηλονότι, ait *Euth.;* plerique tamen naves comites Iesu intelligunt. Non potest dici voluerintne multi ex plebe Iesum comitari, ut eum honorarent et suum testarentur affectum, an homines ex regione ulteriore qui Christum docentem audierint simul cum ipso redierint in suam patriam. Horum comitum solus Marcus mentionem facit explicitam; eos tamen innuere quoque videtur Matth. 8,27.

Iesus autem eam traiectionem imperat, ut ea occasione fidem discipulorum exstimulet et regioni quoque decapolitanae quae magnam partem a gentilibus incolebatur suam offerat gratiam. Probatio autem et

institutio discipulorum habetur et in tempestate et in accessu ad regionem Gerasenorum. Christus praevidens ea nocte orituram esse tempestatem consulto iubet transfretari; v. 37 *et facta est procella magna venti*, voce λαῖλαψ Graeci designant ventum procellosum, vehementem, subito et inexspectato ortum, cum imbribus iunctum (vide locos apud *Wetstein*). Et quantum in periculum naviculam coniecerit irruens in lacum procella et turbo, declaratur *et fluctus mittebat in navim*, graece potius : et fluctus irruerunt in navim, *ita ut impleretur navis*, ὥστε ἤδη ut *iam* navicula undis repleretur. Et quid Christus? accurate, ut ex ore Petri testis, describit Marcus : *et erat ipse in puppi super cervical dormiens*, in puppi, in ea navigii parte quae nutatione navis minus iactabatur et proinde magis erat quieta; *super cervical*, pulvinar; προσκεφάλαιον etiam explicatur ὑπηρέσιον (vide locos apud Wetstein) qua voce pulvinus remigum designatur. Mari sonante et furente et interitum minitante Dominus placide dormit; « hic ille unus evangeliorum locus est in quo Iesum dormientem invenimus; expedit quippe huiusmodi locos notare in quibus is humanum quid agens aut patiens inducitur » (*Patr.*). Somnus iste certe etiam documento nobis est laboris et fatigationis quam Iesus per diem subierat. Naturae humanae infirmitatem qua necesse sit corpus diurnis fessum laboribus vespertino tempore reficere somno non dedignatur in se ostendere. Ea autem occasione etiam praeterea censendus erit dormivisse, ut exorta tempestate maior esset timoris et invocandi opem suam opportunitas, ut maius etiam appareret miraculum, cum prius discipuli turbati fuissent. Si enim ipso vigilante tempestas haec oborta fuisset, aut non timuissent discipuli aut credidissent illo invito eam contigisse (cf. *Theoph. Ians.*).

Atque cum Dominus dormiat etiam fit ut quam debilis ac manca etiam tum discipulorum fides sit manifestum evadat; habent quidem aliquam in eum fidem; nam quia ab eo se salvatum iri a furore procellae sperant, *excitant eum et dicunt illi : magister non ad te pertinet*, οὐ μέλει σοι; i. e. « non est tibi curae; nam aliud est pertinere ad nos, aliud esse curae; siquidem multa ad nos maxime pertinent, quae minime sunt curae » (*Erasmus*), *quia perimus?* nos perire non tibi cordi est?! clamant anxie, cum aliqua expostulatione, quia durum iis videtur quod Iesus qui tot aliis opem tulit suos periclitari sinit. Qua in re utique defectus fidei et cognitionis cernitur. Quomodo enim fieri posset ut qui electi sunt apostoli ad regnum messianum fundandum nunc aquarum turbine perirent, dum cum ipso Messia in navigio versantur? et quomodo illa navis quae portat Messiam posset obrui fluctibus et mergi et perire et suo interitu interitum afferre Messiae? v. 39 *et exsurgens*, ita διεγερθείς oportet explanari, non, ut aliqui (*Keil*) volunt, excitatus; nam

excitatus iam erat, dum discipuli eum alloquuntur; quare vocem alia notione capere debemus, qua saepe usurpatur; vide ἐγείρειν 1,31; 2,9. 11. 12; 3,3; 4,27; 5,41 etc., *comminatus est vento et dixit mari : tace, obmutesce;* prius ventum increpat, hic enim est qui ferox reddiderat mare (*Theoph.*); dicit *tace,* « ex commotione enim maris quidam sonitus consurgit, qui videtur esse quaedam maris locutio periculum comminantis; et ideo convenienter sub quadam metaphora tranquillitatem imperat taciturnitatis vocabulo » (cat. *S. Thom.*). *obmutesce,* πεφίμωσο, capistro os habeto obduratum (cf. 1 Cor. 9,9. 1 Tim. 5,18; LXX Deut. 25,4); « increpat ventum causantem fluctus et silentium imponit mari sonanti ad ostendendum hominibus praesentibus, quod solo imperio cessare facit ventum et fluctus maris » (*Cai.*).

Atque, ut *Beda* dicit, omnes creaturae sentiunt Creatorem, non errore haereticorum qui omnia putant animantia, sed maiestate Conditoris; *et cessavit ventus* ἐκόπασεν, quasi fatigatus ab impetu cessavit *et facta est tranquillitas magna,* uti in comminatione et imperio duo membra efferuntur, ita in eventu quoque. In qua tranquillitate et serenitate (γαλήνη) maris magna adeo subito restituta etiam maius pro nostra consideratione cernitur miraculum quam in cessatione venti; ventum quippe subito remitti non est adeo insolitum, sed naturale est ut procella cessante usque ad multum tempus aquae concutiantur et fluctus tumescentes paulatim solum componantur. Sed ad verbum Iesu statim cessat iactatio et tumor fluctuum, et procellae *magnae* (v. 37) succedit tranquillitas *magna.*

Ex Matth. 8,26 Iesus prius sedat tempestatem in animis discipulorum; qui ordo praeferendus esse videtur; ea enim reprehensione cum nimius timor reprimatur, simul etiam aptiores redduntur ad miraculum maiore cum attentione percipiendum (cf. Comment. Matth. I p. 331); v. 40 *et ait illis : quid timidi estis? necdum habetis fidem?* « increpat autem discipulos, non quod illum excitaverunt opemque implorarunt, id enim erat fidei atque fiduciae cuiusdam argumentum, sed quod tam anxii trepidarunt consternatique penitus, ac si actum de iis fuisset, clamaverunt; diffidentiae enim erat quod dixerunt *perimus* » (*Ians.*) et quod quasi altercati sunt cum eo; *necdum,* οὔπω, post tot scil. potentiae Christi documenta. Illi autem sacro quodam timore perfunduntur videntes ad unum Iesu verbum ventos et fluctus compositos esse, *et timuerunt timore magno,* uti accidisse in s. litteris refertur iis qui manifestatione maiestatis divinae vel apparitione coelesti edocentur; vide Gen. 28,17. Is. 6,5. Ez. 2,1. Dan. 7,15. Luc. 1,29. 30; « et opportunam fuisse Christi castigationem ostendunt discipulorum verba : *dicebant ad alterutrum : quis putas est iste quia et ventus et mare obe-*

diunt ei? et quibus iure illi arguuntur nondum pro certo habuisse Christum esse Deum » (*Patr.*); adhuc enim, ut *Theoph.* dicit, de eo dubitabant. Ceterum in hac navigatione Dominus utramque unius eiusdemque suae personae naturam dignatur ostendere, dum ipse qui ut homo dormit in navi, furorem maris verbo compescit ut Deus (*Bed.* sim. *Vict. Theoph.*).

Eo quod aliae quoque naves cum eo erant v. 36, concludendum erit alios quoque praeter discipulos huius miraculi fuisse testes. Id quod a S. Matthaeo quoque satis indicatur cum dicat : porro *homines* mirati sunt dicentes etc. ; verum inde tamen nequit colligi cum *Mald.* verba haec *quis putas* non esse ad discipulos quoque referenda tamquam ab eis dicta ; « non enim discipuli aut quis esset Christus aut quanta in faciendis miraculis potestate polleret dubitassent » (*Mald.*). At in toto apud Marcum et Lucam contextu de discipulis est sermo; hi iubentur transfretare (Luc. 8,22); hi in periculo positi Iesum excitant; his dicit : quid timidi estis etc. ; iam quis sibi poterit persuadere, cum nulla subiecti grammatici mutatio indicetur, illud *et timuerunt et dicebant* subito ad alios transferri? Discipulos fuisse tardos in fide de Iesu persona et dignitate amplectenda et satis etiam lentos et segnes in Iesu doctrina intelligenda, apud Marcum crebro apparet; vide 6,52 non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcaecatum; 7,18 ; 8,17 adhuc caecatum habetis cor vestrum? 8,33 ; 9,18. 34 etc. ; quare cum reliqua eorum indole nullatenus pugnant verba quae hic ab eis dicta esse narratur. Neque eam discipulorum tarditatem referre Marcus probro esse censet; nam quo tardiores olim erant in fide suscipienda, eo gravius evadit eorum testimonium quo nunc maxima cum alacritate populis praedicant Iesum Dei Filium parati sui sanguinis effusione evangelium obsignare.

Facile concesseris cum *Ians.* hanc tempestatem typum quendam fuisse tentationum futurarum ad quas suos discipulos athletas orbis futuros Dominus exercere iam voluerit (cf. *Vict. Theoph.*); « futurum enim erat ut cum discipuli Christum in mari huius mundi essent transvecturi (quod fecerunt cum provehebant sermonem evangelicum) multi gravesque tumultus excitarentur contra eos. Adversus quos tumultus et tempestates suos Dominus confirmabat docens nullam tempestatem aut oppugnationem quantumvis atrocem metuendam iis, qui toto pectore fiduciam haberent in ipsum, simulque ostendens omnes eos qui se consecrarent illi non fore ab omni tentatione et periculo liberos, quin potius pericula illos manere quamdiu in pelago huius mundi cum ipso in navi quae est Ecclesia navigant et necdum in litus regni coelorum perveñerunt. Operae pretium est autem hic videre quo pacto Deus suos soleat tentare aut tentari permittere. Nam tentationis

quae hic sanctos manet natura hoc loco graphice est depicta. Tempestatem enim immisit saevam, neque hoc contentus, operiri etiam fluctibus navim ac impleri aqua sinit; ad haec summe periclitantes visus est prorsus negligere. Illis enim iam extrema exspectantibus securus ipse dormit stratus in puppi. Sic sane probantur sancti, ut non solum supra quam videantur sibi ferre posse affligantur, sed simul ita se Deus erga illos exhibet, etiam cum actum de eis iam videtur, ut nullam eorum rationem habere existimetur. At non sinit tamen sanctos despondere animum; sicut enim hic discipuli nequaquam omnem spem abiecerunt, sed Dominum excitarunt opemque eius implorarunt... ita et sanctis usuvenit », etc. (*Ians.*). Praeterea frequens est eius eventus applicatio et ad Ecclesiam universam et ad singulas animas; de qua vide Comment. in Matth. I p. 332.

g) Sanatur daemoniacus 5,1-20.

5,1. Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. 2. Et exeunti ei de navi statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. 3. Qui domicilium habebat in monumentis; et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare;

4. Quoniam saepe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset; et nemo poterat eum domare. 5. Et semper die ac nocte in monumentis et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus. 6. Videns autem Iesum a longe, cucurrit, et adoravit eum : 7. et clamans voce magna, dixit : Quid mihi, et tibi, Iesu Fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas.

8. Dicebat enim illi : Exi, spiritus immunde, ab homine. 9. Et interrogabat eum : Quod tibi nomen est? Et dicit ei : Legio mihi nomen est, quia multi sumus. 10. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.

11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens.

12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes : Mitte nos in porcos, ut in eos introeamus. 13. Et concessit eis statim Iesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos; et magno impetu grex praecipitatus est in mare ad duo millia. et suffocati sunt in mari. 14. Qui autem pascebant eos, fugerunt, et nuntiaverunt

5,1. Καὶ ἦλθον εἰς τὸ πέραν τῆς θαλάσσης, εἰς τὴν χώραν τῶν Γερασηνῶν. 2. καὶ ἐξελθόντος αὐτοῦ ἐκ τοῦ πλοίου, ὑπήντησεν αὐτῷ ἐκ τῶν μνημείων ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, 3. ὃς τὴν κατοίκησιν εἶχεν ἐν τοῖς μνήμασιν καὶ οὐδὲ ἁλύσει οὐκέτι οὐδεὶς ἠδύνατο αὐτὸν δῆσαι, 4. διὰ τὸ αὐτὸν πολλάκις πέδαις καὶ ἁλύσεσι δεδέσθαι, καὶ διεσπάσθαι ὑπ' αὐτοῦ τὰς ἁλύσεις, καὶ τὰς πέδας συντετρῖφθαι, καὶ οὐδεὶς ἴσχυεν αὐτὸν δαμάσαι· 5. καὶ διὰ παντὸς νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐν τοῖς μνήμασιν καὶ ἐν τοῖς ὄρεσιν ἦν κράζων καὶ κατακόπτων ἑαυτὸν λίθοις. 6. καὶ ἰδὼν τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ μακρόθεν, ἔδραμεν καὶ προσεκύνησεν αὐτόν, 7. καὶ κράξας φωνῇ μεγάλῃ λέγει, Τί ἐμοὶ καὶ σοί, Ἰησοῦ, υἱὲ τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου; ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν μή με βασανίσῃς. 8. ἔλεγεν γὰρ αὐτῷ, Ἔξελθε, τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον, ἐκ τοῦ ἀνθρώπου. 9. καὶ ἐπηρώτα αὐτὸν, Τί ὄνομά σοι; καὶ λέγει αὐτῷ Λεγεὼν ὄνομά μοί ἐστιν, ὅτι πολλοί ἐσμεν. 10. καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλὰ, ἵνα μὴ αὐτὰ ἀποστείλῃ ἔξω τῆς χώρας. 11. ἦν δὲ ἐκεῖ πρὸς τῷ ὄρει ἀγέλη χοίρων μεγάλη βοσκομένη· 12. καὶ παρεκάλεσαν αὐτὸν λέγοντες, Πέμψον ἡμᾶς εἰς τοὺς χοίρους, ἵνα εἰς αὐτοὺς εἰσέλθωμεν. 13. καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς καὶ ἐξελθόντα τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα εἰσῆλθον εἰς τοὺς χοίρους· καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν ὡς δισχίλιοι· καὶ ἐπνίγοντο ἐν τῇ θαλάσσῃ. 14. καὶ οἱ βόσκοντες αὐτοὺς ἔφυγον, καὶ ἀπήγγειλαν εἰς τὴν

in civitatem et in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum. 15. Et veniunt ad Iesum : et vident illum qui a daemonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanae mentis; et timuerunt. 16. Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei qui daemonium habuerat, et de porcis.

17. Et rogare coeperunt eum ut discederet de finibus eorum. 18. Quumque ascenderet navim, coepit illum deprecari, qui a daemonio vexatus fuerat, ut esset cum illo. 19. Et non admisit eum, sed ait illi : Vade in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui.

20. Et abiit, et coepit praedicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Iesus : et omnes mirabantur.

πόλιν καὶ εἰς τοὺς ἀγρούς. καὶ ἦλθον ἰδεῖν τί ἐστιν τὸ γεγονός· 15. καὶ ἔρχονται πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ θεωροῦσιν τὸν δαιμονιζόμενον καθήμενον ἱματισμένον καὶ σωφρονοῦντα, τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα· καὶ ἐφοβήθησαν· 16. καὶ διηγήσαντο αὐτοῖς οἱ ἰδόντες, πῶς ἐγένετο τῷ δαιμονιζομένῳ, καὶ περὶ τῶν χοίρων. 17. καὶ ἤρξαντο παρακαλεῖν αὐτὸν ἀπελθεῖν ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. 18. Καὶ ἐμβαίνοντος αὐτοῦ εἰς τὸ πλοῖον, παρεκάλει αὐτὸν ὁ δαιμονισθείς, ἵνα μετ' αὐτοῦ ᾖ. 19. καὶ οὐκ ἀφῆκεν αὐτὸν, ἀλλὰ λέγει αὐτῷ "Υπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου πρὸς τοὺς σοὺς, καὶ ἀπάγγειλον αὐτοῖς ὅσα ὁ Κύριός σοι πεποίηκεν καὶ ἠλέησέν σε. 20. καὶ ἀπῆλθεν καὶ ἤρξατο κηρύσσειν ἐν τῇ Δεκαπόλει, ὅσα ἐποίησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς· καὶ πάντες ἐθαύμαζον.

In v. 1 γερασηνων ℵ* B D it vulg Ti W H; γαδαρηνων A C Π unc 8 al longe pl syr go; γεργεσηνων L U Δ aliq minusc cop arm aeth Epiph Theoph qui asserit accuratoria exemplarium ita habere; item Vict. In v. 2 εξελθοντι αυτω A Π unc 9 al pler; exeunte eo f dub; εξελθοντων αυτων D, exeuntibus illis ff², descendentibus illis c, cum exissent e; legitur ευθυς υπηντησεν in ℵ A C D L Π Δ unc 9 al pler. In v. 3 αλυσει B C* L 33 c e Ti W H; αλυσεσιν ℵ A C² D Δ Π unc 9 al pler it vulg cop syr (utr) arm aeth go; hi fere etiam om ουκετι (habent ℵ B C* D L Δ it vulg aliq minusc). In v. 4 aliq minusc planiorem praebent constructionem δια το αυτον πολλας πεδας και αλυσεις, αις εδησαν αυτον, διεσπακεναι και συντετριφεναι; sim. fere D it vulg. In v. 5 codd vulg *nocte ac die*, uti graece; pariter in v. 7 codd dei *summi*; wil altissimi. In v. 10 παρεκαλουν A Δ aliq minusc; deprecabantur c ff² g¹ ² steph sixt go; αυτα αποστ. B C Δ; αυτους A D E F G H M S U V al pl, *eos* g¹ c ff ff². In v. 12 παρεκαλεσαν παντες οι δαιμονες A E F G H S U V al pl a go arm; δαιμονες K M al 15 fere; b c ff² g¹ ² i l q vulg spiritus (vel daemones) eg add *immundi*. In v. 13 add ευθεως A Π unc 9 al pler; b et fecerunt impetu ire gregem per praeceps; big ept mt ox *erant autem* duo millia (uti ησαν δε A C² Π unc 9 al pler) a f g² i l go. In v. 14 codd vulg quid esset *facti*. In v. 15 add big hub theod mt ox *qui habuerat legionem* cum graecis; om D it vulg. In v. 19 theod car val harl *Iesus autem* non admisit eum (uti ο δε ις ουκ D unc 7) it sax arm aeth.

Prae aliis (Matth. 8,28-34. Luc. 8,26-39) Marcus in hac quoque narratione ad particularia descendit. Ita solus narrat : nemo poterat eum domare et semper die ac nocte in montibus erat et in monumentis clamans et concidens se lapidibus; iam ad Iesum currit, cum eum *a longe* vidisset; porcorum *ad duo millia* perierunt; daemon adiurat Iesum *per Deum;* sanatus praedicat in Decapoli et omnes mirantur (cf. *Fab. Fil.*). De duobus daemoniacis narrat Matthaeus, de uno Marcus et Lucas. Iam *Vict.* advertit tum solum posse cerni id esse contrarium, si dicerent

ὅτι εἷς μόνος ἦν, *tantum* unum fuisse, id quod neuter innuit. Cur autem Marcus unius mentionem faciat, variae rationes afferuntur; intelligas, inquit *S. Augustinus* (de cons. evang. 2,24. 56; *M.* 34,1104), unum eorum fuisse personae alicuius clarioris et famosioris quem regio illa maxime dolebat; ille itaque solus commemoratus est, de quo facti huius fama latius praeclariusque peragraverat; idem *Beda*, *Fil.* censent. Aliis videtur a Marco illius solum fieri mentionem qui fuisset saevior (*Vict. Theoph. Cai. Lamy*), vel quia ille unus Christum sanatione accepta sequi voluisset et a Christo iussus esset praedicare in Decapoli (*Ians.*); et *Patr.* rem ex eo declarat, quia Marcus scribit illum unum Christo obviam venisse *statim* ac is e navi egressus fuisset; « ut Christus in litus e navi descendit, ei statim unus illorum duorum obvius fuit; alter non statim ac Christus de navi fuerat egressus, sed post aliquod temporis spatium supervenit. Matthaeus de utroque locutus est; Marcus solum de primo, propterea fortasse quia de hoc plura erant quae narrarentur, pauciora neque alia de altero ». Opinatur *Lightfoot* (Horae hebr. ad h. l.) istum unum fuisse gentilem et Marcum Lucamque ex instituto de eo tantum mentionem habuisse, ut historiam inde exhiberent celebriorem. Quae tamen sententia vix admitti potest; nam ut iam *Cai.* monet itemque *Weiss*, in v. 19 Deus Hebraeorum more appellatur Dominus; unde apparet Hebraeum fuisse illum; alias non hebraeo more nuncupasset Deum Iesus.

Quoniam in navi dubitabant quantus hic esset, iam iis testimonium ab inimicis offertur, dum daemones Iesu divinitatem praedicant (*Vict. Theoph.*); v. 1 *et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum;* probabilissime in eam regionem ubi hodie ruinae sunt Gersa, Kersa, Kursi prope lacum Tiberiadis; eo loco praecipitia quoque crebra sunt (cf. *Schumacher*, Der Dscholan, Leipzig 1886 p. 177; vide Comment. in Matth. I p. 333); v. 2 *et exeunti ei de navi statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo;* vide ad 1,23; v. 3 *qui domicilium habebat in monumentis*, in sepulcris, quae in rupibus exscindi vel in speluncis deligi solebant vel etiam ex lapidibus exstrui ea altitudine et latitudine, ut quis erectus illa ingredi potuerit (cf. *Ians.*); daemoniacus ab hominum societate exclusus inter mortuos habitat; fortasse daemones eum locum elegerunt quo maiorem incuterent aliis terrorem; ceterum iis qui mortui sunt Deo et operibus mortuis delectantur et incumbunt et per peccatum auctores mortis humano generi exstiterunt, talis habitationis locus plane est consentaneus; *et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare*, οὐκέτι, proin decursu temporis magis ferox et saevus effectus est, ita ut cum antea ligari potuisset, iam omnia vincula facile solveret viribus scil. daemonum, quorum saevitia in

miseri hominis conditione oculis subiicitur v. 4 *quoniam saepe compedibus et catenis vinctus dirupisset catenas et compedes comminuisset et nemo poterat eum domare;* cum praeter compedes πέδας enumerentur ἁλύσεις, censet *Schanz* voci hic tribui notionem manicarum; at profecto praestat vocem significatione sua generali catenarum vel vinculorum retinere. Homines enim furiosi non solum in manibus et pedibus, sed etiam, si opus est, circa pectus et latera catenis adstringuntur vel certe olim adstricti sunt. Dicitur eum comminuisse compedes συντετρῖφθαι, eas esse contritas, qua voce compedes ex funibus vel ligno confectae designantur.

Videntur daemones in eo homine voluisse exprimere similitudinem suae ipsorum miseriae, desperationis, damnationis v. 5 *et semper die ac nocte,* graece : nocte ac die, uti Act. 20,31; 26,7. 1 Thess. 2,9; 3, 10; num ita, quia Iudaei diem a vespera inchoabant? sed dicitur quoque ἡμέρας καὶ νυκτὸς non solum Luc. 18,7 sed etiam Apoc. 4,8; 7,15. 12, 10 etc.; *in monumentis et in montibus erat clamans et concidens se lapidibus.* Tali cum esset ferocitate, nemo eum adducere potuisset ad Iesum. Iesus pro sua misericordia homini se obviam fert et pro sua potentia daemones ad sui obsequium et venerationem adigit v. 6 *videns autem Iesum a longe cucurrit et adoravit eum,* προσεκύνησεν, procidit ad pedes eius, se prostravit coram eo; pro qua voce in locis parallelis quandoque ponitur γονυπετεῖν, πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον, πρὸς τοὺς πόδας (cf. Marc. 1,40; 5,22. Luc. 5,12; 8,14) quemadmodum in eadem narratione Luc. 8,28 habet : is ut vidit Iesum, procidit ante illum προσέπεσεν αὐτῷ, atque eadem etiam significatione adorare usurpatur; v. 7 *et clamans voce magna dixit : quid mihi et tibi, Iesu Fili Dei altissimi?* cruciatur enim daemon praesentia Domini et invisibiliter flagellatur et uritur et intolerabilia patitur (*Vict. Ians.*); unde in expostulationem prorumpit. Quo sensu queratur, etiam elucet ex Matth. 8,29 : venisti huc *ante tempus* torquere nos? nondum esse tempus quo in carcerem tartareum includendi sint (vide Comment. in Matth. I p. 335). Voce hominis utitur daemon et confitetur Iesu naturam divinam. Qui igitur non intellexerunt quid mare tumultuans et iterum quiescens profiteretur, id nunc audiunt a daemonibus enuntiari, idem scil. quod mare ipsa sua tranquillitate clamavit, ut *Vict.* adnotat.

A voce expostulantis et conquerentis statim transit ad vocem supplicantis; haeret quippe daemon, ut *Ians.* ait, inter audaciam et metum et per timorem veneratur eum quem ut sui iudicem et regni sui eversorem odio habet; *adiuro te per Deum ne me torqueas* i. e. obtestor te per Deum, supplex flagito. Daemon enim cum suis precibus nihil sciret merito tribuendum, divini nominis auctoritate interposita quam gra-

vissimam esse Christo sciebat, sperabat se posse consequi quod volebat (*Ians.*). Tormentum suum putant daemones si cogantur exire ab homine (*Theoph.* et sim. *Bed. Alb. Cai. Ians. Calm. Patr. Schanz*); sequitur enim quali mandato accepto hanc supplicationem Christo obtulerit v. 8 *dicebat enim illi : exi, spiritus immunde, ab homine:* metuebat enim ne exire iussus mitteretur in abyssum inferni ; quare Luc. 8,31 daemones rogasse Dominum narratur ne imperaret sibi ut in abyssum irent. Sicut itaque 1,25. 26 cum dixisset Iesus : obmutesce et exi ab homine, permisit illi priusquam egrederetur proiicere daemoniacum in medium et discerpere, ita hic quoque ante egressum permittit daemoni quaedam orare et respondere, quoniam sic utile erat propter eos qui aderant (*Ians.*). Efficacia praecepti inde quoque colligitur quia Christo praecipiente adeo trepide et multum precabatur ne torqueretur, non refugiens quidem obedientiam, sed maius deprecans malum. Iesus autem multis daemonibus imperat quasi unus esset propter imbecillitatem ipsorum (*Euth.*); id quippe ex sequentibus patet.

Nam v. 9 *interrogabat eum*, eum scil. qui v. 7 locutus erat: vox quidem erat hominis, at ex eo et ope eius locutus est daemon; proinde daemon interrogatur, uti plerique recte explicant, etiam *Euth.*, qui quidem hominem interrogari ait, attamen addit quaestionem pervenisse ad multitudinem daemonum; perperam autem *Keil* censet Christum sua interrogatione voluisse illum hominem reddere sui ipsius conscium ; *quod tibi nomen est?* vult scil. Christus, ut *Ians.* monet, ex diaboli responsione patescere praesentibus daemonum inhabitantium multitudinem, ut hinc illis etiam constaret et causa rarae illius crudelitatis ac saevitiae quae descripta est et miraculi magnitudo, quo a tanta daemonum potestate homo uno Christi verbo liberatus esset; proinde discere poterant qui aderant Iesu potentiam longe superiorem esse vi non solum singulorum daemonum sed etiam plurimorum simul coadunatorum et inter se conspirantium. Interrogat ut notum fiat non unius alicuius sed totius cuiusdam multitudinis vocem in voce hominis esse auditam. Nomen autem quaerit, non quasi singuli daemones nomen proprium haberent vel nomine innotescerent hominibus, sed quia cum nomine res nobis declarentur notioresque fiant, ea quaestione exigit a daemonibus, ut suam multitudinem ipsi aperiant; *et dicit ei : legio mihi nomen est, quia multi sumus;* λεγεών, vox *legio* לגיון etiam a targumistis et talmudistis adhibetur, qua designent et multitudinem quandam et unum qui pluribus tamquam legioni sit praefectus (cf. *Buxtorf*, lex. chald. p. 1123; *Levy*, neuhebr. und chald. Woerterb. II p. 474); unde etiam concipi potest principem quasi daemonum et ducem eius multitudinis respondere et se ipso nomine tamquam ducem

exercitus magni declarare. Nomen Dei sollemne est Iahve sabaoth, Dominus exercituum; videtur daemon simile nomen sibi arrogare et se quoque esse ducem exercitus magni insinuare. Unum hominem a compluribus possideri et vexari daemonibus etiam 16,9 et Matth. 12,45 et Luc. 8,2 exemplis demonstratur.

Verum si daemon gloriatur de multitudine suorum vel si invitus cogitur fateri quanto conatu hominem possederit, statim ipse suam coram Iesu impotentiam omnibus pandit v. 10 *et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem;* graece daemones deprecantur, uti in v. 12, quae locutio post v. 9 apta est et ipso numero plurali petentium ostendit quanto desiderio daemones cupiant versari in terra. Ex ea petitione aliqui colligunt diversos daemones magis affici ad diversas regiones, cum petant non in universum ne ex mundo habitato expellantur, sed speciali modo ne ἔξω τῆς χώρας, ne ex illa extrudantur regione (cf. *Cai. Ians.*); sed petunt id ne iubeantur abire in infernum. Unde utique sequitur daemones aliquid percipere levaminis si in terra morari eis liceat; ideoque recta esse videtur plurimorum theologorum sententia admittendam esse in daemonibus ante iudicium universale aliquam minimam delectationem accidentalem (cf. *Suarez,* de angelis lib. 8 cap. 15 n. 4 seq.). Ne igitur in abyssum abire iubeantur, flagitant ut in porcos ingredi liceat; v. 11 *erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens;* « nec quod Marcus dixit circa montem fuisse gregem porcorum, Lucas autem in monte quidquam repugnat; grex enim tam magnus fuit, ut aliquid eius esset in monte, aliquid circa montem » (*S. Aug.* de cons. evang. 2,24. 56); quam nihil valeant efficere daemones sine Dei permissione, ipsi pandunt v. 12 *et deprecabantur eum spiritus dicentes : mitte nos in porcos ut in eos introeamus;* v. 13 *et concessit eis* (*statim Iesus*) *et magno impetu grex praecipitatus est in mare ad duo millia et suffocati sunt in mari;* daemones hanc sibi habitationem efflagitarunt, ne in abyssum abire cogerentur. Quare non videtur probabile ab ipsis daemonibus porcos esse in lacum actos ut interirent; multo minus dici poterit daemones id ea mente petiisse ut damno incolis illato eis Iesum redderent odiosum. Si enim hoc voluissent, certe non adiuvisset Christus eorum consilium adeo pravum permittens illis ingredi in porcos. In isto gregis furore et impetu oculis spectantium exhibetur quam intolerabilis sit daemonum praesentia, ostenditur simul eorum impotentia, cum quod eorum maxime intererat habitaculum illud porcorum retinere non possent. Christus enim solum permisit *ingredi* in porcos; ultra id nihil valent. Alia complura adnotavi ad Matth. 8,32. Advertit *Beda* nos doceri daemones multo minus posse sua potestate nocere hominibus (sim. *Theoph.*).

Eius rei rumor statim spargebatur per regionem v. 14 *qui autem pascebant eos fugerunt et nuntiaverunt in civitatem et in agros*, per urbem et per pagos et vicos rem nuntiarunt; ἀγροί pagi, vici, cf. Marc. 6,36. Luc. 9,12; in loco parallelo Luc. 8,34 interpres εἰς τοὺς ἀγρούς reddidit *in villas; et egressi sunt* ex urbe et ex pagis vicinis *videre quid esset factum*. Pastorum certe maxime intererat heris porcorum rationem reddere de eorum interitu ita ut a se omnem averterent culpam. Cum igitur in urbem et in pagos currerent rem narraturi, eo ipso ostendunt porcos incolarum urbis et pagorum suae curae fuisse commissos. Putant aliqui (*Bleek*) numerum duorum millium esse traditione posteriore plurimum exaggeratum; verum hi non legisse videntur aut non intellexisse v. 14. Pastores heris persuaserunt ut ipsi venirent et rem investigarent; alii multi, ut fieri solet, rei novitate et curiositate alliciuntur; v. 15 *et veniunt ad Iesum et vident illum qui a daemonio vexabatur sedentem, vestitum;* antea igitur cum ne vestimenta quidem sustinuisse indicatur, id quod post ea quae v. 4. 5 dicta sunt minime mirum videtur; Luc. 8,27 id explicite statuitur[1]; *et sanae mentis*, ad emphasin additur graece : eum qui legionem habuerat, ut scil. quantum mutatus esset uno Iesu verbo, manifestum evaderet, *et timuerunt* cernentes scil. hoc documentum altioris cuiusdam potestatis, quare terrore quodam perfundebantur. Adventantibus incolis a rei testibus singula narrantur v. 16 *et narraverunt illis qui viderant, qualiter factum esset ei qui daemonium habuerat et de porcis; qualiter* etc. refertur ad narraverunt; cum ultimo loco dicantur narrasse quomodo interissent porci, aliqui putant auctorem sacrum uti voluisse gradatione quadam qua ostenderet iacturam et damnum hoc iis maxime cordi fuisse (cf. *Fil.*). At subtilius id excogitatum est; dicuntur enim narrare eo ordine quo singulae res evenerunt.

Incolae autem omnibus auditis v. 17 *rogare coeperunt eum, ut discederet de finibus eorum;* certe non ex humilitate, quia se indignos putassent qui eius honorarentur ac fruerentur praesentia (uti nimis bene de iis iudicant *Ps. Hier. Vict. Bed. Alb. Ians.*), sed timentes ne peius quidquam iactura porcorum subsequeretur (*Cai.*); rogant autem, non audentes irasci propter damnum, quia magno timore tenebantur, ut Luc. 8,37 dicitur. Cum sane multi ex illis essent gentiles, etiam dici potest cum *Lamy* : « sciebant Iesum Iudaeum esse ex vestimentis et ex comi-

1. Unde aliqui concludunt Marcum haud diligenter usum esse evangelio Lucae (*de Wette, Fritzsche, Baur* etc., alii in v. 3 debuisse id esse scriptum quod iniuria temporum exciderit (*Ewald*). At utrique frustra ingenia sua torserunt tam arguta subtilitate. Talem enim modum narrandi quem Marcus sequitur quicumque non vanas venatur argutias clarum et perspicuum deprehendet et in eiusmodi rebus usitatum.

tatu; ideoque qui Iudaeorum hostes essent, quippe cultores idolorum, putabant sua tanta virtute Iesum usurum ad nocendum ipsis; inde timor ne pergeret transire infestus per agros eorum ». Non igitur considerant beneficium quod Christus misero praestitit, sed toti defixi in considerationе iacturae porcorum gratiam a Iesu oblatam repudiant. Neque tamen Christus omne eis beneficium subtrahit; mittit enim illis praeconem miraculorum et potentiae Dei, dum ipse, uti petierant, recedit; v. 18 *cumque ascenderet navim, coepit illum deprecari qui a daemonio vexatus fuerat, coepit* innuit, uti saepe, eum repetito id efflagitasse, *ut esset cum illo*, scil. ut Iesum sequi liceret sibi tamquam discipulo (*Alb.*); nam si voluisset solum sequi, uti turbae generatim sequebantur Iesum, id petere non opus fuisset quia turbae quoque id non speciali modo a Iesu orabant neque id Iesus recusasset. Petit autem animo grato, ut suum in Iesum ostenderet amorem, et sedens ad Christi pedes gustaverat quam bonum esset conversari cum eo (*Bed. Dion.*); alii putant eum id rogasse timore ne abeunte Iesu redirent ad se daemones (*Vict. Theoph. Alb.*); alii ex utraque ratione eum sequi voluisse opinantur (*Euth. Mald.*); sed prior cum *Schanz, Fil.* praeferenda est. Itaque ille non solum corpore sanatus erat, sed et animo adeo, ut Iesum cognosceret et eius fieri discipulus et comes perpetuus desideraret. At ut quis specialem in regno messiano dignitatem acquirat, id non est neque currentis neque volentis v. 19 *et non admisit eum, sed ait illi : vade in domum tuam ad tuos et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit et misertus sit tui;* observandum esse monent non dixisse Christum : narra quanta ego tibi fecerim, sed Patri adscripsisse miraculum, ut nos quoque doceret esse bona opera omnia Deo tribuenda et ad eius gloriam referenda (cf. *Theoph. Euth. Ians. Cai. Schegg, Bisp.*). Non enim probabile est quod *Mald.* cum aliqua haesitatione proponit, Christum de se ipso per tertiam personam esse locutum seque appellasse Dominum, neque id eo commendari potest quod 11,3 iubeat discipulos dicere : Domino necessarius est (pullus). Nam hic quid illi de se dicere debeant praescribit.

In Iudaea saepe vetat Christus famam propagari miraculorum. Hic autem in regione decapolitana mittit praeconem. Alia est enim rerum conditio. In Iudaea cavendum erat ne falsae illi exspectationi regni messiani temporalis materia subministraretur; in decapolitana autem regione inter homines magnam partem gentiles magnalia Dei erant annuntianda, ut cognitioni Dei et futurae praedicationi evangelii via pararetur. In eam igitur regionem mittit Iesus praeconem qui in se ipso vivum exhibet documentum divinae misericordiae et potentiae; « ubi notanda mira Domini in Gerasenos quamlibet ingratos benignitas, dum

eis relinquit eum per quem ad sui cognitionem et admirationem ac veritatis a se discendae desiderium provocari possent; monemurque hoc Domini exemplo ne mox desperemus, si qui evangelium non illico recipiant, sed tentanda potius omnia » etc. (*Ians.*). Ille autem grato animo et obedienti mandatum exsequitur v. 20 *et abiit et coepit praedicare in Decapoli quanta sibi fecisset Iesus*, accepti beneficii et agnoscit et nominat et laudat auctorem Iesum; et ita illa quoque in regione Iesus innotuit· Ut grati animi documentum efferunt quod cum Iesus ei dixisset: annuntia quanta tibi Dominus fecerit, ille etiam Iesum beneficii largitorem praedicat eiusque gloriam et laudem annuntiat (cf. *Euth. Ians. Mald.*). Atque eius praedicationis fructus exstitit : *et omnes mirabantur*, quae admiratio certe fuit initium fidei, cui facile accedebat laudatio Iesu et cognitio eum qui illud effecerit esse a Deo missum ad homines docendos et salvandos.

In homine hoc exemplum cerni potest conditionis peccatoris. Peccator enim sese servituti diaboli mancipavit, stola innocentiae et gratia est exutus, omni virtutum ornatu nudus, nullis iam neque Dei neque Ecclesiae legibus coercetur, habitat in receptaculis operum mortuorum, et horribilem praebet et abominabilem civibus coelestibus aspectum; ipse quoque conscientiae stimulis ac terroribus cruciatur. Verum ne de scelestissimo quidem, etsi omnium vitiorum daemones eum occupent, esse desperandum, ea Christi sanatione docemur; « curabitur enim, si modo et Christus ad eum venire dignetur et ipse vicissim Christo trahente accurrat ad eum prius a se fidei oculis conspectum; sic quidem curabitur, ut proiiciantur in profundum maris omnia peccata eius (Mich. 7,19). Is quidem ubi a legione vitiorum curatus fuerit, prius quidem ad pedes Iesu sedere aliquamdiu debet discens qua ratione deinceps vitam vivat Deo acceptam, dein praedicare Dei in se misericordiam » (*Ians.*). Designari speciali ratione gentes *Ps. Hier.* censet.

h) Resuscitatur filia Iairi 5,21-43.

5,21. Et quum transcendisset Iesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, et erat circa mare.

22. Et venit quidam de archisynagogis nomine Iairus, et videns eum, procidit ad pedes eius, 23. et deprecabatur eum multum, dicens : Quoniam filia mea in extremis est : veni, impone manum super eam, ut salva sit, et vivat. 24. Et abiit cum illo; et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum. 25. Et mulier quae erat in profluvio sanguinis annis duode-

5,21. Καὶ διαπεράσαντος τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ πλοίῳ πάλιν εἰς τὸ πέραν, συνήχθη ὄχλος πολὺς ἐπ' αὐτόν· καὶ ἦν παρὰ τὴν θάλασσαν. 22. Καὶ ἔρχεται εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων ὀνόματι Ἰάειρος, καὶ ἰδὼν αὐτὸν πίπτει πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ· 23. καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλὰ, λέγων, ὅτι τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει· ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς τὰς χεῖρας αὐτῇ, ἵνα σωθῇ καὶ ζήσῃ. 24. Καὶ ἀπῆλθεν μετ' αὐτοῦ· καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ὄχλος πολὺς, καὶ συνέθλιβον αὐτόν.

25. Καὶ γυνὴ οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος δώ-

cim: 26. Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis et erogaverat omnia sua; nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat.

27. Quum audisset de Iesu, venit in turba retro, et tetigit vestimentum eius; 28. Dicebat enim : Quia si vel vestimentum eius tetigero, salva ero. 29. Et confestim siccatus est fons sanguinis eius; et sensit corpore quia sanata esset a plaga.

30. Et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem quae exierat de illo, conversus ad turbam, aiebat : Quis tetigit vestimenta mea? 31. Et dicebant ei discipuli sui : Vides turbam comprimentem te, et dicis : Quis me tetigit?

32. Et circumspiciebat videre eam, quae hoc fecerat. 33. Mulier vero timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem. 34. Ille autem dixit ei : Filia, fides tua te salvam fecit : vade in pace, et esto sana a plaga tua.

35. Adhuc eo loquente veniunt ab archisynagogo, dicentes : Quia filia tua mortua est; quid ultra vexas magistrum?

36. Iesus autem audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo : Noli timere; tantummodo crede. 37. Et non admisit quemquam se sequi, nisi Petrum, et Iacobum, et Ioannem fratrem Iacobi.

38. Et veniunt in domum archisynagogi; et videt tumultum, et flentes, et eiulantes multum.

39. Et ingressus ait illis : Quid turbamini, et ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

40. Et irridebant eum. Ipse vero, eiectis omnibus, assumit patrem et matrem puellae et qui secum erant, et ingreditur ubi puella erat iacens.

41. Et tenens manum puellae ait illi : Talitha, cumi; quod est interpretatum : puella (tibi dico) surge. 42. Et confestim surrexit puella, et ambulabat (erat autem annorum duodecim); et obstupuerunt stupore magno. 43. Et praecepit illis vehementer ut nemo id sciret; et dixit dari illi manducare.

δεκα ἔτη, 26. καὶ πολλὰ παθοῦσα ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν, καὶ δαπανήσασα τὰ παρ' αὐτῆς πάντα, καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσα, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα, 27. ἀκούσασα τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἐλθοῦσα ἐν τῷ ὄχλῳ ὄπισθεν, ἥψατο τοῦ ἱματίου αὐτοῦ· 28. ἔλεγεν γὰρ, ὅτι ἐὰν ἅψωμαι, κἂν τῶν ἱματίων αὐτοῦ σωθήσομαι. 29. καὶ εὐθὺς ἐξηράνθη ἡ πηγὴ τοῦ αἵματος αὐτῆς, καὶ ἔγνω τῷ σώματι ὅτι ἴαται ἀπὸ τῆς μάστιγος. 30. Καὶ εὐθὺς ὁ Ἰησοῦς ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν, ἐπιστραφεὶς ἐν τῷ ὄχλῳ, ἔλεγε, Τίς μου ἥψατο τῶν ἱματίων; 31. καὶ ἔλεγον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, Βλέπεις τὸν ὄχλον συνθλίβοντά σε, καὶ λέγεις, Τίς μου ἥψατο; 32. καὶ περιεβλέπετο ἰδεῖν τὴν τοῦτο ποιήσασαν. 33. ἡ δὲ γυνὴ φοβηθεῖσα καὶ τρέμουσα, εἰδυῖα ὃ γέγονεν αὐτῇ, ἦλθεν καὶ προσέπεσεν αὐτῷ, καὶ εἶπεν αὐτῷ πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. 34. ὁ δὲ εἶπεν αὐτῇ, Θυγάτηρ, ἡ πίστις σου σέσωκέ σε· ὕπαγε εἰς εἰρήνην, καὶ ἴσθι ὑγιὴς ἀπὸ τῆς μάστιγός σου. 35. Ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος, ἔρχονται ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου, λέγοντες, ὅτι ἡ θυγάτηρ σου ἀπέθανεν· τί ἔτι σκύλλεις τὸν διδάσκαλον; 36. ὁ δὲ Ἰησοῦς παρακούσας τὸν λόγον τὸν λαλούμενον λέγει τῷ ἀρχισυναγώγῳ, Μὴ φοβοῦ, μόνον πίστευε. 37. καὶ οὐκ ἀφῆκεν οὐδένα μετ' αὐτοῦ συνακολουθῆσαι, εἰ μὴ τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν Ἰακώβου. 38. καὶ ἔρχονται εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἀρχισυναγώγου, καὶ θεωρεῖ θόρυβον, καὶ κλαίοντας καὶ ἀλαλάζοντας πολλά. 39. καὶ εἰσελθὼν λέγει αὐτοῖς, Τί θορυβεῖσθε καὶ κλαίετε; τὸ παιδίον οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει. 40. καὶ κατεγέλων αὐτοῦ. αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν πάντας, παραλαμβάνει τὸν πατέρα τοῦ παιδίου καὶ τὴν μητέρα καὶ τοὺς μετ' αὐτοῦ, καὶ εἰσπορεύεται ὅπου ἦν τὸ παιδίον. 41. καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς τοῦ παιδίου, λέγει αὐτῇ, Ταλειθὰ, κούμ· ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, Τὸ κοράσιον, (σοὶ λέγω,) ἔγειρε. 42. καὶ εὐθὺς ἀνέστη τὸ κοράσιον καὶ περιεπάτει· ἦν γὰρ ἐτῶν δώδεκα· καὶ ἐξέστησαν εὐθὺς ἐκστάσει μεγάλῃ. 43. καὶ διεστείλατο αὐτοῖς πολλὰ, ἵνα μηδεὶς γνοῖ τοῦτο· καὶ εἶπεν δοθῆναι αὐτῇ φαγεῖν.

In v. 21 B εν πλοιω; at recte al omn εν τω πλ. propter 3,8 et 4,36 et 5,2. In v. 22 και ιδου ερχεται A C Π unc 9 al fere omn c f l arm go syr (p). In v. 23 παρακαλει ℵ A C L aliq minusc Ti W H; b i q veni tange eam de manibus tuis; a ut venias et imponas manus ei; codd vulg pler *manus*; manum wil steph sixt (tuam). In v. 26 ken rush complurimis medicis. In v. 27 τα περι του I. ℵ* B C* Δ Ti W H; om τα ℵ^c A C^2 D L Π unc 9 al fere omn; item verss; at ev hier: cum audisset benignitatem Domini Iesu. In v. 28 ελεγεν γαρ εν εαυτη D K Π mu minusc a c ff^2 i q arm; intra se lich ken; vestimenta dub eg; του ιματιου ℵ D it vulg cop al. In v. 30 ff^2 virtutem exisse a se; e quis mihi tetigit vestim. In v. 33 a ob hoc quod fecerat absconse sciens quod ei contigit venit; D et aliq minusc add δι ο πεποιηκει λαθρα; similiter d ff^2 i. In v. 35 *ab archisynagogo* codd vulg pler; ad archisynagogum car wil steph hent sixt; item cop aeth. In v. 36 e neglexit sermonem. In v. 38 it pler turbam flentem et lamentantem. In v. 40 οπου ην το παιδιον ανακειμενον A C Π unc 9 al pler; item c f g^2 l q vulg syr (utr) go arm. In v. 41 κουμ ℵ B C L M mu minusc Tiphyl ff^2; κουμι A D Δ Π unc 8 al pler it vulg cop arm aeth; D a^b ff^2 g^2 l i gat et codd vulg pl *tabitha*. In v. 42 ην δε D it vulg; codd mu vulg *obstipuerunt* et ita edidit Wordsworth; add *omnes* lich cum D c f ff^2 g^2 i q gat.

Marcum immerito vocari breviatorem Matthaei (cf. *Aug.* de cons. evang. 1,2. 4) etiam in hac evangelicae narrationis parte deprehenditur, quam scil. multo accuratius atque uberius Matthaeo refert; etiam plura addit quam Lucas habet; ita in v. 23. 26. 28. 29. 30. 32. 34. 40-42. Haec gesta esse prope Capharnaum, ex concordi trium narratione consequitur (cf. Matth. 9,1) v. 21 *et cum transcendisset Iesus in navi rursum trans fretum*, iterum in litus occidentale, unde profectus erat 4,35, quare Luc. 8,40 dicitur eum rediisse, *convenit turba multa ad eum*, omnes enim exspectabant eum, uti Lucas refert, *et erat circa mare*, lacum Tiberiadis. Fama de eius reditu cito per regionem ferebatur; v. 22 *et venit quidam de archisynagogis*, ex modo narrandi non sequitur eum statim venisse vel quasi in litore stantem Iesu adventum oppertum esse; quare incommodum illud quod *Schegg* urget, unde Iairus sciverit Iesum venturum esse non exsistit et quod Marcus narrat facile cum Matth. 9,18 componitur. Archisynagogi est preces, lectiones et reliqua quae ad cultum divinum in synagoga spectant dirigere, moderari et peragere; eius iussu res synagogae decernuntur; ei potestas quoque iudicis adscribitur (cf. *Ugolini*, Thesaur. antiq. XXI p. 219 seq.). Haec appellatio fiebat tum ei qui toti synagogae praecerat, tum totius coetus primoribus e quibus consilium praesidis constabat; quare nisi credere malis in Capharnaum plures fuisse synagogas, appellationem altero sensu accipere oportebit, cum dicatur εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων (*Patr.*). Diligenter adnotatur a tribus synopticis unum e principibus venisse ad Iesum, ut ostendatur quanta iam fuerit eius fama, quando non solum simplex turba Christum adiret, qua re maior exstitit accusatio pharisaeorum et scribarum (*Ians.*); *nomine Iairus;* hebr. יָאִיר (cf. Num 32,41. Deut. 3,14.

Ios. 13,10 etc. LXX Ἰαΐρ), Iosephus (Antiq. 5,7. 6) Ἰαείρης. Ut narrationem mythicam esse ostenderent aliqui in significatione nominis insistunt : illuminabit, faciet videre, vel יָעִיר excitabit (cf. *Volkmar, Strauss, Keim*) sed conatu valde inutili ; nam nomen est satis usitatum ; dein cum nulla eius addatur explicatio, nemo ex iis quibus Marcus et Lucas scripserunt eius nominis notionem deprehendere potuisset. Verum nomen additur quo magis de rei veritate constet (*Vict. Theoph.*).

Falsum est itaque quod pharisaei dicebant : numquid ex principibus aliquis credidit in eum (ἀρχόντων cf. ἄρχων Matth. 9,18 et Luc. 8,41)? cf. Ioan. 7,48. Hic saltem necessitate coactus humili veneratione Iesum colit eumque potestate plus quam humana instructum esse credit : *et videns eum procidit ad pedes eius ;* apposite notant *Schegg, Fil.* Iesum quamvis honorem hominum minime appeteret tamen nunquam eiusmodi obsequium et venerationem recusasse, eum dixisse nunquam quod Paulus et Barnabas : viri, quid haec facitis et nos mortales sumus similes vobis homines (Act. 14,14) ; quare inde quoque manifestari eius naturam divinam ; v. 23 *et deprecabatur eum multum dicens, quoniam filia* (filiola, graece) *mea in extremis est ;* id quod *Euth.* explicat τελευταῖα πνέει, ultimum trahit anhelitum ; quantopere amore filiae animus patris stimuletur, describitur eo quod *multum* πολλά deprecatur et quod puellam duodecim annorum, proinde iam nubilem, cum annos pubertatis attigerit, appellat tenero modo θυγάτριόν μου ; in lingua aramaica etiam in usu fuisse nomina deminutiva, vide ad Matth. 15,26 (Comment. II p. 34) *veni, impone manum super eam, ut salva sit et vivat,* ἵνα ut veniens imponas, non opus est cum aliquibus supplere : oro, obsecro, ut venias, sed ille loquendi modus cum ἵνα etiam apud profanos scriptores usurpatur pro imperativo (cf. *Winer* l. c. § 43,5 ; simili modo apud Ciceronem, fam. 14,20 : ibi ut sint omnia parata). Est scil. ratio petendi magis urbana et demissa. Cum Christus saepe aegrotos sanaret manuum impositione (cf. Luc. 4,40), archisynagogus id petit ut suae filiae faciat quod aliis fecisse eum scivit et viderat. Unde ex hac petitione non est accusandus infirmae fidei neque reprehendendus. Non utique tantam prodit fidem quantam exhibuit centurio (Matth. 8,7) ; unde notat *Theoph. :* « dimidiatam fidem habet ; fidelis erat eo quod procidebat ad pedes Iesu ; sed quia obsecrabat ut veniret, non quantam oportebat prae se ferebat fidem ; debebat enim dicere : dic verbo ». Et eius fidem indiguisse confortatione, etiam ex v. 36 verbisque Iesu patet.

Iesus eius petitioni acquiescit v. 24 *et abiit cum illo et sequebatur eum turba multa et comprimebant eum ;* aliud suae omniscientiae et potentiae et benignitatis edit documentum in via ; v. 25 *et mulier quae erat in profluvio sanguinis annis duodecim,* erat αἱμορροοῦσα, labora-

bat fluxu sanguinis, v. 26 *et fuerat multa perpessa a compluribus medicis et erogaverat omnia sua nec quidquam profecerat sed magis deterius habebat;* quattuor istis mulieris calamitas exponitur : multa perpessa a *multis* (graece) medicis est, facultates suas impendit omnes, nec tamen quidquam levaminis est experta, immo malum maius cepit incrementum. In extrema hac necessitate audit ea quae de Iesu ferebantur τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, v. 27 *et cum audisset de Iesu, venit in turba retro et tetigit vestimentum eius;* cum Matth. 8,20 legatur : tetigit *fimbriam* vestimenti eius, subtiliter inquirunt recentiores, cur Marcus fimbriae non fecerit mentionem, et subtilia quoque proponuntur : visum esse ei improbabile, mulierem in conferta hominum multitudine potuisse attingere fimbriam (*Weiss*), omisisse fimbriam brevitatis causa (*Keil*), quia sane multo brevius Matthaeo narrat!! omisisse, ne miraculum imminui videretur, quia propter Num. 15.37 fimbriis illis virtutem quandam specialem inesse existimari potuisset (*Schanz*); sed cum Matthaeus habeat fimbriam, pro Iudaeis nihil periculi erat ne miraculosa sanatio non Christo, sed fimbriis attribueretur; gentiles autem de illa fimbriarum notione ac significatione nihil noverunt; itaque ea ratio omittendi Marco non poterat in mentem venire. Neque opus est ullam quaerere. Rem enim narrat non oculis in codicem Matthaei defixis (in hac hypothesi solum sermo esse posset de *omissione*) sed prout Petrum narrantem audierat. Insuper eum ex mentione fimbriae nihil derogari miraculo existimasse, vide ad 6.56.

Quibus remediis usi sint medici iudaei ad eiusmodi morbum curandum, forte aliqua coniectura assequi possumus ex iis quae in talmude praescribuntur. Nam refert *Lightfoot* ad h. l. haec ex tract. schabbat fol. 110 (Babyl.) : « dicit rabbi Iochanan : recipe gummi alexandrini pondus zuzai (i. e. quartae partis sicli sacri; cf. *Buxtorf*, lexicon chald. p. 654) et aluminis pondus idem et croci hortensis pondus idem; conterantur haec una et in vino dentur feminae haemorrhoissae. Quod si haec non prosint, recipe ceparum persicarum ter tria log. vino coquantur, atque inde eam potes dicasque : surge a profluvio tuo. Quodsi hoc non valeat, siste eam in aliquo bivio manuque teneat poculum vini; a tergo eius veniat aliquis eamque terreat. Si autem hoc non obtineat, recipe manipulum cymini et manipulum feni graeci (siliquae); haec elixata vino potanda ei dato et dic : surge a profluvio tuo ». Si vero hoc non prosit, adducuntur doses aliae atque aliae etc.

Mulierem multa esse passam a multis medicis, S. Lucas medicus fortasse parcens suae artis hominibus (ut aliqui opinantur) ita exprimit : nec ab ullo potuit curari 8,43. Ceterum apud talmudistas medici haud bene audiunt. Optimus medicorum meretur gehennam, legitur in Kidduschin fol. 82,1 (*Buxtorf* l. c. p. 2278), atque scriptores quoque graeci et latini haud raro in medicos invehuntur. Haec v. g. inter alia affert *Wetstein* : *Plinius*, h. n. 29,5 : hinc illae circa aegros miserae sententiarum concertationes, nullo idem censente, ne videatur accessio alterius; hinc illa infelicis monumenti inscriptio, turba se medicorum periisse. *Xiphilin.* Hadrian. πολλοὶ ἰατροὶ

βασιλέα ἀπώλεσαν. *Menander* πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδος μ' ἀπώλεσεν. Petronius 42 : at plures medici illum perdiderunt etc. — Melius de iis sentit sapiens : honora medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus; a Deo est enim omnis medela etc. Eccli. 38,1-8.

Mulier solum audierat de Iesu; tamen eam de Domino concepit fiduciam ut speraret se solo contactu vestium fore salvam a tam diuturno et incurabili morbo, quamvis adhuc hac ratione neminem audisset a Christo sanatum (*Ians.*). Propter morbi pudorem non audet palam Christum interpellare; sed talem eius credit potentiam et sanctitatem, ut si latenter tetigerit vestem eius, salutem consequatur; v. 28 *dicebat enim* vel intra se i. e. cogitabat, vel, ut alii concipiunt, revera id sibi aut etiam coram aliis totidem verbis enuntiavit, *quia si vel vestimentum eius tetigero, salva ero,* cum tanta fiducia et asseveratione loquatur, non est dicendum aegrotos facile sperare si qua umbra salutis offeratur; quare fidei mulieris non tantas laudes esse tribuendas quantas veteres soleant. Eius enim fidei praestantia manifestatur non quod in universum sperat, sed quod talem habet de Iesu aestimationem, ut solo contactu vestimenti eius confidat se iri sanatum. Et huic fidei etiam ipso eventu et verbis Christi est corona imposita v. 29 *et confestim siccatus est fons sanguinis eius;* profluvium exaruit, cessavit; cf. מְקוֹר דָּמִים Lev. 12,7; 20,18; *et sensit corpore quia sanata esset a plaga;* cognovit per corpus vel in corpore, quod ex quo iam non fluerent guttae sanguinis sanata esset; flagellum (μάστιγα) vero infirmitatem nominat, ut quae ipsam tam labore quam pudore flagellaverat (*Euth.*); repente igitur in ea nova quaedam facta est et sensu percepta corporis affectio (*Fab.*); sensit vigorem viresque restitutas.

Verum id latere Iesus minime voluit; v. 30 *et statim Iesus in semetipso cognoscens virtutem quae exierat de illo,* verte : Iesus ut cognovit virtutem ex se prodiisse; « egreditur virtus e Christo non a loco in locum transiens, sed et aliis communicatur et in ipso Christo immota manet, quemadmodum et doctrinae a docentibus sunt et discentibus traduntur » (*Theoph. Vict.*). Dicitur virtus exiisse ratione effectus, scil. quia virtus sanandi quae est in Christo extra ipsum operabatur sanitatem mulieris (*Ians. Lap. Calm.*). Loquitur evangelista, ut *Ians.* dicit, materialius ad captum simplicium, et iis verbis rem enuntiat quibus ea cuivis intellectui perspicua facile fieret ac pervia pro captu vulgi (*Patr.*). Nota vero discrimen locutionis; de muliere dictum est apposite : sensit (ἔγνω, cognovit) corpore; hic ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ, Christus scivit, cognovit mente. Perperam haec verba aliqui explicant (cf. *Meyer, Weiss*) ac si sanatio facta esset sine voluntate Christi eoque inscio, ita ut solum sanationem iam factam demum cognoverit. Hi utique supponunt

rem quam maxime materialiter ab evangelista concipi; sed immerito. Nam si Iesus dicit : tetigit me aliquis; nam ego novi virtutem de me exiisse (Luc. 8,46) et evangelista similiter, uterque loquitur ad captum simplicium, quasi in se ipso ex aliqua mutatione senserit efficaciam (*Ians.*). Vix enim alio modo populo explicare potuit se scire contactu sui esse effectam sanationem, vel se esse tactum, non uti in conferta multudine multi faciunt, verum eximia cum fide et fiducia, cui mercedem tribuisset; quod ut palam faceret *conversus ad turbam aiebat : quis tetigit vestimenta mea?* Ea quaestione omnium attentionem provocare voluit. Quae quam apta ad id esset, statim ostendebant discipuli, cum scil. in ea hominum turba quae eum comprimebat v. 24, non possent non vehementer mirari de tali interrogatione v. 31 *et dicebant ei discipuli eius : vides turbam comprimentem te et dicis : quis me tetigit?* nihil suspicantur; maxima cum simplicitate ei persuadere conantur in tanta hominum turba tali quaestioni non esse insistendum. Etiam hic apparet tardos fuisse discipulos, cum non statim deprehenderent Christum quaestionem inutilem et fere ridiculam non fuisse propositurum.

Voluit autem Christus manifestum fieri miraculum, « ut videlicet confitente palam muliere veritatem suae diutinae infirmitatis, subitae credulitatis, divinae propitiationis ac donatae sibi sanationis et ipsa certius confirmaretur in fide et pluribus salutis et vitae praeberetur exemplum » (*Beda*); voluit Christus fidem commendare mulieris, eam quoque docere magis quae scil. videtur credidisse se posse quasi inscio Iesu sanari (cf. Luc. 8,47), voluit quoque incrementum addere fidei archisynagogi (cf. *Theoph. Cai. Ians.*); v. 32 *et circumspiciebat videre eam quae hoc fecerat;* quibus verbis Marcus satis manifeste indicat Christum novisse eam; iterum perperam *Meyer*, *Weiss* volunt ita dici solum ex eventu, Christum autem circumspexisse quia speraret fore ut quaestione posita is quem ipse non nosset sese proderet! En ipsi qui in v. 30 verba adeo premunt, hic ab obvio et facili verborum sensu deflectunt; ideone quia ibi haerentes verbo ea elicere posse putabant quae Iesu divinitate essent indigna, hic autem retinentes ipsa verba fateri deberent eum res nosse secretas? Intellexit mulier se latere non posse, vidit hoc ex Christi aspectu; v. 33 *mulier vero timens*, quia scil. furtim sibi sanationem surripuisset veretur ne egerit perperam, ne forte sanitate iterum in poenam privetur (cf. *Theoph. Lap. Schanz, Fil.*), *Euth.* etiam putat eam timuisse ob legem violatam quia immunda mundum tetigisset (in Luc.); item *Volkmar;* at talem scrupulum ei in mentem venisse, post v. 28 et sanationem acceptam improbabile est; timor quantus fuerit externo quoque habitu proditur *et*

tremens, sciens quod factum esset in se, se itaque verbis et quaestione Christi tangi et eius quaeri oculis, *venit et procidit ante eum et dixit ei omnem veritatem,* omnia uti erant, de morbo, de sua spe, actione, sanatione accurate exposuit coram omnibus. Peragit itaque confessionem humilem, timoratam, generalem (cf. *Ians. Schegg, Fil.*).

Iesus autem timentem ac trementem statim consolatur gaudioque replet v. 34 *ille autem dixit ei : filia,* hac una voce iam omnem eximit metum et manifestat quantae sit in miseros caritatis et benignitatis; cf. τέκνον 2,5; *fides tua te salvam fecit,* fidei sanitatem tribuit, quia Christus auctor miraculi propter fidem mulieris ei restituit corporis vigorem; fidei autem adscribit salutem tum in commendationem fidei, tum ut doceret fimbriam contactam ex se non sanasse, sed sanitatem potius ex contactu consecutam propter simplicem tangentis fidem (*Ians.* sim. *Vict. Lap.*); *vade in pace* εἰς εἰρήνην; locutio est eadem quae 1 Sam. 1,17 לכי לשלום et LXX 2 Reg. 15,9 βάδιζε εἰς εἰρήνην habetur; item Luc. 7,50; abi in conditionem prosperam, ad salutem; unde iis verbis mulier dimittitur, valere iubetur modo benigno eique omnis timor eximitur, cum apprecatio salutis verbis illis contineatur. Praeterea Christus ei sanitatem acceptam confirmat addens *et esto sana a plaga tua;* igitur declarat se ratam habere eius sanitatem eamque stabilem fore neque morbum rediturum.

Eius narrationis ad animae statum translatio facilis est et obvia. In quam rem notat *Theoph. :* « intelligas haec etiam de humana natura, quae sanguinis profluvio laborabat. Scaturiebat enim in ea peccatum quod mors est animae et sanguinem animae nostrae effundit. A multis autem medicis, hoc est, sapientibus huius mundi, sed et a lege et a prophetis non potuit curari. Tetigit autem vestem Christi, hoc est, carnem eius et sanata est. Qui credit enim Incarnationem Christi, is est qui tangit vestimentum eius ». Frequens est applicatio huius et subsequentis narrationis ad Iudaeos et gentes, ita ut puella designet synagogam, quae Christo veniente mortua sit, mulier autem gentes quae prius Iudaeis ad fidem perveniant et quarum plenitudine ingressa Iudaei quoque salvi fiant; vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 359. 360. Verum contra eam obiici potest non constare eam mulierem fuisse gentilem. Tertullianus c. Marc. 4,20 (*M.* 2,408) ita loquitur, ut eam iudaici generis fuisse supponat. Si qui dicunt mulierem israeliticam tali morbo laborantem non ausuram fuisse sese turbae hominum inserere, cum esset secundum legem immunda et ab aliorum consortio removenda et excludenda (cf. Lev. 15,25 seq.), isti non satis advertunt maximum illud desiderium sanitatis et spem eximiam quam mulier conceperat facillime potuisse inducere mulierem, ut immunditiem leviticam quam forte aliis insciis suo inferre posset contactu parvi faceret et contemneret, si omnino eius legis memor erat et non potius desiderii et spei vehementia omnis alia

excludebatur cogitatio. Fortasse inter ea quae de Iesu audivit etiam comperit eum lepram tactu manus fugasse; ceterum nemo serio dubitare poterit quin ea in conditione mulier sibi omnino persuaserit licere sanationem exquirere. Pro eius origine gentili magis adduci potest eam de Iesu solum audisse, nondum fuisse testem operum Christi. Sed audire τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ dici poterit de omnibus, qui non continuo comites eius erant et proinde non omnium eius operum testes.

« Dispensatione quadam factum est, ut nuntii filiae mortem non nuntiarent ante miraculum sanationis mulieris, sed quando ex praesenti contemplatione inauditi miraculi princeps iste magis posset a Domino confirmari in fide alterius etiam inauditi miraculi » (*Ians.*) v. 35 *adhuc eo loquente veniunt ab archisynagogo* i. e. a domo archisynagogi (*Euth. Cai.* etc.); monet *Erasmus* de loquendi figuris : eamus ad me, a vobis exit, pro eo quod est ad domum meam, e domo vestra; *dicentes : quia filia tua mortua est; quid ultra vexas magistrum?* Iesum morbos posse sanare credunt; mortuos suscitare nullatenus; σκύλλεις explicat *Euth.* περισπᾷς, ἐνοχλεῖς. Ea verba omnem spem patri adimere videbantur eumque ex fiducia et consolatione quam perceperat Iesu statim eius petitioni acquiescente in maximum animi dolorem deiicere; verum statim Iesus ei succurrit et ad spem erigit v. 36 *Iesus autem audito verbo quod dicebatur* παρακούσας, vox haec sensu non advertendi, negligendi (cf. Matth. 18,17) hic nequit accipi, cum Christus revera sermonis eius rationem habuerit et contra illum patrem spe munierit; proinde altera notione est capienda quae etiam particulae παρὰ congruit, de sermone scil. quem Christus subaudierit quamquam ad eum non dirigebatur, *ait archisynagogo : noli timere; tantummodo crede;* nihil aliud a te exigitur, nisi ut sicut credidisti me posse sanare filiam tuam in extremis constitutam, ita credas me posse tibi illam quamvis mortuam restituere vivam ac sanam (*Cai.*); omnia enim possibilia sunt credenti, quemadmodum alias Christus fidem titubantem roborat 9,22.

Hisce fides archisynagogi confirmata est, id quod ex eo patet quia Iesus se ad eius domum confert; v. 37 *et non admisit quemquam se sequi nisi Petrum et Iacobum et Ioannem fratrem Iacobi* i. e. hos et, uti v. 40 indicatur, parentes puellae admisit testes miraculi resuscitationis. Cur ex discipulis hos tres elegerit, *Alb.* explicat eo quod principales apostolos voluerit instruere, Petrum verticem et caput potestatis, Iacobum qui primus erat per passionem fidem confirmaturus, Ioannem qui altius scripturus erat de divinitatis sublimatione. Puellam esse mortuam luctu et lamentatione funebri omnibus annuntiatur v. 38 *et veniunt in domum archisynagogi et videt tumultum et flentes et eiulantes multum;* moris enim erat ut conducerentur praeficae, lamentatrices, quae

lessum et lugubrem instituerent eiulationem. Cum puella esset e domo nobiliore, numerus lamentantium magnus erat, et praeter praeficas adfuisse quoque cognatos et propinquos lugentes de puella quae primo aetatis flore sit abrepta probabile est. At immerito plangi puellam ac si morte communi ex qua non sit ad vitam reditus esset ablata Christus significat v. 39 *et ingressus ait illis : quid turbamini et ploratis*, θορυβεῖσθε, quid strepitum facitis lamentando? *puella non est mortua sed dormit;* illi mortui sunt qui terminum et finem vitae hisce in terris agendae attigerunt; puella autem quam statim vitae reddere vult eo sensu non est mortua, sed quasi ex somno evigilabit; eodem modo Iesus de Lazaro loquitur : amicus noster dormit, sed vado ut a somno excitem eum (Ioan. 11,11). Itaque non eo modo est mortua puella quo illi existimabant[1].

Puellam revera exhalasse animam etiam ex eo patet quia qui aderant v. 40 *irridebant eum;* adeo iis persuasum erat de eius morte. Quae irrisio eo fortius argumentum est et documentum certissimae eorum scientiae, quia cum Iesum cognoscerent patratorem miraculorum certe non carebant aliquo sensu reverentiae et aestimationis ; nihilominus quia contra id quod iis videbatur quam maxime evidens loquebatur non poterant non ridere; *ipse vero eiectis omnibus,* utpote indignis qui essent testes cum parum fidei verbis Iesu adhiberent, *assumit patrem et matrem puellae et qui secum erant,* scil. tres qui in v. 37 nominantur, *et ingreditur ubi puella erat iacens;* is modus agendi habet aliquid sollemnitatis; quare animos horum testium fuisse exspectatione suspensos facile patet; v. 41 *et tenens manum puellae ait illi : talitha cumi, quod est interpretatum : puella* (*tibi dico*) *surge;* signo quo apprehensa manu puellam esse erigendam indicat iungit verba quibus efficitur quod illo signo exhibetur, v. 42 *et confestim surrexit puella;* idem cernis in sacramentis : signum externum significans effectum spiritualem internum et verba consecratoria quae exprimunt et cum illo signo efficiunt id quod enuntiant. Ipsa Christi verba referuntur; cf. 3,17; 7,11. 34; 14,36; 15,34; quae itaque Petrum quoque suae narrationi inseruisse ad rei veritatem et gravitatem efferendam certum videtur. Talitha vox est aramaica; proprie טְלִיתָא feminina forma ex טְלֵא iuvenis (cf. *Buxtorf* l. c. p. 875; *Kautzsch,* Grammatik des Bibl. Aram. p. 12); κούμ quod a melioribus testibus praebetur ostendit ultimam vocalem קוּבִי uti apud Syros iam non esse pronuntiatam.

Et est restituta non solum viva sed etiam sana (*Cai.*) *et ambulabat, erat autem annorum duodecim;* ἦν γάρ; qua locutione *erat enim* non

1. « Mortua est vobis, mihi dormit » *Ps. Hier.*

potest explicari cur κοράσιον dicta sit ut vult *Fritzsche*, puella enim duodecim annorum iam est nubilis, sed exponitur potius cur ambulare possit; additur itaque ne quis ex appellationibus θυγάτριον, παιδίον, κοράσιον quibus constanter usus est evangelista illam esse puellulam tenerae aetatis concludat; atque haec quoque videtur esse sententia *Euth.* : quoniam eam supra παιδίον vocabat, nunc etiam aetatem eius manifestat (id quod tamen sic explicant ac si *Euth.* vocem παιδίον vellet aetate illa declarare: cf. *Schanz*, *Weiss*). Proinde *ambulabat*, quia iam non erat infans, *et obstupuerunt stupore magno*. Morbos Christus plurimos curabat; de mortuorum suscitatione tria exempla nobis servata sunt. Hoc itaque genus miraculorum non adeo frequenter a Iesu patratum esse videtur. Et fortasse ideo noluit a parentibus hoc miraculum multis sermonibus celebrari, ne vulgus existimaret suscitationem mortuorum eadem ratione et frequentia esse efflagitandam qua sanationem morborum expetere et exspectare liceret; v. 43 *et praecepit illis vehementer, ut nemo id sciret;* quo mandato iterum elucet puellam fuisse vere mortuam et nullo pacto solum mortuae similem. Adnotat *Cai.* : « perspice differentiam temporum; miraculum mulieris curatae a fluxu sanguinis latens voluit manifestari, quia tempus urgebat ad augendam fidem archisynagogi; hoc autem miraculum vult latere, quia non imminebat necessitas tunc manifestandi ». Addi potest eo praecepto simul parentibus et puellae significari, ut gratis in Deum animis apud se beneficium acceptum recolant neve se sinant circumcursando et multorum congratulationes avide hauriendo avocare a quiete animorum et pietatis studio; *et dixit dari illi manducare*, in documentum eam vere et non apparenter esse suscitatam (*Theoph. Euth.*); ita quoque ipsum Christum manducatione veram suam ex mortuis resurrectionem ex abundanti comprobasse *Vict.* notat. Sed cum vita reddita iam appareret eo quod puella ambulabat, potius dicendum erit nunc demonstrari eam perfecte esse sanitati restitutam, quia corporis sanitas in ciborum appetentia non ultimo loco cognoscitur.

In archisynagogo *Ians.* haud incongrue cernit proponi imaginem tentationis qua suos Dominus subinde probet; « afflictos enim qui Domino fidere et eius consolationem sentire coeperunt nonnunquam Dominus in probationem fidei eorum priusquam penitus liberet, sinit tristibus quibusdam pulsari; mox tamen sua consolatione adest omnem metum ac diffidentiam pellens. Ita enim videre est hunc principem simul atque afflictus erat Christum adiisse, remedium orasse et pro Domini facilitate extemplo impetrasse. Sed ut fides eius amplius probaretur, tristi adeo nuntio rursus eius mentem pulsari Dominus voluit, noluit tamen illum deiici, quare mox illum sua consolatione erigebat hortatus ut misso timore tantum crederet ». Alia

vide apud *Salmeron* t. 6 tract. 16 vel apud *S. Chrysologum*, serm. 33-36 (*M.* 52,292 seq.).

i) Iesus in patria sua 6,1-6.

6,1. Et egressus inde abiit in patriam suam : et sequebantur eum discipuli sui. 2. Et facto sabbato coepit in synagoga docere; et multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes : Unde huic haec omnia? et quae est sapientia quae data est illi, et virtutes tales quae per manus eius efficiuntur? 3. Nonne hic est faber, filius Mariae, frater Iacobi, et Ioseph, et Iudae, et Simonis? nonne et sorores eius hic nobiscum sunt? et scandalizabantur in illo. 4. Et dicebat illis Iesus : Quia non est propheta sine honore, nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua. 5. Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.

6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat castella in circuitu docens.

6,1. Καὶ ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν, καὶ ἔρχεται εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ· καὶ ἀκολουθοῦσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. 2. καὶ γενομένου σαββάτου ἤρξατο διδάσκειν ἐν τῇ συναγωγῇ· καὶ οἱ πολλοὶ ἀκούοντες ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες, Πόθεν τούτῳ ταῦτα; καὶ τίς ἡ σοφία ἡ δοθεῖσα τούτῳ, καὶ αἱ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γινόμεναι; 3. οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς τῆς Μαρίας, καὶ ἀδελφὸς Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆτος καὶ Ἰούδα καὶ Σίμωνος; καὶ οὐκ εἰσὶν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ ὧδε πρὸς ἡμᾶς; καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ. 4. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, ὅτι οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς συγγενέσιν καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. 5. καὶ οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ ποιῆσαι οὐδεμίαν δύναμιν, εἰ μὴ ὀλίγοις ἀρρώστοις ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας, ἐθεράπευσεν. 6. καὶ ἐθαύμασεν διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ περιῆγεν τὰς κώμας κύκλῳ διδάσκων.

In v. 2 οι πολλοι B L aliq minusc Ti W H; pler om οι; ακουοντες ℵ A B C unc 7 al longe pl; ακουσαντες D F H L Δ Π al 25 fere, a cum audissent; και δυναμεις τοιαυται δ. τ. χ. αυτου γινονται A C² E F G H M S U V mu minusc it go Ti; και αι δυναμεις... γινομεναι in ℵ* etc B L Δ c l vulg cop W H. In v. 3 ο του τεκτονος υιος in aliq minusc et evang; item fabri filius in a b c e g¹² i gat big dub eg ept theod ken rush tol lich; ιωσητος B D L Δ aliq minusc cop a d Ti W H; ιωσηφ in ℵ b e f g¹² q vulg; ιωση A C Π unc 9 al pler syr go arm. In v. 5 et *ideo* dub eg ept, virtutem *multam* i q dub eg lich med; *virtutes multas* c ff² g² car val lind.

Ad institutionem apostolorum etiam spectat ut discant evangelii praedicationem non ab omnibus iri acceptum; immo quandoque fieri ut ab iis repellatur qui ad eam suscipiendam optime disponi videantur, et apostolos posse a suis propinquis et cognatis ferre repulsam. Quod si accidat ne animis cadant Iesus docet suo ipsius exemplo. Nam si ipse a suis propinquis et civibus non suscipitur neque apud eos eam invenit fidem quam alii iique extranei ei saepe obtulerunt, iam nemo iure poterit conqueri, si saepius debeat in vanum laborare et vane fortitudinem suam consumere. Nam in ea quoque adversitate insistit vestigiis Domini sui et magistri, qui de tali messe ingrata iam apud prophetam conquestus est (Is. 49,4). Unde Christus discipulos suos testes esse vult incredulitatis Nazarethanorum; v. 1 *et egressus inde*, propter narratio-

nem 5,21-43 *inde* videtur referri ad domum Iairi (*Dion. Schanz*) quamvis alii magis in universum ad Capharnaum respici velint (*Patr. Schegg, Fil.*), *abiit in patriam suam*, tempus indicatur generali quadam ratione idem quod ex Matthaeo 13,53 quoque colligitur; nullo modo autem illud quod Luc. 4,16 habetur; quare hac iam ratione hic eventus ab illo apud Lucam distinguendus erit, uti distinguunt *Patr. Fil.* aliique (vide ad Matth. 13,53); *et sequebantur eum discipuli eius* quos eius itineris et eventus comites et testes fuisse solus adnotat Marcus.

Secunda itaque vice Christus suis civibus gratiam offert; v. 2 *et facto sabbato coepit in synagoga docere;* aliqui explicant : *coepit* praedicare, quia mox interruptus sit ita ut non potuerit rem ad finem perducere; alii : non incepit ante sabbatum; alii : ibi initium fecit praedicationis. At cum Marcus frequenter hac voce utatur (vicies sexies scil.), fortasse praeter obviam vocis notionem nihil aliud erat exquirendum; *et multi admirabantur in doctrina eius* οἱ πολλοί plerique obstupescebant, admiratione percellebantur, quae est vis vocis graecae, *dicentes : unde huic haec omnia!* dicunt τούτῳ iam cum aliquo contemptu, huic scil. quem a pueritia novimus vitam degere communem et ex familia paupere ortum. Prima exclamatione id quod audiunt nunc et quod de eo iam fama perceperunt vel alia ratione norunt, complectuntur verbis obviis quibus admirationem de iis quae coram nobis aguntur exprimere solemus. Quare haec vox immerito dicitur a *Schegg* minus apte poni initio, quae potius deberet esse ultimo loco. Sed ii quorum animi aliqua re vehementi admiratione commoventur, solent prima voce totam impressionem et vim affectus enuntiare, et dein illam impressionem per singula accuratius quasi explicare. Quare modus quo Marcus homines loquentes facit ad animorum indolem plane factus videtur. Cum Nazarethani in Iesu vita usque ad annum tricesimum nihil adverterint quod a norma communi recederet, non possunt non mirari : *unde* huic haec omnia! Dein *haec omnia* per partes prosequuntur, uti solent qui in admiratione alicuius rei animos habent defixos; *et quae est sapientia quae data est illi,* qualis sapientia data est illi! *et virtutes tales quae per manus eius efficiuntur,* verte ex graeco secundum lectionem in B etc. et virtutes tales, tam magnae sunt, si per manus eius efficiuntur, i. e. si manus imponit, sanationes tot ac tantae fiunt; δυνάμεις est vox usitata de miraculis quae sunt effectus virtutis altioris.

Dein per singula quoque explicant sibi et considerant *hunc*, quasi sibi reddentes rationem, cur merito cum aliqua despicientia de eo locuti sint v. 3 *nonne hic est faber,* ὁ τέκτων notus ille faber quem omnes ut talem norint; qua appellatione consequitur Iesum revera artem fabrilem exercuisse. Unde hac quaestione quam maxime designant ingens discri-

men quod intercedat inter vitam eius priorem et munus quod iam exerceat; *filius Mariae, frater Iacobi et Ioseph et Iudae et Simonis? nonne et sorores eius hic nobiscum sunt?* dicunt quam bene eum habeant notum tamquam suum civem et secum habitantem cum propinquis, cui itaque cur subito dona eximia sint collata nullam cernunt rationem vel causam. De fratribus vide ad 3,31; Iacobus et Iudas inter apostolos recensentur; Simon (non Simon ille zelotes) post Iacobum fratrem Domini episcopus erat hierosolymitanus (cf. *Eusebius*, h. e. 3,11), Ioses vel Ioseph cf. Matth. 27,56. Marc. 15,40. Cum nullam faciant mentionem Iosephi, patris putativi Iesu, merito concludendum erit eum tum temporis iam e vivis excessisse (cf. *Grimm, Schanz, Fil.* etc.); *et scandalizabantur in illo;* propter id quod sciebant de eius genere eum despiciebant; mira et eximia quae in eo apparebant non honorabant (*Vict.*). Haec sapientia et opera quae in eo cernebantur Nazarethanis, utpote perperam animo comparatis, offendiculo erant occasionemque praebebant minus recte cogitandi de Dei providentia huiusmodi dotibus eum accumulantis quem ipsi non pluris facerent quam unumquemque de hominum numero nihilque ei supra ceteros mortales attribuerent (*Patr.*). Aegre ferebant et livore agitabantur quod is quem sibi existimabant parem maius quid et sublimius appeteret et eximia perageret opera.

Vocem τέκτων antiquitus communiter de fabro lignario esse intellectam constat. Ita *S. Iustinus* narrat Iesum confecisse aratra et iuga (c. Tryph. 88) et *Celsus* quoque irridens Christianos scribit: illic ubique videas vitae lignum et carnis resurrectionem per lignum (ἀπὸ ξύλου); opinor quia magister eorum cruci clavis affixus est et arte faber erat (καὶ ἦν τέκτων τὴν τέχνην, Orig. c. Cels. 6,34; *M.* 11,1348); cui respondet Origenes nusquam in evangeliis ab Ecclesia receptis Iesum dici fabrum; quare vel memoria lapsus est vel in suis exemplaribus alteram solum invenit lectionem ὁ του τεκτονος υιος (cf. l. c. 36; 1352). Nota sunt quae *Theodoretus* (hist. eccl. 3,18) et *Sozomenus* (6,2) narrant, Libanium sophistam deridentem res christianas quaesivisse ex paedagogo quodam antiocheno, viro pio, quid ageret fabri filius? eumque respondisse: sandapilam (γλωσσοκομεῖον) fabricatur rerum omnium fabricator quem tu per ludibrium fabri filium appellasti (cf. *Suicerus*, Thes. II p. 1255). Solum *S. Hilarius* videtur vocem intelligere de arte ferraria, idemque sentire videtur Beda ad h. l. cum scribat: non sine certi provisione sacramenti Dominus in carne apparens faber et fabri filius aestimari ac dici voluit; quin potius etiam per hoc se eius ante saecula filium esse docuit qui fabricator omnium in principio creavit coelum et terram. Nam etsi humana non sunt comparanda divinis, typus tamen integer est, quia pater Christi *igni operatur* et spiritu, unde et de ipso tamquam de fabri filio praecursor suus ait: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto et igni, qui in

domo magna huius mundi diversi generis vasa fabricat, immo vasa irae sui spiritus *igne molliendo* in misericordiae vasa commutat. Verum priori sententiae etiam suffragium ferunt aliquae imagines saeculi quarti et quinti, in quibus S. Iosepho attribuuntur artis suae vel opificii instrumenta, serra scil. et securis (cf. *Kraus*, Realencyklopaedie d. christl. Alterth. II p. 73).

Eius offensionis (scandali, offendiculi) rationem reddit Christus v. 4 *et dicebat illis Iesus : quia non est propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua et in cognatione sua:* quamvis etiam extra patriam prophetae quandoque despiciantur, quia tamen communiter vel ut plurimum contemnuntur apud suos, ideo ita Dominus loquitur. Cur autem propheta apud suos fere sit sine honore, duae rationes reddi possunt, una ex ingenita quadam invidia inter concives qua fit ut aequalis aequalem non ferat prae se honorari et multo minus senior iuniorem; altera ex familiaritate, quae facile parit vilipensionem, quia per eam ea observantur quae hominum iudicio habentur imperfecta et quia homines eo solent esse ingenio, ut extranea semper prae domesticis admirentur, adeoque ut multa ob id solum sint in pretio quod e longinquo veniant (*Ians.* in concord. cap. 23, *Cai.*); v. 5 *et non poterat ibi virtutem ullam facere,* maius quoddam edere signum et miraculum, *nisi paucos infirmos* (invalidos, languidos, qui viribus erant destituti, ἀῤῥώστοις) *impositis manibus curavit;* non poterat, non utique ex defectu potestatis, sed ratione illa quae in Dei gubernatione valet, neminem cogi a Deo invitum et Deum velle ut homo oblata gratia utatur et cum ea cooperans se ad aliam accipiendam disponat; ait enim Gregorius theologus, scribit *Euth.*, quod simul utrumque necessarium est ad perficiendas sanitates : et fides eorum qui curandi sunt et potentia eius qui curare debet, nec prodest unum si deficit alterum quod illi coniunctum esse debet (sim. *Vict. Theoph.*). Est enim, ut *Cai.* dicit, sermo non de potentia absoluta, sed ordinaria; nam sicut potentiae naturales non possunt proprios effectus producere nisi in patiente disposito, ita potentiae ordinariae ad curationes et miracula non possunt producere effectus nisi patiente disposito per fidem. Quare Christus generatim exigit fidem. Nazarethani fide carentes et livore impulsi non petebant sanationes; ideo non poterat ullam facere virtutem; illi quos curavit, illi pauci certe habebant fidem, verum ex ipsa voce ἄῤῥωστοι sequi videtur eos haud graviter aegrotasse; quare nullam ibi *virtutem* edidit.

Norunt Nazarethani dona illa eximia Iesu collata, doctrinae sapientiam et miraculorum potestatem v. 2; nihilominus ei fidem non adhibent; unde v. 6 *et mirabatur propter incredulitatem eorum,* qui scil. cum

tot iis praesto essent rationes credendi tamen Iesum spernunt; quo sensu Iesus dici possit admirari, cum tamen ei nihil posset occurrere ignotum antea vel inexspectatum, disce ex Matth. 8, 10 : miratus est Iesus et sequentibus se dixit : amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel! Vide quae dixi in Comment. Matth. I p. 315 seq.; hic ergo discipulis mirantis in modum dixisse censeri poterit in partem contrariam : non inveni tantam incredulitatem ullibi, non invenirem apud homines barbaros! Agrum illum sterilem relinquit; terra enim saepe venientem super se bibens imbrem, proferens autem spinas et tribulos reproba est et maledicto proxima (Hebr. 6,7. 8) *et circuibat castella in circuitu docens;* adibat per totam regionem circumiacentem κώμας vicos, oppida minora, omnibus itaque etiam vicis parvis suam offerens gratiam et doctrinam, ut quaerat oves quae perierunt domus Israel. — Id quod Iesus experitur in sua patria, apostolis simul omen esse potest temporis futuri, quando dicendum erit Iudaeis : vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud et indignos vos iudicatis aeternae vitae, ecce convertimur ad gentes (Act. 13,46).

k) Mittuntur apostoli ad praedicandum 6,7-13.

6,7. Et vocavit duodecim et coepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum. 8. Et praecepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum : non panem, neque in zona aes. 9. Sed calceatos sandaliis; et ne induerentur duabus tunicis. 10. Et dicebat eis : Quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde. 11. Et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. 12. Et exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent; 13. Et daemonia multa eiiciebant, et ungebant oleo multos aegros, et sanabant.

6,7. Καὶ προσκαλεῖται τοὺς δώδεκα, καὶ ἤρξατο αὐτοὺς ἀποστέλλειν δύο δύο, καὶ ἐδίδου αὐτοῖς ἐξουσίαν τῶν πνευμάτων τῶν ἀκαθάρτων. 8. καὶ παρήγγειλεν αὐτοῖς, ἵνα μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδόν, εἰ μὴ ῥάβδον μόνον· μὴ ἄρτον, μὴ πήραν, μὴ εἰς τὴν ζώνην χαλκόν· 9. ἀλλὰ ὑποδεδεμένους σανδάλια, καὶ μὴ ἐνδύσασθαι δύο χιτῶνας. 10. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Ὅπου ἐὰν εἰσέλθητε εἰς οἰκίαν, ἐκεῖ μένετε ἕως ἂν ἐξέλθητε ἐκεῖθεν. 11. καὶ ὃς ἂν τόπος μὴ δέξηται ὑμᾶς, μηδὲ ἀκούσωσιν ὑμῶν, ἐκπορευόμενοι ἐκεῖθεν ἐκτινάξατε τὸν χοῦν τὸν ὑποκάτω τῶν ποδῶν ὑμῶν, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. 12. Καὶ ἐξελθόντες ἐκήρυσσον ἵνα μετανοῶσιν. 13. καὶ δαιμόνια πολλὰ ἐξέβαλλον, καὶ ἤλειφον ἐλαίῳ πολλοὺς ἀρρώστους καὶ ἐθεράπευον.

In v. 8 non peram, non panem, ita collocant A D Π unc 9 al pler it vulg go syr arm Gaud; aliter ℵ B C L Δ cop aeth Ti W H. In v. 9 μη ενδυσησθε ℵ A C D Δ Π² unc 8 al longe pl, a (nolite indui) cop arm go Ti. In v. 11 ος αν τοπος ℵ B L Δ aliq minusc. cop Ti W H; οσοι αν μη δεξωνται al pler testes; in fine A Π unc 9 al pler add v. e Matth 10,15. In v. 13 et *sanabantur* in theod wil corp steph sixt item f g²; item H al pauc εθεραπευοντο.

Iesus apostolos ad munus erudit eo quod eos mittit ut aliquod faciant

eius muneris periculum. Ut eorum praedicatio ab hominibus admittatur eos instruit potestate amplissima patrandi miracula in emolumentum eorum ad quos mittuntur. Porro eam vitae rationem iis praescribit qua ostendant se ab omni aviditate esse quam maxime alienos et totam suam collocare fiduciam in Dei circa suos cura paterna; v. 7 *et vocavit duodecim et coepit eos mittere binos*, novum scil. modum educandi et erudiendi apostolos incipit Christus, dum eos mittit ad praedicandum; alii explicant *coepit* ratione habita aliarum missionum quae postea factae sint hanc fuisse primam, alii ea voce indicari putant hanc eorum missionem postmodum esse continuandam (cf. *Schanz*). Christum dum versaretur cum apostolis eos iterato misisse in evangeliis non refertur; illud *coepit* autem poni ratione missionis post Christi resurrectionem longius videtur repeti. Unde alii Christum non omnes simul misisse, verum intervallis temporum interpositis, et hic explicant solum designari quando inceperit aliquos mittere (*Schegg*) vel etiam vocem *coepit* abundare. Mittit autem δύο δύο i. e. ex noto hebraismo (pro κατὰ, ἀνὰ, εἰς δύο, συνδύο cf. *Weiss*) *binos*, ad mutuam consolationem, ait *Euth.*, et ut maiore fortitudine et auctoritate agerent; recitat eum in finem *Alb.* Prov. 18,19 frater qui adiuvatur a fratre quasi civitas firma et Eccl. 4,9 melius est duos esse simul quam unum; habent enim emolumentum societatis suae; si unus ceciderit, ab altero fulcietur; vae soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem se; et censet *Alb.* tunc binos esse missos, quia adhuc essent infirmi; non ita post Christi ascensionem et Spiritus sancti perceptionem, quando perfecti erant in spiritu. Iam *Vict.* opinatur eos esse missos eo ordine binos quo apud Matthaeum 10,2-4 recensentur, idemque *Fab. Fil.* censent; ceterum vide Comment. Matth. I p. 373; *et dabat illis potestatem spirituum immundorum*, in spiritus immundos; ergo quod 3,14.15 Christus eligens apostolos facere intendit (ex graeco) nunc revera facit; illis etiam traditam esse potestatem curandi aegros patet tum ex 3,15 tum ex 6,13.

Christus eos de missione edocet sermone longiore Matth. 10,5 seq.; Marcus rem brevi complectitur, ut fere Lucas quoque 9,1-5; et primo quidem narrat quomodo se ad iter iubente Domino comparare debeant v. 8-9, dein quomodo in ipso munere obeundo se habeant v. 10-12. Mittuntur plane pauperes v. 8 *et praecepit eis ne quid tollerent in via* εἰς ὁδόν in viam, pro itinere, ne quid secum ferrent in itinere, *nisi virgam tantum*, cum sequatur *non peram, non panem, neque in zona aes*, apparet Christum velle ne quid secum ferant quo vitae sustentandae provideatur; non peram, ne apud se recondant quae largius quam pro praesenti necessitate opus erat dono acceperant, non

panem, ne ullo modo sollicitos se praebeant pro victu diei, neque aes i. e. ne minimum quidem pecuniae, quo sibi quidquam comparare possint. Totos se committant divinae providentiae liberi ab omni cura et sollicitudine. Virgam itaque qua viatores uti solent eis permittit, quia virga non est impedimentum itineris, sicut sarcinae alimentis et vestibus oneratae, sed ea potius expeditiores redduntur ad viam conficiendam. Neque id contrarium est ei quod Matth. 10,9 legitur, dummodo attendatur ibi dici μὴ κτήσησθε ne igitur virgam sibi comparent; proin si virgam ad manum habent, tollant eam; sin minus, pergant sine ulla mora et iter aggrediantur neque sint de tali adminiculo solliciti; ita bene *Calm.* : si quis virgam habet secum ferat; qui non habet non quaerat, illico proficiscimini; Deus quippe quidquid vobis opus futurum est suppeditabit. Vult eos esse, ut *Vict.* dicit, liberos ab omni cupiditate.

Permultum exercebant ingenia de ista virga quam apud Matth. Iesus prohibeat, permittat apud Marcum. Aliqui volebant Matthaeum rigorose rem exaggerasse (*Weiss*); alii e contra Marcum qui magis usus esset ratiocinio rigorem temperasse (*Baur*); in quam sententiam iam praeivit *Vict.* : « dicere quis possit relaxatum aliquid per indulgentiam eo quod adiungit : nisi virgam tantum... his siquidem concinunt illa Christi verba ante passionem secundum Lucam; dicit enim ad discipulos : quando misi vos sine sacculo et pera et calceis, num aliquid defuit vobis? hic virgam siluit, videlicet relaxatam secundum Marcum ». Neque ab hac acceptione abludit *Patr.* qui praeterea addit : itaque Christus apostolos monuit ne quid in itinere secum tollerent, neque virgam, vel certe nisi virgam tantum. Ad idem perveniunt qui putant εἰ μὴ ῥ. μ. posse verti : ad summum unam virgam. Alia eaque plura iam recensui in Comment. Matth. I p. 384.

Ut sine multa molestia et laesione pedum iter peragant, sandalia eis permittuntur, v. 9 *sed calceatos sandaliis,* « Graeci σανδάλια vocabant soleas vel e corio vel e ligno quibus pedum plantae dumtaxat obducebantur, quae vero totum pedem operiebant ὑποδήματα calceamenta. Matthaeus ergo et Marcus pugnantia nequaquam scripserunt, cum ille narravit neque calceamenta apostolis concessa fuisse, hic eosdem ipsos iussos incedere calceatos sandaliis » (*Patr.*). Similiter sandalia explicant *S. Aug.* (de cons. evang. 2 n. 75) *Bed. Alb. Ians. Bisp. Fil. Keil, Weiss* aliique; quare nulla cernitur contradictio cum Matth. 10,10. Aliter *Vict.* concipit qui μηδέ etiam hic supplendum esse putat ἀλλὰ μηδὲ ὑποδεδέσθαι σανδάλια; *et ne induerentur duabus tunicis,* uti Matth. 10,10 : nolite possidere duas tunicas et Luc. 9,3 μήτε δύο χιτῶνας ἔχειν. Vult itaque ut in victu et vestitu plene confidant fore ut

Deus animos hominum moveat ad omnia illis suppeditanda; proin si tunica attrita sit, fore ut alia iis donetur. Ea promissione Christus simul suam ostendit potentiam qua possit efficere ne quid iis desit.

Dein aliqua subduntur de ratione obeundi muneris v. 10 *et dicebat illis : quocumque introieritis in domum, illic manete, donec exeatis inde,* ex illo oppido vel pago; « ne videantur propter gastrimargiam inconstantes esse ab aliis ad alios transeuntes, iubet eos in una domo manere » (*Theoph.* sim. *Vict.*), illo scil. hospitio uti quod ab initio elegerunt neque melius exquirere; cf. Matth. 10,11. Dein eos monet fore ut idem experiantur quod in Nazareth sibi ipsi contigerit; v. 11 *et quicumque non receperint vos nec audierint vos, exeuntes inde excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis;* cf. Act. 13,51 et 18,6; eo symbolo omnis cum illis societas abrumpitur, illi declarantur impuri et profani. Nam rabbinorum praeceptis ii iubentur pulverem excutere qui e regione gentilium in terram iudaicam revertuntur et qui ad montem templi ascendunt (cf. *Lightfoot* l. c. p. 315; *Wünsche* p. 130). Id autem erit contra illos in testimonium, quod gratiam oblatam repudiaverint et in apostolis eum quoque reiecerint qui eos misit.

Hisce aliisque edocti apostoli v. 12 *exeuntes praedicabant ut poenitentiam agerent,* hoc scil. erat praedicationis argumentum Ioannis baptistae, ipsius Christi; cf. 1,4. 15; Matth. 3,2; 4,17 atque eadem admonitione iam prophetae animos praeparandos esse ad regnum messianum docebant; vide Ier. 3,21-25. Ez. 16,61. Mich. 7,9 etc. Praedicationi autem suae et animos hominum aperiebant et auctoritatem addebant signis patratis v. 13 *et daemonia multa eiiciebant et ungebant oleo multos aegros et sanabant,* en quomodo ipsa Christi virtus in eis cernebatur efficax! Oleo esse aegros multos inunctos solus refert Marcus. Quin id apostoli fecerint iussi a Domino nequit dubitari. Oleum adhibebatur ad vulnera curanda; cf. Is. 1,6 Luc. 10,34, et unctiones medicinales apud Iudaeos in usu fuisse colligitur ex talmude quoque (cf. *Lightfoot* ad h. l.) et Iosephus narrat medicis visum esse Herodem graviter aegrotantem ut refoverent demitti in solium olei plenum (Antiq. 17,6. 5). Verum etsi aliquando oleum tamquam medicamentum adhibebatur, ab apostolis tamen non eo modo usurpabatur quia evidens est unctionem olei ad aegros multos variisque morbis pressos sanandos nihil conferre. Erat itaque haec unctio symbolum quoddam virtutis illius a Christo qui Unctus vocatur communicatae et aegris applicatae. Ad quod significandum apta erat unctio non solum ob ipsius nominis quandam communionem, sed quia oleum, ut *Theoph.* dicit, et ad labores utile est et lucis fomentum et hilaritatis effectivum significatque misericor-

diam Dei et gratiam Spiritus per quam a labore liberamur et lucem et gaudium et hilaritatem spiritualem accipimus.

Sicut itaque Christus saepe signo quodam externo adhibito, impositione manuum, attactu, saliva, morbos pellebat, ita apostolos unctione olei tamquam vehiculo quodam et causa quasi mediante sanitatem aegris impertire voluit. Quae enim Christus aegrotis corporibus contulit, figura sunt et typus sanationis animorum quam institutis sacramentis e rebus verbisque efficit. Unde facile patet eo modo apostolos esse praeparatos ad sacramenta administranda et unctionem hanc esse figuram et typum sacramenti extremae unctionis, quod sacramentum, ut Concilium tridentinum praeclare dicit, apud Marcum quidem est insinuatum, per Iacobum autem apostolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum (sess. 14, doctr. de sacr. extr. unct. cap. 1). Quemadmodum itaque ritus lotionis vel baptismi et impositionis manuum postmodum a Christo ad dignitatem sacramentalem sunt assumpti et evecti, ita quoque unctio olei sacramentalis praefigurata est in hac unctione, quae recte vocari potest adumbratio quaedam sacramenti.

Non defuerunt quidem qui iam eam unctionem quam apostoli hic administrasse dicuntur sacramentum illud putabant extremae unctionis. Haec sententia tamen non videtur posse adscribi *Vict. Theoph. Euth.*, qui solum notant Marcum narrare de unctione, cui similia etiam Iacobus dicit in catholica epistola (*Vict.*), quod et frater Domini in epistola dicit (*Theoph.*), admonet autem de unctione etiam Iacobus (*Euth.*). Nec videtur posse attribui *Bedae* qui in commentario Marci adducto loco Iacobi (5,14. 15) pergit: unde patet ab ipsis apostolis hunc sanctae Ecclesiae morem esse traditum, ut energumeni vel alii quilibet aegroti ungantur oleo pontificali benedictione consecrato, et in commentario ad epistolam Iacobi scribit: ungentes eum oleo, hoc et apostolos fecisse in evangelio legimus et nunc Ecclesiae consuetudo tenet, ut infirmi oleo consecrato ungantur a presbyteris et oratione comitante sanentur (*M.* 93,39). Verum tum iam esse institutum sacramentum et sacramentum ab apostolis esse administratum censent *Alb. Dion. Mald.* qui praesertim magno fervore pro ea sententia in arenam descendit, item *Mariana* ad hunc Marci locum, et pro eadem sententia allegantur Thomas waldensis, Alphonsus de Castro, Petrus Soto (cf. *Bellarminus*, de sacram. extr. unct. cap. 2; *Gordonus* ad Marc. 6,13). Sed merito haec sententia est derelicta et cum *Bellarmino, Estio, Lap. Ians. Calm.* et recentioribus omnibus tenendum est illam unctionem fuisse solum figuram quandam et adumbrationem sacramenti. Nec difficile est multas recensere rationes quibus haec unctio a sacramento quod nunc est distinguatur. Hac enim unctione corpora sanabantur et ad ea sananda praescripta erat a Christo; nihil indicatur ea quoque gratiam sanctificantem esse animis infusam; sacramentum autem non tendit per se primo ad corpus sanandum.

Unctio illa semper habuit effectum sanationis aegrorum v. 13; non ita sacramentum; eo tempore apostoli nondum erant sacerdotes novi foederis, neque aegroti erant baptizati; solum autem consecrati baptismo novi foederis capaces sunt sacramenti. Iam vero nonne arbitrarium est tot statuere cum *Mald.* exceptiones et recurrere ad Christi potentiam qua potuerit qui alias essent defectus sacramentum reddentes plane nullum supplere? sed undenam probatur id *voluisse* Christum? Bene notat *Bellarminus* l. c. : « quemadmodum enim cum Christus manus imponit non dicimus tunc instituisse sacramentum Confirmationis aut Ordinationis, sed tamen agnoscimus adumbrationem quandam sacramenti postea futuri, sic etiam quod Dominus iusserit apostolos oleo curare infirmos et non alia aliqua re intelligimus significatum esse futurum esse aliquando tempus ut oleum esset sacramentum infirmorum ».

l) De morte Ioannis baptistae 6,14-29.

6,14. Et audivit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius), et dicebat : Quia Ioannes Baptista resurrexit a mortuis, et propterea virtutes operantur in illo. 15. Alii autem dicebant : Quia Elias est. Alii vere dicebant : Quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

16. Quo audito Herodes ait : Quem ego decollavi Ioannem, hic a mortuis resurrexit.

17. Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem, et vinxit eum in carcere, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. 18. Dicebat enim Ioannes Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. 19. Herodias autem insidiabatur illi; et volebat occidere eum, nec poterat. 20. Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum et sanctum; et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. 21. Et quum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui coenam fecit principibus, et tribunis, et primis Galilacae.

22. Quumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset Herodi simulque recumbentibus, rex ait puellae : Pete a me quod vis, et dabo tibi. 23. Et iuravit illi : Quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.

24. Quae quum exisset, dixit matri

6,14. Καὶ ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς Ἡρώδης (φανερὸν γὰρ ἐγένετο τὸ ὄνομα αὐτοῦ), καὶ ἔλεγον, ὅτι Ἰωάννης ὁ βαπτίζων ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν καὶ διὰ τοῦτο ἐνεργοῦσιν αἱ δυνάμεις ἐν αὐτῷ. 15. ἄλλοι δὲ ἔλεγον, ὅτι Ἠλείας ἐστίν· ἄλλοι δὲ ἔλεγον, ὅτι προφήτης ὡς εἷς τῶν προφητῶν. 16. ἀκούσας δὲ ὁ Ἡρώδης ἔλεγεν· Ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτος ἠγέρθη. 17. Αὐτὸς γὰρ ὁ Ἡρώδης ἀποστείλας ἐκράτησεν τὸν Ἰωάννην, καὶ ἔδησεν αὐτὸν ἐν φυλακῇ, διὰ Ἡρωδιάδα τὴν γυναῖκα Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ, ὅτι αὐτὴν ἐγάμησεν. 18. ἔλεγεν γὰρ ὁ Ἰωάννης τῷ Ἡρώδῃ, ὅτι οὐκ ἔξεστίν σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου. 19. Ἡ δὲ Ἡρωδιὰς ἐνεῖχεν αὐτῷ, καὶ ἤθελεν αὐτὸν ἀποκτεῖναι· καὶ οὐκ ἠδύνατο. 20. ὁ γὰρ Ἡρώδης ἐφοβεῖτο τὸν Ἰωάννην, εἰδὼς αὐτὸν ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον, καὶ συνετήρει αὐτόν· καὶ ἀκούσας αὐτοῦ, πολλὰ ἠπόρει καὶ ἡδέως αὐτοῦ ἤκουεν. 21. Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, ὅτε Ἡρώδης τοῖς γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίησεν τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ καὶ τοῖς χιλιάρχοις καὶ τοῖς πρώτοις τῆς Γαλιλαίας, 22. καὶ εἰσελθούσης τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ Ἡρωδιάδος, καὶ ὀρχησαμένης, ἤρεσεν τῷ Ἡρώδῃ καὶ τοῖς συνανακειμένοις, ὁ δὲ βασιλεὺς εἶπεν τῷ κορασίῳ, Αἴτησόν με ὃ ἐὰν θέλῃς, καὶ δώσω σοι· 23. καὶ ὤμοσεν αὐτῇ, ὅ τι ἐάν με αἰτήσῃς, δώσω σοι, ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου. 24. καὶ ἐξελθοῦσα εἶπεν τῇ μητρὶ αὐτῆς, Τί αἰτήσωμαι; ἡ

suae : Quid petam? At illa dixit : Caput Ioannis Baptistae.

25. Quumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens : Volo ut protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistae. 26. Et contristatus est rex; propter iusiurandum, et propter simul discumbentes, noluit eam contristare; 27. sed, misso spiculatore, praecepit afferri caput eius in disco. Et decollavit eum in carcere; 28. et attulit caput eius in disco, et dedit illud puellae; et puella dedit matri suae.

29. Quo audito, discipuli eius venerunt, et tulerunt corpus eius, et posuerunt illud in monumento.

δὲ εἶπεν, Τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ βαπτίζοντος, 25. καὶ εἰσελθοῦσα εὐθὺς μετὰ σπουδῆς πρὸς τὸν βασιλέα, ᾐτήσατο λέγουσα, Θέλω ἵνα ἐξαυτῆς δῷς μοι ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ. 26. Καὶ περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεὺς, διὰ τοὺς ὅρκους καὶ τοὺς ἀνακειμένους οὐκ ἠθέλησεν ἀθετῆσαι αὐτήν. 27. καὶ εὐθὺς ἀποστείλας ὁ βασιλεὺς σπεκουλάτορα ἐπέταξεν ἐνέγκαι τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. 28. καὶ ἀπελθὼν ἀπεκεφάλισεν αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ, καὶ ἤνεγκεν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἐπὶ πίνακι, καὶ ἔδωκεν αὐτὴν τῷ κορασίῳ· καὶ τὸ κοράσιον ἔδωκεν αὐτὴν τῇ μητρὶ αὐτῆς. 29. Καὶ ἀκούσαντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἦλθαν, καὶ ἦραν τὸ πτῶμα αὐτοῦ καὶ ἔθηκαν αὐτὸ ἐν μνημείῳ.

In v. 14 ελεγον B D aliq minusc Aug; item *dicebant* a b c d ff^2 big mt, reliqui testes ελεγεν; εκ νεκρων ανεστη in A K aliq minusc; *efficiuntur* virtutes c d ff^2 i q. In v. 15 προφητης εστιν A C^2 Π unc 9 al pler, η ως Δ 1. al pauc arm. In v. 16 ουτος εστιν αυτος A C Π unc 9 al pler a b i q go; ηγερθη ℵ B L Δ 33. 102 cop syr (hr); add εκ νεκρων A D Π unc 9 al longe pl it vulg go syr (utr) arm aeth. In v. 18 lich habere *eam*. In v. 19 pro ηθελεν legitur εζητει C* item a b c d i q. In v. 20 ηπορει ℵ B L cop (anxio erat corde) Ti W H; εποιει A C D Δ Π unc rell it vulg syr (utr) ev hier go al. In v. 21 *natali suo* val harl* et ita edidit Wordsworth; tempore natalis sui f. In v. 22 θυγατρος αυτου habent ℵ B D L Δ 238. W H; sed certe falsum est pro αυτης. In v. 23 f usque ad dimidium; g^1 licet etsi dimidium. In v. 24 αιτησωμαι ℵ A B C D G L Δ aliq minusc; al αιτησομαι. In v. 26 ο βασιλευς ως ηκουσεν D, item *ut audivit* c ff^2 g^2; similiter i; συνανακειμ. ℵ A C^2 D Γ Π unc 9 al omn fere; noluit eam *spernere* a, *ei negare* b c. In v. 27 habent cum graecis *statim* vel *confestim* a b f q gat big lich theod rush; add εν πινακι (in disco) C Δ al pauc c g^1 vulg. In v. 29 habet eg* tulerunt *caput*.

Quantopere fama de Iesu propagata sit multis illis signis quae apostoli nomine Iesu et virtute ab eo accepta patrabant, ostenditur eo quod in ipsa Herodis aula de eo sermones miscebantur et Herodes sceleris sui in Ioannem baptistam conscius timore, stimulis conscientiae, superstitione angebatur putans baptistam resurrexisse et patrare miracula. Ioannis ab Herode occisi mentione facta interserit evangelista narrationem de eius morte ἀφορμῆς δραξάμενος (*Theoph.*) incidenter (*Alb.*). Eodem modo eademque occasione mors eius refertur, at brevius, Matth. 14,1-12; Marcus enim accuratius describit qui fuerint Herodis convivae, quid Herodes puellae dixerit, quid mater et filia inter se sint collocutae etc., ita ut tota eius narratione res gestae quasi oculis et auribus subiiciantur ac si coram gererentur; v. 14 *et audivit rex Herodes*, quid audierit, facile intelligitur ex v. 13 et indicatur quoque, cum ratio reddatur, *manifestum enim factum est nomen eius*, longe lateque cele-

brabatur nomen Iesu per quem apostoli tam mira ac benefica perage-bant, ita ut et Herodes et aulici qui de rebus religiosis minime curabant iam quasi inviti quae fierent ignorare non possent. Herodes Antipas, filius Herodis regis, Galilaeae et Peraeae erat tetrarcha (Matth. 14,1. Luc. 3,1; 9,7); appellatur rex, uti Matth. 14,9 quoque, ex consuetudine patriae et liberiore usu vocis (*Vict.*). Quia pater eius erat rex et ipse quoque dominabatur, certe voce populari appellabatur rex; « Israelitae finitimaeque gentes alios quoque principes qui alicui regioni citra re-gium nomen imperitarent reges appellare solebant » (*Patr.*); censet *Schanz* Marcum regis posuisse nomen quia eo nomine principes orien-tales Romae vocabantur quae appellatio tyrannum designabat qualem Marcus quoque Herodem describit; insuper Romae notum fuisse Hero-dem instigante Herodiade Romam venisse (anno 39) ut regium nomen sibi tribueretur.

Cum in v. 16 demum sequatur quid Herodes dixerit, videtur hoc loco lectio ἔλεγον *dicebant* quam *S. Aug.* (de cons. evang. 2,43. 91) *Beda* quoque habent (de aliis vide lect. var.) praeferenda[1], ut scil. Herodes aliorum sententiis auditis suam proponat, id quod etiam narratione Lucae commendatur : et haesitabat eo quod diceretur a quibusdam : quia Ioannes surrexit a mortuis (9,7. 8); tres sententiae proponuntur : *quia Ioannes baptista resurrexit a mortuis et propterea virtutes operan-tur in illo;* dum vivebat Ioannes, nullum edidit miraculum (Ioan. 10,41), ergo opinabantur cum morte iniusta esset sublatus eum in vitam re-diisse altiore potentia instructum; v. 15 *alii autem dicebant, quia Elias est,* quae opinio olim quoque de Ioanne baptista obtinuerat (Ioan. 1,21), nunc de Iesu aliquorum animis inhaerebat et simul documento est eo tempore exspectatum esse Messiae adventum quippe antè quem Elias praecedere crederetur (cf. 9,10. Matth. 17,10); *alii vero dicebant : quia propheta est, quasi unus ex prophetis;* notum enim erat prophetas quo-que potestate miraculorum quandoque esse instructos; recole quae de Elia et Eliseo narrantur; v. 16 *quo audito Herodes ait : quem ego de-collavi Ioannem, hic a mortuis resurrexit;* pessimi facinoris sibi conscius et conscientiae stimulis agitatus in eam inclinat sententiam qua suum scelus a numine vindice puniri existimat (cf. Matth. 14,2). Neque cum

1. Notat iam *Ians. :* quae lectio magis congruit narrationi Lucae et ordini etiam apud Marcum ipsum. Quomodo enim alioqui convenit, ut postquam semel sententia Herodis de Iesu expressa fuit, deinde aliorum sententiis interpositis inferretur : quo audito Herodes ait? Illa enim verba satis significant superius aliorum sententiam tantum esse positam. Et S. Thomam quoque ita legisse patet ex ipsius commentario : et dicebant, inquit, scilicet aliqui de turba ». Qui lectionem *dicebat* retinent dicunt Herodem auditis aliorum sententiis suam iterum affirmasse et tamquam veram illis opposuisse. Verum ex Luca potest dubitari num in ea sententia adeo firmiter perstiterit.

hac narratione pugnat quod habet Lucas eum haesitasse et dixisse : Ioannem ego decollavi ; quis est autem iste, de quo ego talia audio (9,7. 9)? Hominis enim superstitiosi, timidi, mollis est saepe mutare sententiam, modo affirmare, modo in dubium vocare et haesitare. Iam *S. Aug.* l. c. notat : « intelligendum est aut eum post hanc haesitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, aut ita pronuntianda sunt haec verba, ut haesitantem adhuc indicent », ut scil. ea verba per interrogationem legantur (sim. *Beda*). Probabile censet *Ians.* Herodem negasse eum esse Ioannem, cum vulgo loqueretur, ne scil. ad eum concurrerent et contra se seditionem concitarent ; affirmasse autem seorsum familiaribus suis quibus confidenter sententiam suam et timorem aperuerit. Verum prius quod dixi et simplicius est et ad hominis superstitiosi et male sibi conscii ingenium omnino consentaneum.

Iam eum habuisse abunde, cur stimulis conscientiae vexaretur et Dei ultionem timeret, re narrata ostenditur ; v. 17 *ipse enim Herodes*, αὐτός, idem enim Herodes, ut alii volunt, idem, scil. Herodes (*Keil, Weiss*) *misit ac tenuit Ioannem,* missis apparitoribus comprehendit *et vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam;* Herodias, Aristobuli filia, regis Herodis neptis, nupserat Herodi Philippo patruo, cui raptam Herodes Antipas item patruus eam sibi incestis nuptiis copulavit ; Philippus, regis Herodis filius, frater erat Philippi tetrarchae (Luc. 3,1). Scribit *Iosephus :* Herodias ut quae in animum induxerat leges patrias violare, Herodi nupsit viri sui (a quo vivo discessit) ex eodem patre fratri (Antiq. 18,5. 4). Cum enim Herodes Antipas Romam proficisceretur diverterat ad fratrem (non tamen ex eadem matre) Herodem Philippum ; ibique captus erat amore Herodiadis atque inter eos convenerat illam in eius domum concessuram statim atque ipse Roma rediisset (Antiq. 18,5. 1). Herodias enim plena ambitionis dignitatem appetebat regiam ; unde iamdudum eam pertaesum erat consortii Philippi mariti, utpote viri privati. Quid sibi velit *propter Herodiadem,* explicatur v. 18 *dicebat enim Ioannes Herodi : non licet tibi habere uxorem fratris tui* cf. Lev. 18,16 ; 20,21 ; « ergo Ioannes baptista qui venit in spiritu et virtute Eliae eadem auctoritate qua ille Achab corripuerat et Iezabel arguit Herodem et Herodiadem « (*Bed.* sim. *Alb.*). Quid baptista de Herode censeret, ignotum manere non potuisset, etsi scelus et scandalum in domo tetrarchae exsistens palam non reprehendisset. Quare molestum vindicem morum carcere inclusit. Neque improbabile est quod Iosephus dicit : « cum multi undique ad eum confluerent, Herodes veritus ne tanta hominis auctoritas subditos ad defectionem impelleret, satius esse duxit priusquam novi aliquid ex illo oriretur eum e medio tollere ; at-

que ille quidem ob hanc Herodis suspicionem in vincula coniectus missusque est ad castellum Machaeruntem » (Antiq. 18,5. 2). Certe erat cur Herodes timeret ne sua apud populum auctoritas detrimentum caperet concionibus baptistae qui in vitia omnium ordinum invehebatur. Unde cur Iosephus eo modo rem narret intelligitur.

Verum Herodias non se tutam et securam putabat quamdiu esset inter vivos. Sciebat enim eum ab Herode magni aestimari et libenter audiri eiusque admonitionibus et reprehensionibus conscientiam Herodis haud raro concuti. Unde ipsa quoque timebat ne quando Herodes ab his nuptiis dimoveretur et resipisceret; v. 19 *Herodias autem insidiabatur illi* ἐνεῖχεν αὐτῷ, quam vocem *Euth.* (ad Matth. 14,5) per ἐγκοτεῖν irasci, indignari explicat, uti pariter Hesychius per ὀργίζεσθαι; LXX ea voce semel reddunt hebr. שׂטם Gen. 49,23 cui voci notio adversandi, insidiandi, persequendi inest (cf. Gen. 27,41; 50,15. Ps. 55,4. Iob 16,9 et 30,21). Et haec significatio de insidiis etiam congruit ad Luc. 11,53. Alii notionem derivant ex usu apud Herodotum ἐνέχειν τινὶ χόλον (1,118; 6,119; 8,27; cf. *Wilke,* Lexicon gr. lat., *Schanz*), etiam hic χόλον supplentes; alii supplent νοῦν i. e. insidiari, mentem dirigere sensu hostili (*Schegg*), alii referunt verbum ad id quod Ioannes dixerat, cuius scil. verba Herodias mente reposita habens iniuriae sibi illatae continuo contra eum memor fuerit. Animo itaque erat in eum inimico et infenso; *et volebat occidere eum et non poterat* i. e. ab Herode non poterat impetrare, ut ei mors inferretur; v. 20 *Herodes enim metuebat Ioannem sciens eum virum iustum et sanctum;* cur eum timuerit aliqui explicant, ne ex eius morte sibi quid mali contingeret (*Weiss*); sed de eo timore nihil verbis proditur. Unde melius alii : eum venerabatur vel religioso quodam timore prosequebatur propter eius iustitiam et sanctitatem quam perspectam habebat, ideoque verebatur eum occidere. Homines enim scelesti non possunt non revereri eximiam virtutem eamque magni facere. Ea itaque reverentia retentus non obsequebatur importunis adulterae postulationibus; sed *custodiebat eum,* συνετήρει, tuebatur eum, ne scil. ab Herodiade interficeretur (*Alb. Ians. Schanz, Keil, Weiss*). Ita ratio quoque redditur ad v. 19 *et non poterat* et bene *Euth.* sensum vocis exponit : Herodes οὐ παρεχώρει, non permittebat, non cedebat. Alii explicant observare, colere, vereri (*Patr.*), quae tamen notio a verbo abest; alii observare, quomodo se gerat (*Schegg*); sed ad quid hoc cum esset in carcere? alii : eum in vinculis habebat et prohibebat ne fugeret (*Calm. Fil.*); verum id iam dictum est neque eiusmodi repetitio hoc loco ad seriem rerum est apta, cum neque cum antecedentibus neque cum sequentibus cohaereat.

Porro non tantum eum tuebatur ab insidiis Herodiadis, sed etiam

eius admonitionibus aures praebebat, *et audito eo multa faciebat* ἠπόρει (cf. lect. var.) de multis quae fecerat reddebatur dubius, anxius, haesitans ex colloquiis cum eo. Haec lectio videtur genuina; est enim difficilior et simul innuit stimulos conscientiae quibus ad opinionem illam superstitiosam v. 16 adductus est; *et libenter eum audiebat;* utrumque et quod ab Ioanne de variis rebus quas gesserat ei conscientiae angor ingerebatur et quod libenter eum audiebat continua erat pro Herodiade timoris ac suspicionis seges et materia. Ioannem in carcere quem Herodes consulit *Schegg* comparat cum Ieremia quem Sedecias rex in carcerem coniecit et cuius consilium pariter exquirebat (cf. 32,2 seq. 37,16 seq.).

Herodiadem omni astutia muliebri explorasse qua opportunitate quibusve artibus id quod pro sua appetebat securitate consequi posset satis erit manifestum. Quare non est improbabile eam magna spe prospexisse ad convivium festivum quod Herodes celebraturus erat diei natalis causa atque idcirco dici v. 21 *et cum dies opportunus accidisset,* opportunus scil. machinationibus Herodiadis eiusque insidiis; ita plerique; alii : opportunus ad convivium celebrandum(*Schegg, Fil.*), quod propter sequentia satis est ieiunum; alii ita diem festivum יום טוב designari volunt (quando) *Herodes natalis sui coenam fecit,* graece : natalibus suis (natali suo, vide lect. var.) coenam fecit *principibus* τοῖς μεγιστᾶσιν, vox μεγιστᾶνες de proceribus et magnatibus videtur sumpta a Macedonibus et in usum apud Graecos introducta (cf. *Wetstein*), *et tribunis et primis Galilaeae;* tres ordines convivarum recensentur : ii qui munus gerebant civile, qui officium militare et qui in urbibus Galilaeae auctoritate et dignitate insignes erant; proin praeter eos qui apud tetrarcham munere quodam fungebantur vel civili vel militari, etiam viros primores alios ditionis suae invitaverat. Herodiadis filia quam ex priore coniugio susceperat, nomine Salome (*Iosephus,* Antiq. 18,5. 4) a matre submittitur ut saltatione sua Herodi qui epulis et vino iam incaluerat afferret voluptatem v. 22 *cumque introisset filia ipsius Herodiadis* (vel filia ipsa Herodiadis, ita ut non puellam qualemcumque sed filiam principis ipsam partes egisse saltatricis exprimatur; vel filia eius i. e. Herodiadis; vide lect. var.) *et saltasset* atque inter convivia saltationes lascivae esse solebant et mimicae, *et placuisset Herodi simulque recumbentibus* saltatio scil., *rex* voluptate delectatus et captus *ait puellae : pete a me quod vis et dabo tibi,* et cum vinum homines reddere soleat loquaces et iactabundos, etiam magis ostentare vult regalem munificentiam et attestari magnitudinem deliciarum quas ex puellae artibus hausisset 23 *et iuravit illi : quia quidquid petieris, dabo tibi, licet dimidium regni mei;* temulentum ac superbum promissum iureiurando

firmat (*Ians.*); modus loquendi regiam spirat magnificentiam et liberalitatem; cf. Esth. 5,3; 7,2; similiter dici solet 3 Reg. 13,8. Luc. 19,8. Haud immerito *Ians.* ita taxat Herodis promissionem : « rex sane prae temulentia, superbia ac libidine plane stultus et insanus, ut qui ludicra et lubrica saltatiuncula adeo est delectatus, ut pro ea etiam dimidium regni sui praebere paratus fuerit, quique cum valde videri voluerit magnificus, nullum liberalitatis suae modum posuit, adeo ut et petitionem in manu puellae posuerit et daturum se quidquid peteret etiam iuraret ».

Puella tam magnifica promissione delectata simul et obstupefacta consulit matrem v. 24 *quae cum exisset dixit matri suae : quid petam?* et certe etiam narrat quanta liberalitate et sollemnitate iuramenti promissio sit facta. Mulieris animus vati adeo infensus iam gaudio exsultat; id habet quod adeo desiderabat; unde sine ulla cunctatione respondet; *at illa dixit : caput Ioannis baptistae;* in tam exposita regis liberalitate cum hoc unum petat mulier, declarat nihil magis animum suum cruciare quam huius vitam, nec quidquam carius sibi esse posse morte illius sanctissimi viri (*Ians.*) et hanc se appetere prae cunctis opibus quae sibi vel filiae obvenire possent. Et quomodo sine ulla mora doceat puellam arroganter et impudenter a rege postulare, patet ex v. 25 *cumque introisset statim cum festinatione ad regem petivit dicens : volo ut protinus des mihi in disco caput Ioannis baptistae;* statim, ne tempus sit resipiscendi; metuit enim mulier ne fervor regis refrigesceret et sobrius factus testibus iuramenti remotis a promissione resiliret (*Ians.*) et eum modum postulat quo de morte eius omnino certa sit; fortasse etiam qui est furor et vindicta muliebris, illudere voluit illi capiti cuius lingua adulterium erat reprehensum. Neque enim desunt exempla eiusmodi insaniae muliebris [1].

Mulieris vafritie se deprehendit constrictum et attonitus videt ad quid sua venditatione et ostentatione liberalitatis pervenerit v. 26 *et contristatus est rex*, περίλυπος valde tristis effectus est, id quod post v. 20 nemini incredibile videri potest; egregie tamen aliqui verba et sensum pervertunt asserentes regem simulasse tristitiam (*Bed. Alb.;* vide ad Matth. 14,9) vel etiam totam illam scenam saltationis, promissionis, petitionis conspiratione quadam et collusione inter Herodem et mulierem esse institutam, ut speciosa quadam ratione posset baptistam interimere (de qua re vide *Sylv.* t. 3 cap. 32 q. 10). Vere itaque contristabatur, « partim quod Ioannem ex parte revereretur et horreret virum Deo et hominibus clarum nulla ex causa iusta morte afficere; partim quod

1. Refert S. Hieronymus, uti olim Fulvia linguam Ciceronis, ita Herodiadem linguam Ioannis acu discriminali confodisse (c. Ruf. 3 n. 42; *M.* 23,488).

seditionem aliquam a populo movendam metueret cum res nota facta esset. Sed vicit hunc moerorem partim libido et amor incestae mulieris cuius filiam noluit contristari, partim stulta persuasio iuramenti se constringentis » (*Ians.*), unde *propter iusiurandum et propter simul discumbentes noluit eam contristare*, ἀθετῆσαι repudiare, reiicere; non tam falsa religione ducitur quam falso pudore ne coram tot primoribus verbum suum retractare videatur (*Sylv.*), qui utique nisi ipsi fuissent uti libidinis ita iniustitiae quoque ac necis fautores et socii regem a nefario scelere avertissent.

Verum maximus inter natos mulierum veteris testamenti (Matth. 11,11) morte auferendus erat ea quae pro hominum malitia unice decere videbatur prophetam; quem prophetarum non sunt persecuti? et occiderunt eos qui praenuntiabant de adventu Iusti (Act. 7,52); v. 27 *sed misso spiculatore* σπεκουλάτωρ, vox latina, a speculando, custodiendo dicta; dicebantur speculatores satellites qui ad ministeria nuntiandi, observandi et supplicia sumendi adhibebantur (*Wilke* s. v.) multa eius usus exempla affert *Wetstein* v. g. speculatores... nudato gladio hominum amputant cervices, Livius 31,24; Claudius convivia nunquam inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent, Sueton. Claud. 35. Cum vocem referrent ad spiculum, pro carnifice etiam spiculator usu posteriore invaluit; *praecepit afferri caput eius in disco;* uti puella petiit, ita fit; magnus ille vir perire et ignominiose haberi iubetur voce lascivae puellae; *et decollavit eum in carcere* v. 28 *et attulit caput eius in disco et dedit illud puellae et puella dedit matri suae;* eum in castello Machaerunte, in parte meridionali Peraeae, occisum esse *Iosephus* refert additque : Iudaei persuasum habebant in ultionem necis eius deletum esse exercitum Herodis in proelio contra Aretam Arabiae regem commisso (Antiq. 18,5. 2).

Funus eius curant discipuli v. 29 *quo audito discipuli eius venerunt et tulerunt corpus eius et posuerunt illud in monumento;* repetitis vicibus asserit *S. Hieronymus* eius sepulcrum coli Samariae (ep. 46,12; 108, 13; ad Abd. 1,1; *M.* 22,491. 889. 25,1099); tempore Iuliani apostatae sepulcrum dicitur esse dirutum ossaque dispersa (Chronic. pasch. p. 295; M. 92,740). Vide quoque Acta Sanct. Iun. t. 4 p. 694. Samariae iam colebantur sepulcra Elisei et Abdiae, neque esse improbabile ibi quoque Ioannis fuisse sepulcrum *Schegg* existimat.

Lectione illa in v. 22 τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ Ἡρωδιάδος (vide lect. var.) quam Volkmar et W H approbant, puella fuisset filia Herodis nomine eodem quo mater appellabatur. Sed id fieri nequit. Nam eo tempore filia ex eo connubio non potuit esse nisi annorum paucorum. Quare ea lectio erit relinquenda. Etiam Matth. 14,6 solum filia Herodiadis designatur, cui concordat quod ex *Iosepho*, Antiq. 18,5. 4 discimus, He-

rodiadi ex priore connubio fuisse filiam, Salome nomine. Secundum *Gutschmid* qui in rationes temporis quae colligi possunt ex Iosepho diligenter inquisivit, Salome nata esse videtur anno 10 p. Ch. (cf. *Schürer*, Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter I. Chr. 2 ed. I p. 367).

Aliqui explicant γενέσια v. 21 non de die natali, sed de die quo imperium sit capessitum. At immerito. Haec enim significatio apud Graecos non reperitur neque ex rabbinis ostendi potest. Provocant ad tractatum mischnicum Aboda zara 1,3 : haec sunt festa gentium : Calendae, Saturnalia, κρατήσεις, dies γενεσίων regum et dies nativitatis et dies mortis (cf. *Surenhusius* IV p. 364). Verum ibi hae dictiones non explicantur. In talmude palaestinensi dies γενεσίων יום גינסיא explicatur dies nativitatis יום הלידה; in babylonico autem dies quo rex est constitutus (cf. *Levy*, Neuhebr. und chald. Woerterb. I p. 349). Sed palaestinensi erit adsentiendum; nam in tractatu mischnico κρατήσεις קרטיסים dici videtur de die imperii capessiti, dies autem nativitatis ex iis quae in tractatu sequuntur probabilissime est dies quo infans nascitur; quare dies γενεσίων merito de natalitiis regis intelligitur (cf. *Schürer* l. c. I p. 365. 366).

4. *Varia Iesu itinera et ulterior institutio apostolorum* 6,30-9,49.

a) Multiplicatio panis 6,30-44.

6,30. Et convenientes apostoli ad Iesum, renuntiaverunt ei omnia quae egerant et docuerant. 31. Et ait illis : Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi; et nec spatium manducandi habebant. 32. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum.

33. Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi; et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et praevenerunt eos. 34. Et exiens vidit turbam multam Iesus; et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem : et coepit illos docere multa. 35. Et quum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius, dicentes : Desertus est locus hic, et iam hora praeteriit : 36. dimitte illos, ut euntes in proximas villas et vicos, emant sibi cibos quos manducent. 37. Et respondens, ait illis : Date illis vos manducare. Et dixerunt ei : Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare.

38. Et dicit eis : Quot panes habetis? ite, et videte. Et quum cognovissent, dicunt : Quinque, et duos pisces. 39. Et praecepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride

6,30. Καὶ συνάγονται οἱ ἀπόστολοι πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἀπήγγειλαν αὐτῷ πάντα ὅσα ἐποίησαν καὶ ὅσα ἐδίδαξαν. 31. καὶ λέγει αὐτοῖς, Δεῦτε ὑμεῖς αὐτοὶ κατ' ἰδίαν εἰς ἔρημον τόπον, καὶ ἀναπαύσασθε ὀλίγον. ἦσαν γὰρ οἱ ἐρχόμενοι καὶ οἱ ὑπάγοντες πολλοὶ, καὶ οὐδὲ φαγεῖν εὐκαίρουν. 32. καὶ ἀπῆλθον ἐν τῷ πλοίῳ εἰς ἔρημον τόπον κατ' ἰδίαν. 33. Καὶ εἶδον αὐτοὺς ὑπάγοντας καὶ ἐπέγνωσαν πολλοί· καὶ πεζῇ ἀπὸ πασῶν τῶν πόλεων συνέδραμον ἐκεῖ, καὶ προῆλθον αὐτούς. 34. καὶ ἐξελθὼν εἶδεν πολὺν ὄχλον, καὶ ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτοὺς, ὅτι ἦσαν ὡς πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα· καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτοὺς πολλά. 35. Καὶ ἤδη ὥρας πολλῆς γενομένης προσελθόντες αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἔλεγον, ὅτι ἔρημός ἐστιν ὁ τόπος καὶ ἤδη ὥρα πολλή· 36. ἀπόλυσον αὐτοὺς, ἵνα, ἀπελθόντες εἰς τοὺς κύκλῳ ἀγροὺς καὶ κώμας, ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς τί φάγωσιν. 37. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, Δότε αὐτοῖς ὑμεῖς φαγεῖν. καὶ λέγουσιν αὐτῷ· Ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν δηναρίων διακοσίων ἄρτους, καὶ δώσομεν αὐτοῖς φαγεῖν; 38. ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς, Πόσους ἔχετε ἄρτους; ὑπάγετε ἴδετε. καὶ γνόντες λέγουσιν Πέντε, καὶ δύο ἰχθύας. 39. Καὶ ἐπέταξεν αὐτοῖς ἀνακλῖναι πάντας συμπόσια συμπόσια ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ. 40. καὶ ἀνέπεσαν πρασιαὶ πρα-

foenum, 40. Et discubuerunt in partes, per centenos et quinquagenos. 41. Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in coelum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos; et duos pisces divisit omnibus. 42. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. 43. Et sustulerunt reliquias fragmentorum, duodecim cophinos plenos, et de piscibus. 44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

σιαὶ κατὰ ἑκατὸν καὶ κατὰ πεντήκοντα. 41. καὶ λαβὼν τοὺς πέντε ἄρτους καὶ τοὺς δύο ἰχθύας, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐλόγησεν καὶ κατέκλασεν τοὺς ἄρτους, καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς, ἵνα παρατιθῶσιν αὐτοῖς· καὶ τοὺς δύο ἰχθύας ἐμέρισεν πᾶσιν. 42. καὶ ἔφαγον πάντες, καὶ ἐχορτάσθησαν· 43. καὶ ἦραν κλασμάτων δώδεκα κοφίνων πληρώματα καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων. 44. καὶ ἦσαν οἱ φαγόντες τοὺς ἄρτους πεντακισχίλιοι ἄνδρες.

In v. 32 D και αναβαντες εις το πλοιον απηλθον; item vulg. In v. 33 επεγνωσαν αυτους ℵ A K L M U Δ Π al 70 fere f q cop syr (utr) aeth Ti; add αυτον E F G H S V Γ al sat mu; sed neutrum poni debet cum B C aliq minusc a i l vulg; in fine add D και συνηλθεν αυτου; A Γ Π unc 9 al pl και συνηλθον προς αυτον; item b et convenerunt illuc, c et concurrerunt illuc, f q et convenerunt ad eum. In v. 36 pro κυκλω D habet εγγιστα; item it vulg proximas; ℵ βρωματα τι φαγωσιν, item it vulg cibos quos manducent; αρτους, τι γαρ φαγωσιν ουκ εχουσιν A Γ Π unc 9 al pler syr (utr) aeth arm; item b f panes quia quod manducent non habent. In v. 38 quinque *panes* dub cpt lich ken; item D a c f ff^2 i q gat sax cop. In v. 39 ανακλιναι A B^2 D L Γ Δ Π unc 8 al pler Or Ti W H (in marg); it pler discumberent; ανακλιθηναι ℵ B* G pl minusc W H; D κατα την συμποσιαν item it pler vulg. In v. 40 et discubuerunt *areas et areas* q, convivia per contubernia i, per contubernia f, *per singulas areas* lich; per partes corp. In v. 43 το περισσευον των κλασμ. F U; similiter a f ff^2 g$^{1\,2}$ i l vulg *reliquias* fragm. δωδ. κοφινους πληρεις A D Γ Π unc rell; excipe ℵ B L Δ πληρωματα etc. In v. 44 ωσει vel ως (ωσπερ) πεντακισχ. ℵ aliq minusc arm.

Ex Ioan. 6,4 : erat autem proximum pascha (pascha scil. tertium in vita Christi publica et ultimum ante passionem) discimus tempus prioris multiplicationis panis. Et cum hoc miraculum Christus operatus sit post missionem apostolorum, uti non solum Marcus hic refert, verum etiam Lucas 9,10 seq., pariter comperimus apostolos tum demum missos esse ad praedicandum, cum iam fere per biennium a Christo essent edocti et eruditi. Quamdiu apostoli in hac missione versati sint nescimus; at certo falsum est quod *Wieseler* statuit eos esse missos die 13 mensis nisan et iam die 14 rediisse (Chronol. Synopse p. 291). Ita enim per unum diem vacassent ministerio; ad quod brevissimum temporis spatium non congruit quod eos Christo renuntiasse legimus πάντα ὅσα ἐποίησαν καὶ ὅσα ἐδίδαξαν; etiam quod Iesus eos ad quietem capiendam invitat, longiorem laborem arguere videtur; v. 30 *et convenientes apostoli ad Iesum renuntiaverunt ei omnia quae egerant et docuerant;* hoc uno loco apud Marcum dicuntur *apostoli*, apte quidem quia nunc primum functi sunt munere apostolico missi ad praedicandum. Narrant quae egerint, quae scil. miracula fecerint; verbum enim ποιεῖν absolute

positum est pro miracula facere (ut Luc. 9,7. Act. 1,1) et praeceperat illis Christus, ut docerent et doctrinam miraculis confirmarent (v. 7. Matth. 10,7. 8. Luc. 9,2; *Mald.*). Narrant, quia aequum erat ut ei a quo missi erant suae legationis redderent rationem. Insuper redibant a legatione sua gaudii pleni quod res ex voto successisset; lactantes autem et gloriantes de tanta potestate a Domino sibi data quomodo potuissent tacere? gloriantes itaque, utique in Domino, renuntiant cuncta, quemadmodum et septuaginta illi duo apud Lucam 10,17 (*Mald.*). Hoc autem docemur, ut *Theoph. Ians.* monent, evangelicum doctorem sicuti Christum habet sui officii auctorem, ita ad ipsum omnis suae praedicationis fructum et profectum debere referre, illius solius gloriam spectare et ab ipso approbationem suae praedicationis et operum quaerere.

« Providet pius et prudens magister discipulis de aliquantula quiete, instruens praelatos quid agere debeant cum ministris suis » (*Cai.*) v. 31 *et ait illis : venite* ὑμεῖς αὐτοί vos ipsi, qui scil. tantum laborastis, *seorsum* a turbis hominum, *in desertum locum et requiescite pusillum;* cum enim pascha esset prope, iam undique turbae confluebant et in regionem Capharnaum conveniebant, ut inde in urbem ascenderent (*Fil.*); *erant enim qui veniebant et redibant multi,* ita ut aestuariae quaedam vices viderentur venientium et abeuntium (*Erasmus*), *et nec spatium manducandi habebant,* ergo nulla quietis pars apostolis relinquebatur, ut ne cibi quidem sumendi daretur opportunitas. Haec in v. 31 apud solum Marcum leguntur. Turbis itaque Christus se paululum subtrahit in litus orientale transfretans v. 32 *et ascendentes in navim abierunt in desertum locum seorsum,* prope Bethsaidam, uti Luc. 9,10 docemur; « duae fuere per id tempus urbes hoc nomine vocatae; altera in Galilaea sita erat ad lacum Tiberiadis, patria Petri, Andreae et Philippi eaque obscurior; altera clarior in inferiore Gaulanitide ab oriente lacui assurgens prope ostium Iordanis, olim pagus, deinde a Philippo tetrarcha ad dignitatem urbis evecta Iulias ab Iulia Augusti filia nomen pridem acceperat » (*Patr.*) atque in huius urbis regionem Christus secessit, uti plerique recte sentiunt.

Turbae autem simul atque naviculam solvi viderunt et in altum duci, suspicati sunt quid Iesus spectaret et quo tenderet v. 33 *et viderunt eos abeuntes et cognoverunt multi* Iesum sese subducere et in alterum litus navigare (quare neque αὐτούς neque αὐτόν ponendum est; vide lect. var.) *et pedestres* πεζῇ itinere pedestri *de omnibus civitatibus concurrerunt illuc et praevenerunt eos;* « id intelligere difficile haud est; locus desertus quo Christus lacu traiecto appulit prope aberat a boreali lacus extremitate qua Iordanes in hunc influit. Illi igitur e Galilaea

profecti et Iordanem transgressi, sive ponte qui prope ostium fluminis fuit (*Lightfoot,* disquis. chorogr. in Ioan. cap. 1,2) sive rate, neque enim fluminis traiectio obstat quominus *pedestre* dicatur illud iter quod quis pedibus facit, in oppositam regionem ultra lacum concito gradu pervenire ante ipsam navim utique potuerunt » (*Patr.*); v. 34 *et exiens,* num ex navi? ita aliqui censent (*Patr.*), sed vide ad Matth. 14,13 et Ioan. 6,3. 5, *vidit turbam multam Iesus et misertus est super eos* ἐσπλαγχνίσθη, viscera quae sedes misericordiae putabantur commota sunt, *quia erant sicut oves non habentes pastorem;* vide ad Matth. 9,34; a pharisaeis et legis doctoribus non recte instituebantur, onerabantur praeceptis et observationibus, abducebantur a Christo, *et coepit illos docere multa;* « ubi observanda Domini benignitas et facilitas exposita ad docendum et iuvandum; non enim indignabatur non relinqui sibi et suis quietem quaesitam, nec se a turbis quaerentibus magis subduxit aut importunos a se abegit, sed e secessu suo etiam obviam iis venit et solita illis doctrinae et sanitatum beneficia impendit, docens suos omnesque evangelicos doctores promptos esse debere sine cessatione ad promovendum evangelicum negotium, cum adest occasio » (*Ians.*). Christus autem, ut *Beda* adnotat, tamquam potens piusque salvator ac medicus excipiendo fatigatos, docendo inscios, sanando aegrotos, recreando ieiunos, quantum devotione credentium delectetur insinuat.

Christus adeo sollerter docet turbas et turbae ita eius doctrina delectantur, ut neque ipse, neque turbae advertere videantur iam appropinquare vesperam; quare eum monent discipuli v. 35 *et cum iam hora multa fieret* i. e. die iam ad vesperam appropinquante, non, ut aliqui vertunt : cum iam tempus multum effluxisset, ex quo docere coeperat; sed : cum iam magna pars temporis diei esset facta i. e. praeteriisset, ὥρα quippe de tempore diei dicitur (cf. *Schegg*) vel ut alii explicant, horarum numero iam aucto, quia ab ortu solis ad occasum usque duodecim numerantur; *accesserunt discipuli eius dicentes : desertus est locus hic et iam hora praeterit* ὥρα πολλή, dies iam multum processit, v. 36 *dimitte illos, ut euntes in proximas villas et vicos,* κύκλῳ circumiacentes (vide lect. var.) *emant sibi cibos quos manducent.* Dominus autem dives et benignus etiam cibum corporalem iis dare iubet apostolos (*Vict.*), tentans et probans num suam agnoscerent virtutem quod possit illos alere (*Theoph.*) vel potius insinuans quantam ipsi haberent potestatem si crederent, ut quibus datum esset tantam pascere multitudinem (*Ians.*) v. 37 *et respondens ait illis : date illis vos manducare;* at quamvis in missione a qua modo reduces sunt potentiam Domini sibi communicatam experti essent, tamen adeo lenti sunt et debiles in fide, ut quod Dominus suis verbis insinuet nullo modo capiant. At illi nescientes se

esse divites factos in Domino (*Alb.*) *dixerunt ei : euntes emamus ducentis denariis panes et dabimus illis manducare?* « quod Philippus apud Ioannem respondet, hoc Marcus a discipulis responsum esse commemorat, volens intelligi hoc ex ore ceterorum Philippum respondisse, quamquam et pluralem numerum pro singulari usitatissime ponere potuerunt » (*S. Aug.* de cons. evang. 2,46. 96). Simul id habetur quaestione Domini proposita, ut illis se non habere testantibus magnitudo signi fiat notior (*Bed. Ians.*). Responsio discipulorum per interrogationem legenda est et est, ut *Euth.* dicit, huiusmodi sermo eorum qui se gravari queruntur, vel qui satis mirari non possunt et quasi per ironiam rogant. Summa ducentorum denariorum (quam aestimant 170 fr. et 130-140 M; cf. *Fil. Schanz*) tamquam minima effertur qua opus esset ut unusquisque aliquid acciperet. Putarunt aliqui eam summam tum in loculis Domini fuisse. Sed ex interrogatione apostolorum id non sequitur; potius ostendere volunt Domino se mirari cur id a se postularit quod nullo modo penes se sit.

Quamvis apostoli Christum varia miracula patrantem vidissent, tamen illis non venit in mentem petere ab eo ut miraculo turbis succurrat neque ullo modo videntur cogitasse eum posse turbae esurienti etiam alimenta praebere et tamen Eliseus propheta viginti panibus hordeaceis pavit centum viros ita ut superesset (4 Reg. 4,42-44). Proinde hic quoque apparet eos tardos fuisse in vera de Iesu notione concipienda ; v. 38 *et dicit eis : quot panes habetis? ite et videte! et cum cognovissent dicunt : quinque et duos pisces ;* censet *Ians.* hisce constitutum esse victum quem apostoli pro se detulerint ; unde eorum laudat frugalitatem et neglectum rerum corporalium. Sed dubito num panes et pisces fuerint apostolorum ; nam quod Ioan. 6,9 Andreas dicit, obstat et summe improbabile est παιδάριον ibi dici de uno ex apostolis, quod tamen fieri posse *Ians.* opinatur. Ex narratione apud Ioannem patet totum sermonem versari non de alimentis quae fortasse apostoli pro se ipsis habent sed de pane turbis providendo. Unde nihil determinari potest habuerintne apostoli necne secum alimenta ; v. 39 *et praecepit illis, ut accumbere facerent omnes secundum contubernia,* συμπόσια συμπόσια, hebraismus est quo ad indicandam distributionem idem nomen bis ponitur, cum Hebraei adiectivo distributivo careant ; proinde ut eos accumbere facerent per coetus vel ordines convivarum, catervatim ; *Theoph.* explicat τραπέζας διαφόρους ; *super viride fenum,* in viridi gramine, quod solo verno tempore (prope erat pascha Ioan. 6,4) ea in regione habetur ; v. 40 *et discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos* πρασιαὶ πρασιαί areolatim, per areolas ; πρασιαὶ γὰρ λέγονται τὰ ἐν τοῖς κήποις διάφορα κόμματα ἐν οἷς φυτεύονται διάφορα πολλάκις λάχανα (*Theoph.*) est itaque πρασιά area,

locus consitus in horto figura quadrata [1]. Et descripsit haec evangelista ut cognoscamus coram Iesu non fuisse confusam multitudinem, sed ordinate dispositos sedentes et quiescentes omnes comedisse (*Cai.*). Iesus enim optimo ordine omnia fieri vult et quiete et sine tumultu et confusione.

Ipse autem v. 41 *acceptis quinque panibus et duobus piscibus intuens in coelum,* demonstravit se ad Patrem referre id quod fit (*Vict.*) *benedixit* εὐλόγησεν, precibus consecravit, « haec benedictio erat imprecatio divinae gratiae, quae hic non simplex erat sed efficiens panum benedictorum multiplicationem, quemadmodum benedictio panis in ultima coena operabatur panis transmutationem in corpus Domini » (*Ians.*) *et fregit panes et dedit discipulis suis ut ponerent ante eos et duos pisces divisit omnibus;* in manibus igitur apostolorum qui panes distribuebant multiplicabantur ad eum modum quo hydria farinae non defecit nec lecythus olei minuebatur in domo Sarephtanae et quo parum olei implevit multa vasa ad preces Elisei (3 Reg. 17,14. 4 Reg. 4,5) « quales multiplicationes non possumus intelligere nisi per additionem materiae idque vel per creationem vel per conversionem » (*Ians.*). Ministerio discipulorum Christus pascit multitudinem, ut ita discipuli miraculum quasi palpantes in fide crescant et ut discant ope Christi eiusque potentia freti doctrina a se tradita homines pascere; iam enim funguntur ut tales per quos aliis beneficia Christi obveniunt et qui gratias Christi dispensant. Magnitudo autem miraculi designatur v. 42 *et manducaverunt omnes et saturati sunt;* non solum tam multi pascuntur (quinque millia virorum, mulieribus et parvulis non annumeratis), verum etiam multa relinquuntur residua, unde omnes esse satiatos clare liquet v. 43 *et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos et de piscibus,* duodecim pro numero apostolorum, ut suis quisque humeris unum gestantes memoria rem servarent (*Vict. Theoph.*). Eo etiam argumento certitudo et admiratio miraculi augetur, quia ex tam exili commeatu tot ac tanta effecta sunt et declaratur Dei benignitatem largissimam esse in sibi fidentes neque oportere parcam esse in pauperes beneficentiam (*Ians.*). Iesus quanta liberalitate et munificentia suas sit distributurus gratias hoc exemplo praefigurat; v. 44 *erant autem qui manducaverant quinque millia virorum;* cf. Matth. 14,21.

Insequente paschate post annum alium dabit Ecclesiae suae panem, pa-

1. Hesychius : πρασιαὶ, αἱ ἐν τοῖς κήποις τετράγωνοι λαχανιαί. Etymol. τετράγωνά τινα σχήματα ἐν τῇ γῇ; vide apud *Wetstein;* similiter schol. ad Od. η 127, αἱ τῶν φυτειῶν τετράγωνοι σχέσεις, ὡς τὰ πλινθία.

nem eucharisticum, qui maiore etiam miraculo productus et in immensum multiplicatus animas hominum deliciis coelestibus nutriet.

Ceterum hoc miraculo colligi potest cum *Ians.* Dominum voluisse quoque significare eis qui sibi adhaereant etiam in deserto i. e. ubi nullum auxilium humanum adfuerit, nullum necessariorum bonorum defuturum.

Hoc miraculum iam etiam spectare ad sermonem eucharisticum praeparandum (Ioan. 6,27 seq.) facile patet; cf. ad Matth. 14,21.

b) **Iesus ambulat super mare 6,45-56.**

6,45. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim : ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. 46. Et quum dimisisset eos, abiit in montem orare. 47. Et quum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. 48. Et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis), et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare; et volebat praeterire eos. 49. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt. 50. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, et dixit eis : Confidite, ego sum, nolite timere. 51. Et ascendit ad illos in navim; et cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant. 52. Non enim intellexerunt de panibus : erat enim cor eorum obcaecatum.

53. Et quum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt. 54. Quumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum; 55. Et percurrentes universam regionem illam, coeperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse.

56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent; et quotquot tangebant eum, salvi fieba nt

6,45. Καὶ εὐθὺς ἠνάγκασεν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν, ἕως αὐτὸς ἀπολύει τὸν ὄχλον. 46. καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς ἀπῆλθεν εἰς τὸ ὄρος προσεύξασθαι. 47. Καὶ ὀψίας γενομένης, ἦν τὸ πλοῖον ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης, καὶ αὐτὸς μόνος ἐπὶ τῆς γῆς . 48. Καὶ ἰδὼν αὐτοὺς βασανιζομένους ἐν τῷ ἐλαύνειν· ἦν γὰρ ὁ ἄνεμος ἐναντίος αὐτοῖς· περὶ τετάρτην φυλακὴν τῆς νυκτὸς ἔρχεται πρὸς αὐτοὺς, περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης· καὶ ἤθελεν παρελθεῖν αὐτούς. 49. οἱ δὲ, ἰδόντες αὐτὸν ἐπὶ τῆς θαλάσσης περιπατοῦντα, ἔδοξαν ὅτι φάντασμά ἐστιν, καὶ ἀνέκραξαν. 50. πάντες γὰρ αὐτὸν εἶδαν, καὶ ἐταράχθησαν. ὁ δὲ εὐθὺς ἐλάλησεν μετ' αὐτῶν, καὶ λέγει αὐτοῖς, Θαρσεῖτε· ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε. 51. Καὶ ἀνέβη πρὸς αὐτοὺς εἰς τὸ πλοῖον, καὶ ἐκόπασεν ὁ ἄνεμος· καὶ λίαν ἐν ἑαυτοῖς ἐξίσταντο, 52. οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις· ἀλλ' ἦν αὐτῶν ἡ καρδία πεπωρωμένη.

53. Καὶ διαπεράσαντες ἐπὶ τὴν γῆν ἦλθον εἰς Γεννησαρὲτ, καὶ προσωρμίσθησαν. 54. καὶ ἐξελθόντων αὐτῶν ἐκ τοῦ πλοίου, εὐθὺς ἐπιγνόντες αὐτὸν, 55. περιέδραμον ὅλην τὴν χώραν ἐκείνην, καὶ ἤρξαντο ἐπὶ τοῖς κραβάττοις τοὺς κακῶς ἔχοντας περιφέρειν, ὅπου ἤκουον ὅτι ἔστιν. 56. καὶ ὅπου ἂν εἰσεπορεύετο εἰς κώμας ἢ εἰς πόλεις ἢ εἰς ἀγροὺς, ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐτίθεσαν τοὺς ἀσθενοῦντας, καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, ἵνα κἂν τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ ἅψωνται· καὶ ὅσοι ἂν ἥψαντο αὐτοῦ, ἐσώζοντο.

In v. 45 pl it *a bethsaida*. In v. 46 theod abiit in montem *solus*. In v. 47 D ην παλαι, item aliq minusc, similiter *iam* erat navis a d ff^2 i ken rush. In v. 48 a b ff^2 i q remigantes et laborantes, c in mari tribulari in tempestate remigantes; similiter D και ελαυνοντας; habent omnes codd *et circa* quamvis praecedat *videns*; om *et* sixt; και

περι A D X Γ Π unc 9 al pler, cum ειδεν praebeant E F G H U Γ Π² al pl; ιδεν A K M V X al. In v. 49 φαντασμα ειναι A D X Γ Π unc 9 al pler it vulg arm. In v. 50 c et exclamantes omnes conturbati sunt. In v. 51 λιαν εκ περισσου A X Γ Π unc 9 al pler Ti, it vulg plus magis (eg om plus); solum λιαν habent ℵ B L Δ 102. syr (sch) aeth W H; in fine add και εθαυμαζον A D X Γ Π unc 9 al pler arm aeth a cum admiratione, et mirabantur rush b d f q; sim syr (sch, p). In v. 52 ην γαρ A D M* X Γ Π unc 7 al pler it pler vulg (lich erat *autem*) syr arm aeth; αλλ ην ℵ B L M² S Δ al 15 fere cop, b cor autem illorum obtusum erat. In v. 53 εις γεννησαρετ cum ℵ B L Δ 28. 33. Ti W H; ηλθον επι την γην γε. A D N X Γ Π unc 9 al pler it vulg syr aeth; cop arm om την γην. In v. 54 επιγνοντες αυτον οι ανδρες του τοπου εκεινου A G Δ mu minusc, c g² inhabitantes loci illius, gat ken viri loci illius; sim. syr arm. In v. 55 περιδραμοντες ηρξαντο A D N X Γ Π unc 9 al pler it vulg go; iidem codd περιχωρον; b q confinem regionis ilius. In v. 56 D εν ταις πλατειαις; item it vulg go syr; a in foro et in plateis; a sanati sunt; big *sani* fiebant.

Turbae quas Christus adeo miro modo paverat volebant eum facere regem (Ioan. 6,15). Cum apostoli notionem regni temporalis messiani nondum plane abiecissent periculum erat ne ipsi quoque hoc studio turbarum inficerentur. Praeterea cum ministri fuissent multiplicationis panis, laudem et admirationem turbarum sibi conciliarant. Unde erat cur Christus cito eos a turbis separaret; v. 45 *et statim coegit discipulos ascendere navim;* haud libenter separabantur, praesertim cum adverterent Iesum velle remanere et se solos mitti; unde *coegit*, non solum praecepto, sed coactione quadam opus erat, *ut praecederent eum trans fretum ad Bethsaidam,* ad pagum illum prope Capharnaum, patriam Petri et Andreae. Idem iter indicatur, dum Ioan. 6,17 dicuntur navim direxisse trans mare in Capharnaum (cf. ad Matth. 14,33; *Ed.* II p. 3 seq.), *dum ipse dimitteret populum,* ἕως ἀπολύει, notant Graecos haud raro ex oratione obliqua quam dicunt transire ad directam (cf. *Buttmann* l. c. p. 186. 211. 214. 221 etc.), ex qua oratione variata etiam hic explicant ἕως ἀπολύει (cf. *Schanz, Weiss*); v. 46 *et cum dimisisset eos,* scil. populum, ἀποτάσσεσθαι notione valedicendi apud veteres Graecos non adhibetur, sed usurpatur Luc. 9,61. Act. 18,18. 21. 2 Cor. 2,13 et apud posteriores, *abiit in montem orare,* nos docens, ut *Vict.* ait, orationem coniungi debere cum operatione opusque subsequi, vel ut *Dion.* colligit, quod praedicator verbi Dei expleto praedicationis officio vitare debet strepitum populi et ad orationem recurrere, ut Deo agat gratias oretque pro auditorum fructu et salute (sim. *Ians.*). Iesus per diem laboravit et docuit, noctu orat res nostras Patri commendans; solet noctu orare antequam aliquid magni momenti aggreditur; ita ante electionem apostolorum, ante promissum Petro primatum (Luc. 6,12; 9,18) et hic ante sermonem eucharisticum quo scil. inter ipsos discipulos facta est separatio, dum alii suam in Iesum fidem confirmarent.

Cum ventus esset contrarius i. e. borealis satisque vehemens non secundum litus navigare poterant recta scil. a loco multiplicationis panis ad Bethsaidam, sed magis versus medium lacum impellebantur; unde v. 47 *et cum sero esset, erat navis in medio mari*, medium utique intellige ex communi modo loquendi, *et ipse solus in terra*, orans scil. in monte, ex quo eos vidit *laborantes in remigando* v. 48 ἐν τῷ ἐλαύνειν scil. τὸ πλοῖον; in voce βασανιζομένους vexatos magnus exprimitur labor et magna molestia; *erat enim ventus contrarius*, ita ut remigando parum progrederentur et a recto cursu versus medium lacum impellerentur. Quantopere vento contrario sint impediti patet ex eo quod circa quartam vigiliam noctis i. e. circa horam tertiam vel quartam matutinam adhuc erant in lacu, quamvis vespere navigationem inceperint, et ex eo quoque quod non in Bethsaida appulerunt sed multo magis ad meridiem versus vento transvecti in regione Genesareth applicuerunt (v. 53). Iesus sinit eos laborare; vult eos, ut *Theoph.* dicit, laboribus assuefacere eosque docere patientiam. Quamvis tempestatis non fiat mentio, tamen vento vehementiore flante navicula fluctibus quoque vento agitatis iactabatur (Matth. 14,24), quo labor remigum evadebat gravior. Iesus vidit eos. Ad quod non opus est miraculum adstruere. Cum enim tempus esset prope pascha i. e. prope plenilunium, nocte serena facile navicula in lacu iactata oculis cerni poterat, id quod sola stellarum luce quoque fieri posse videtur.

A vespera usque mane Iesus in oratione perseveravit, *et circa quartam vigiliam noctis*, quae vigilia ab hora 3 matutina ad 6, ad ortum solis, computatur, *venit ad eos ambulans supra mare et volebat praeterire eos*, id scil. prae se ferebat non intraturus in navim, nisi apostoli hoc precibus ab illo expressissent (*Lamy*); ita scil. incedebat per mare, ut si recta perrexisset eos praeteriisset. Unde qui videbant eum gradientem, debebant dicere : vult nos praeterire. Quare modus narrandi eadem ratione explicatur. Voluit Christus se demonstrare dominum elementorum — est demonstratio virtutis in creaturis elementorum ostensa, *Alb.* — quare etiam tum venit cum iam ab omnibus cerni potest. Verum re adeo insolita terrentur et spectrum sibi offerri putant v. 49 *at illi ut viderunt eum ambulantem supra mare putaverunt phantasma esse et exclamaverunt* prae timore (Matth. 14, 26) v. 50 *omnes enim viderunt eum et conturbati sunt; et statim locutus est cum eis et dixit eis : confidite* θαρσεῖτε bono animo estote, *ego sum, nolite timere!* v. 51 *et ascendit ad illos in navim et cessavit ventus;* altero scil. miraculo ostendit se uti maris, ita ventorum quoque habere dominium.

Quod de Petro refertur Matth. 14,28-31, apud Marcum non legitur. Cur ita, quaerunt. Perperam aliqui censent id a Marco esse omissum quia Petrus non adeo in fide fortem se praestiterit (*Hilgenfeld*); sed cum alias defectus Petri, negatio Christi v. g. non taceantur a Marco, eam rationem non posse assignari patet. Neque dici potest cum *Keil* id esse omissum quia nihil conferret ad grave illud iudicium mitigandum quod Marcus de tarditate discipulorum tulisset. Cum enim Marcus ex consulto saepius efferat et hoc loco quam maxime quam lenti fuerint, potius id narrare debuit, si in ea Petri actione defectum fidei deprehendisset. Melius alii censent omissum esse propter rationem contrariam. Uti Dominus, ita Petrus quoque ambulabat super aquam; verbis suis : Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas, sublimem quandam fidem ac notionem de Domini potentia exprimit; ad unum Domini verbum : veni, descendit e navi in undas et aliquamdiu firmus in eis incedit. Quae omnia sane magnopere ad honorem Petri faciunt. Unde haec a Petro esse narrata non est credibile. Ergo explicatur cur non legantur apud Marcum. Bene enim adnotant ea apud Marcum non reperiri quae commemorata in maximum Petri honorem cessissent (cf. *Patr.* de Evang. I p. 58; *Schanz, Fil. Cook*).

Discipuli autem maximo stupore percelluntur de duplici hoc miraculo *et plus magis intra se stupebant;* nimium hunc stuporem iis evangelista vertit in vituperium, quia eo ostendunt se nondum rite percepisse divinam Iesu virtutem; v. 52 *non enim intellexerunt de panibus,* quodsi enim hoc miraculum bene perpendissent, Iesum habere dominium naturae intellexissent; unde ab eodem et gressu firmo calcari mare et ventum compesci posse vidissent; *erat enim cor eorum obcaecatum,* proprie obcallatum, in modum calli obduratum (*Patr.*); ita reddit rationem, cur miraculum multiplicationis panis non eum fructum fidei et cognitionis tulerit quem merito exspectari potuisse indicat. Cor designat durum, intellectum quasi caecum, quia apertissima divinae virtutis documenta non satis percipiunt. Quare Christus iterum iterumque nova potentiae argumenta exhibere debet. Id *Theoph.* quoque tangit : « videtur sane Christus propter hoc permisisse illos tentari, ut quoniam a panibus eum non cognovissent notitiam a mari perciperent atque utilitatem consequerentur ». Atque eos a mari revera esse edoctos et in cognitione Iesu profecisse hac Christi super mare ambulatione discimus a S. Matthaeo.

Vento contrario acta navis cursum suum tenere non potuit, quare non ad Bethsaidam perveniunt quo ab initio tendebant (v. 45), sed v. 53 *cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth et applicuerunt*, vehebantur versus terram, in Genesareth (cf. graece), in terram Genesar, vide ad Matth. 14,34; inde mox Christus perrexit in Caphar-

naum, in cuius synagoga sermonem habet, uti Ioan. 6,26 seq. refertur; Marcus autem generatim narrat Christum ea in regione diutius esse versatum per vicos et civitates peragrantem et plurimos sanantem; v. 54 *cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum*, scil. viri illius regionis et famam eius adventus sparserunt, περιέδραμον percurrebant scil. universam regionem illam, nuntiantes Iesum advenisse; inde *coeperunt in grabatis eos qui se male habebant circumferre, ubi audiebant eum esse*, dicitur *circumferre;* cum enim Iesus migraret per vicos et villas et civitates, facile et saepe evenire poterat, ut aegroti ab uno loco ad alium essent transportandi, si in uno loco advenientes audiebant Iesum iam alio abiisse (cf. *Schanz, Fil. Keil, Weiss*). Quare περιφέρειν non est inepte positum, ut *Fritzsche* vult, neque opus est fingere singulos aegros esse portatos de loco in locum, neque lectos esse positos in circuitu eius loci ubi Iesus commorabatur. Quantopere fama de Iesu benignitate et potentia ubique nota fuerit etiam ostenditur ulterius v. 56 *et quocumque introibat in vicos vel in villas aut civitates, in plateis ponebant infirmos et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent;* putant sanationem mulieris haemorrhoissae iis innotuisse ideoque eandem eos concepisse fiduciam (cf. *Vict. Theoph. Alb. Schegg*); neque spes eos fefellit : *et quotquot tangebant eum salvi fiebant,* sanabantur. Fimbria, κράσπεδον, hebr. צִיצִת, filamentum laneum contortum ex ora pallii dependens a Iudaeis gerebatur ex lege Num. 15.38, ut recordentur omnium mandatorum Dei sintque sancti Deo suo. Cum itaque fimbriae religionis ac pietatis essent symbola et sacra significatione essent praeditae, eas tangere aegroti praeprimis appetebant, si prae multitudine Christus singulis manus imponere non poterat.

Admiranda Christi potentia et benignitas paucis hisce verbis describitur, maximum quoque populi studium ex tanta liberalitate utilitatem colligendi quam plurimam. Quam maxime avidi sunt ut sanitatem recipiant corporalem; ea in re plenam Christo adhibent fidem et diligenter ei adhaerent vel eum sequuntur. At plane aliter populum se habere, si Christus mysteria regni Dei exponens fidem postulat, discimus inter alia ex iis quae eodem tempore in synagoga Capharnaum gesta sunt (Ioan. 6,30. 41. 53 etc.).

c) Disceptatio cum pharisaeis 7,1-23.

7,1. Et conveniunt ad eum pharisaei et quidam de scribis, venientes ab Ierosolymis. 2. Et quum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id

7,1. Καὶ συνάγονται πρὸς αὐτὸν οἱ Φαρισαῖοι, καί τινες τῶν γραμματέων, ἐλθόντες ἀπὸ Ἱεροσολύμων· 2. καὶ ἰδόντες τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ὅτι κοιναῖς χερσὶ, τοῦτ' ἔστιν

est, non lotis, manducare panes, vituperaverunt. 3. Pharisaei enim, et omnes Iudaei, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum; 4. Et a foro nisi baptizentur, non comedunt : et alia multa sunt, quae tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urceorum, et aeramentorum et lectorum. 5 Et interrogabant eum pharisaei et scribae : Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum sed communibus manibus manducant panem? 6. At ille respondens, dixit eis : Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me. 7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas et praecepta hominum. 8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptismata urceorum et calicum; et alia similia his facitis multa. 9. Et dicebat illis : Bene irritum facitis praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis.

10. Moyses enim dixit : Honora patrem tuum et matrem tuam, et : Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. 11. Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri aut matri, Corban (quod est donum) quodcumque ex me, tibi profuerit, 12. et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri; 13. Rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis : et similia huiusmodi multa facitis.

14. Et advocans iterum turbam, dicebat illis : Audite me omnes, et intelligite. 15. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed quae de homine procedunt, illa sunt quae communicant hominem. 16. Si quis habet aures audiendi, audiat.

17. Et quum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli eius parabolam. 18. Et ait illis : Sic et vos imprudentes estis? Non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare; 19. Quia non intrat in cor eius, sed in ventrem

ἀνίπτοις, ἐσθίουσιν τοὺς ἄρτους· 3. οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται τὰς χεῖρας, οὐκ ἐσθίουσι, κρατοῦντες τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων· 4. καὶ ἀπ' ἀγορᾶς, ἐὰν μὴ ῥαντίσωνται, οὐκ ἐσθίουσι· καὶ ἄλλα πολλά ἐστιν ἃ παρέλαβον κρατεῖν, βαπτισμοὺς ποτηρίων καὶ ξεστῶν καὶ χαλκίων· 5. καὶ ἐπερωτῶσιν αὐτὸν οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ γραμματεῖς, Διατί οὐ περιπατοῦσιν οἱ μαθηταί σου κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, ἀλλὰ [κοιναῖς χερσὶν ἐσθίουσιν τὸν ἄρτον; 6 Ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Καλῶς ἐπροφήτευσεν Ἡσαΐας περὶ ὑμῶν τῶν ὑποκριτῶν, ὡς γέγραπται, ὅτι ὁ λαὸς οὗτος τοῖς χείλεσί με τιμᾷ,]ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ. 7. μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. 8. ἀφέντες τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, [βαπτισμοὺς ξεστῶν καὶ ποτηρίων, καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε]. 9. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Καλῶς ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, ἵνα τὴν παράδοσιν ὑμῶν τηρήσητε. 10. Μωυσῆς γὰρ εἶπεν Τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου· καὶ, Ὁ κακολογῶν πατέρα ἢ μητέρα θανάτῳ τελευτάτω· 11. ὑμεῖς δὲ λέγετε, Ἐὰν εἴπῃ ἄνθρωπος τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, Κορβᾶν, (ὅ ἐστιν Δῶρον,) ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, 12. οὐκέτι ἀφίετε αὐτὸν, οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ, 13. ἀκυροῦντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τῇ παραδόσει ὑμῶν ᾗ παρεδώκατε· καὶ παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε. 14. Καὶ προσκαλεσάμενος πάλιν τὸν ὄχλον, ἔλεγεν αὐτοῖς, Ἀκούσατέ μου πάντες, καὶ σύνετε. 15. οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου εἰσπορευόμενον εἰς αὐτὸν, ὃ δύναται κοινῶσαι αὐτὸν· ἀλλὰ τὰ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκπορευόμενά ἐστιν τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον. [16. εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω]. 17. Καὶ ὅτε εἰσῆλθεν εἰς οἶκον ἀπὸ τοῦ ὄχλου, ἐπηρώτων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ τὴν παραβολήν. 18. καὶ λέγει αὐτοῖς, Οὕτως καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε; οὐ νοεῖτε ὅτι πᾶν τὸ ἔξωθεν εἰσπορευόμενον εἰς τὸν ἄνθρωπον οὐ δύναται αὐτὸν κοινῶσαι; 19. ὅτι οὐκ εἰσπορεύεται αὐτοῦ εἰς τὴν καρδίαν, ἀλλ' εἰς τὴν κοιλίαν· καὶ εἰς τὸν ἀφεδρῶνα ἐκπορεύεται, καθαρίζων πάντα τὰ βρώματα. 20. Ἔλεγεν δὲ, ὅτι τὸ

vadit; et in secessum exit, purgans omnes escas? 20. Dicebat autem, quoniam quae de homine exeunt, illa communicant hominem. 21. Ab intus enim de corde hominum malae cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, 22. Furta, avaritiae, nequitiae, dolus, impudicitiae, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia, 23. Omnia haec mala ab intus procedunt, et communicant hominem.

ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκπορευόμενον, ἐκεῖνο κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. 21. ἔσωθεν γὰρ ἐκ τῆς καρδίας τῶν ἀνθρώπων οἱ διαλογισμοὶ οἱ κακοὶ ἐκπορεύονται, πορνεῖαι, κλοπαί, φόνοι, 22. μοιχεῖαι, πλεονεξίαι, πονηρίαι, δόλος, ἀσέλγεια, ὀφθαλμὸς πονηρός, βλασφημία, ὑπερηφανία, ἀφροσύνη. 23. πάντα ταῦτα τὰ πονηρὰ ἔσωθεν ἐκπορεύεται, καὶ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον.

In v. 1 *convenerunt* dub rush ken tol. In v. 2 οτι εσθιουσιν ℵ B L Δ 33; εσθιοντας A D N X Γ Π unc 9 al pler; add post αρτους εμεμψαντο F K M N S U Π al pl, D κατεγνωσαν, vituperaverunt it pler vulg (*eos* big theod mt) syr (utr) arm; id quod additum est ut anacoluthon vitaretur; non addunt ℵ A B E G H L V X Γ Δ al plus 25 b cop aeth go. In v. 3 πυγμη retineri debet cum pler codd; πυκνα videtur positum pro difficiliore illa voce et notione; id in ℵ, *crebro* f g$^{1\,2}$ l vulg go cop syr (sedulo) aeth (intense); sed pro πυγμη testantur a momento, c ff^2 i q pugillo (b subinde?). In v. 4 a foro *redeuntes* big ox, *venientes* steph sixt, *cum venerint* hub^1 theod tol it pl; *de publico redeuntes* corp, item D οταν ελθωσιν; id quod explicationis causa additum est; ραντισωνται ℵ B W Π aliq minusc Euth; pler al βαπτισωνται, etiam Ti; add και κλινων (lectorum) A D X Γ Π unc 9 al pler it vulg syr go arm Or. In v. 5 κοιναις ℵ* B D aliq minusc a (immundis), g^2 i q al vulg (communibus) cop arm; al pler ανιπτοις. In v. 6 pro τιμα D habet αγαπα, item *diligit* a b c (aeth honorant me et amant me); longe *abest* big ing mt; D αφεστηκεν. In v. 7 doctrinas praecepta (uti gr sine και) am big hub* ing ox lind harl hent it pl. In v. 8 add *baptismata* etc A X Γ Π unc 9 al pler it vulg (fecistis steph sixt) go syr aeth arm; item D it pl ante αφεντες. In v. 9 *fecistis* steph sixt. In v. 11 quodcumque *est* ex me rush wil; *proderit* big lich rush ept (marg). In v. 12 και ουκετι A X Γ Π unc 9 al pler f g^2 vulg go syr arm; non habent και ℵ B D Δ pl minusc a b c ff^2 i q cop aeth. In v. 13 per traditionem vestram *stultam* a b c ff^2 g^2 i n q sax corp harl; item D μωρα. In v. 15 pro communicant legunt *coinquinant* big dub ept* car ox val corp* harl sixt a b d q. Habent v. 16 A D X Γ Π unc 9 al pler it vulg go syr arm aeth Δ (corr); omittunt ℵ B L Δ* 28. 102. cop Ti W H. In v. 17 pler εις οικον. In v. 19 καθαριζων ℵ A B E F G H L S X Δ mu minusc Or; D καθαριζει, i et purgat; D εις τον οχετον. In v. 20 *coinquinant* lich ken ept (marg) sixt (item sixt in v. 23). In v. 22 ken furta, *falsa testimonia* (ex Matth 15,19).

Modo descripserat evangelista potentiam Christi et benignitatem plane divinam in multiplicatione panis, in ambulatione super aquas, in plurimis sanationibus : quotquot tangebant eum salvi fiebant; descripserat quoque studium ac fervorem turbarum quo ab eo maxima beneficia et miracula sedulo quaerebant. Iam plane aliud in medium affert, et bene advertit *Ians.* : ex personarum ac rerum collata diversitate singula magis elucescunt; ita ex collatione perversitatis scribarum et pharisaeorum cum populi simplicitate liquet omnibus quam hi fuerint insanabiles, per quos aliorum incredulitatem corrigi conveniebat; v. 1 *et conveniunt ad eum pharisaei et quidam de scribis venientes ab*

Ierosolymis, οἱ φαρισαῖοι posito articulo factio vel secta designatur, ita ut etsi aliqui tantum adsunt et loquuntur, tamen totius sectae rem agere censeantur. Simul cum his accedunt ad Iesum aliqui legis doctores vel rabbini; ἐλθόντες aliqui ad solos scribas referre volunt (*Keil, Weiss*), quia pharisaei ut secta non veniant ab urbe. Sed cum profecto in urbe eius sectae primores essent, haec ratio satis infirma videtur (cf. *Schanz*); praeterea Matth. 15,1 explicite dicitur ἀπὸ Ἱεροσολύμων φαρισαῖοι. Ab urbe itaque descendunt in Galilaeam; non videtur improbabile eos a synedrio esse deputatos ut Iesum, cuius fama magis in dies celebrabatur et qui ad pascha non in urbem ascenderat, observarent; quare συνάγονται congregantur ad eum; id quod longiorem commorationem et rerum gestarum explorationem indicare videtur.

Verum nihil quod reprehendant inveniunt, nisi quod recens aliquod praeceptum doctorum legis aliqui discipuli quandoque non satis observant v. 2 *et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est, non lotis, manducare panes, (vituperaverunt)*, sententia in graeco non absolvitur, sed longiore parenthesi interposita in v. 3 et 4, tandem in v. 5 continuatur, verum ita ut subiectum grammaticale repetatur et sententia cum καὶ annectatur, unde in v. 2 habes anacoluthon. Quod anacoluthon veteres aliqui vitarunt inserentes ἐμέμψαντο (vide lect. var.), recentiorum quidam trahentes καὶ ἰδόντες arcte ad ἐλθόντες; verum id vix fieri posse videtur, nam tum explicare debebis : congregantur ad eum postquam venerunt et viderunt; sed quando et ubi viderunt? Vix antequam ab urbe proficiscerentur; num eo tempore quo discipuli missi a Domino praedicabant? id aliqui opinantur. Sed coniunctio ex rei natura maxime obvia est, ut ἰδόντες interrogent v. 5, postquam ab urbe profecti ad Iesum convenerunt. Vident *quosdam*, « quid si omnes id facientes vidissent? non debuerunt quod omnes discipuli faciebant vitio vertere magistro, quanto minus, quod non omnes sed aliqui faciebant? etsi non arbitror ideo evangelistam dixisse *quosdam* ut indicaret non omnes sed aliquos tantum discipulos solitos fuisse illotis manibus vesci, sed potius ut innueret non omnes sed aliquos tantum a pharisaeis visos fuisse ita vescentes, idque satis fuisse hominibus ad calumniandum paratis ut inde occasionem arriperent, non solum discipulos omnes sed ipsum etiam Christum accusandi » (*Mald.*). Dicitur *commune*, κοινόν id quod est profanum; ita *Iosephus* quoque ait Iudaeos qui a patriis moribus desciverant κοινὸν βίον profanam vitae consuetudinem esse amplexatos (Antiq. 13,1.1); cf. Act. 10,15. Rom. 14,14. Haec lotio manuum considerabatur tamquam actio religiosa qua si ex commercio cum aliis vel ex rebus immundis quid profani manibus adhaereret id removeretur.

Talis lotio lege non erat praescripta sed inducta et praecepta a legis doctoribus vel rabbinis. Uti *Ed.* II p. 13 dicit, primum eius consuetudinis vestigium apparet in ea oraculorum sibyllinorum parte quae ad annum 160 ante Ch. circiter refertur (lib. III v. 591-593), sed usus iste praeprimis invaluit auctoritate Hillel et Schammai, qui cum in plurimis rebus definiendis inter se dissentirent hac in re eiusdem erant sententiae; porro cum isti in scriptis rabbinicis praecipuo quodam iure appellarentur seniores — uterque nominari solet simpliciter הזקן ὁ πρεσβύτερος — etiam usus ille vocatur traditio τῶν πρεσβυτέρων. Et quanti haec traditio aestimata sit, iam elucet ex accusatione quam pharisaei movent et pro tempore quoque posteriore ostenditur plurimis illis praescriptionibus de modo lavandi, de aqua, de vasis e quibus aqua affundi possit etc. quae habentur in tractatibus berachoth 8,2-4, chagiga 2,5-6, edujoth 3,2, jadajim 1,1-5; 2,3 (cf. *Schürer* l. c. II p. 405; *Surenhusius* tom. VI); immo, uti refert *Wünsche* p. 391 in sota fol. 4 b rabbi Serika eum perire ac damnari affirmat qui manus ante et post comestionem lavare omittat; plura de ea re vide apud *Lightfoot* ad Matth. 15,2 et *Schoettgen* eodem loco.

Non lege eiusmodi praescribi, sed a doctoribus evangelista monet et quam seduli sint in istis minutiis declarat v. 3 *pharisaei enim et omnes Iudaei* (*omnes* accipe modo loquendi populari dictum) *nisi crebro laverint manus non manducant tenentes traditionem seniorum, crebro* offensioni est; nam *crebro* eos lavare manus antequam manducent, profecto mirum esset nec ullibi a rabbinis praescribitur; quare lectio πυκνά erit reiicienda et altera πυγμῇ retinenda. Quae aliter nequit intelligi nisi: pugno manus lavare i. e. facto pugno palmas manuum fricare et lavare. Apud rabbinos saltem posteriores firma erat sententia gravius peccari si quis traditiones seniorum neglexerit quam si contra legem mosaicam deliquisset; praeterea statuebant: amabilia sunt verba scribarum prae verbis legis et graviora sunt verba seniorum quam verba prophetarum (cf. *Lightfoot* l. c. *Schürer* II p. 323; *Ed.* II p. 8. 15; *Weber,* System der altsynagogalen pal. Theologie p. 121 seq.); v. 4 *et a foro* scil. redeuntes *nisi baptizentur* ῥαντίσωνται nisi lustrentur aqua, aspergantur (cf. lect. var.) *non comedunt;* lege praescribuntur lustrationes, si certa quaedam immunditiei genera contrahebantur; vide Lev. 15,2-18; 11,32-37; pharisaei eiusmodi lustrationes iam fieri volebant, quando fortasse quis inscius aliquid immundi tetigisset vel in commercio cum aliis qui fortasse levitice immundi erant suspicari posset tale quid evenisse. Cum itaque in foro homines multi versarentur, inter quos esse poterant legaliter immundi et quorum forte unus vel alter pharisaeum tangebant, pharisaeus domum reversus sedulo se aqua lustrabat. De lotione

plena, de balneo vel baptismo secundum lectionem ῥαντίσωνται non est sermo [1]. Et videtur satis probabile pharisaeos sibi ritum faciliorem excogitasse, prout etiam in lotione manuum sibi constituerunt propriam caerimoniam quae satis facile peragi poterat; *et alia multa sunt quae tradita sunt illis servare,* quae observanda susceperunt, *baptismata calicum et urceorum et aeramentorum,* vasorum aeneorum, *et lectorum* scil. tricliniarium; omnia haec aqua eluebant antequam iis uterentur, quia fortasse calices et vasa aliqua animalcula immunda essent attacta vel quia fortasse aliquis immundus lectum tetigisset; intelligi lectos in quibus ad mensam accumbebant sententia est plurimorum (*Mald. Lap.* recentiores) quae contexta oratione suadetur, etsi κλίνη et de lecto triclinari et de alio adhibetur. Eiusmodi lecti aqua aspergebantur, calices, vasa immergebantur; quare βαπτισμός sensu quodam generali *purgationis* adhiberi videtur vel (si proprium retinere malueris) zeugmatice ut loquuntur ad lectos trahitur.

Quod dicitur v. 3 πυγμῇ νίψωνται pugno lavant manus, ingenia interpretum multum exercuit. *Theoph. Euth.* (ad Matth. 15,2) exponunt ἄχρι τοῦ ἀγκῶνος usque ad cubitum lavare; *Theoph.* enim ait : πυγμὴ γὰρ λέγεται τὸ ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος ἄχρι καὶ τῶν ἄκρων δακτύλων, πυγμὴ dicitur a flexu brachii usque ad extremos digitos. Verum haec explicatio valet de mensura quadam longitudinis, de cubito, quae mensura πυγών communiter dicitur, rarius πυγμή et in se 18 δακτύλους continet. Sed de tali mensura hic sermo non est neque vox *partem* illam brachii usque ad extremos digitos significat sed solum *pugnum,* manum in pugnum compositam vel contractam. Porro nequit explicari quomodo casu dativo exprimi possit *usque ad cubitum;* an per modum adverbii cubitaliter? ad quod *Ians.* notat, πυγμῇ nusquam reperiri apud Graecos adverbialiter neque e substantivis fieri eiusmodi adverbia a dativo desumpta. Iisdem duobus defectibus laborat quoque explicatio : usque ad iuncturam manus cum brachio (*Lightfoot, Ed.* II p. 11) vel usque ad iuncturam digitorum ad manum (*Schoettgen*), qua explicatione neque dativo neque vocis notioni satisfit. Haec tamen nonnullis placuit quia congruit cum variis praeceptis rabbinicis v. g. in tractatu de lotione manuum : manus polluuntur et lavantur usque ad articulum (עד פרק; tract. cap. 2,3; *Surenhusius* VI p. 483; alia vide *Lightfoot* ad Marc. 7,3; *Schoettgen* ad eundem locum; *Ed.* II p. 11). Aliam explicationem tentavit *Wetstein* quam *Rosenmüller* aliique adoptarunt : manum lavare πυγμῇ ὕδατος, « ex praeceptis enim rabbinorum minimum debebat adhiberi quartarius sive quarta pars logi quae continet ovum cum dimidio vel drachmas aquae circiter viginti septem; et in tract. de lotione manuum 1,1 : quartarius aquae destinatus est manibus pro uno homine; tract. sabbat fol. 82 a dicit rabbi Chasda : lavanti mihi quanta caperent pugilli mei aqua dederunt coelitus plenos pugillos felicitatis » (*Wetstein*). Qua expositione dativus declaratur; at difficillime credi potest voce πυγμή designari et intelligi posse pauxillum aquae. Quare cum plerisque recentiorum solum relinquitur ut vertamus : pugno manus lavare, quae interpretatio (pugillo lavare manus) iam habetur in versione vetere latina, vide lect. var.

1. Quod alii explicabant : de foro *empta* non comedunt nisi ea antea laverint (Kuinoel, Olshausen, Lange, Bleek) refutatione non indiget.

« Sed quid quaeso est : pugno lavare manus »? quaerit *Patr.* eam explicationem reiiciens. Res tamen videtur cogitari posse, scil. pugillo lavare manum cavam eamque fricare. Verum est hunc lavandi modum in scriptis rabbinorum non commemorari. Unde aliqui eam explicationem admitti posse negant. At nemo ostendere potest aut iure contendere vel omnia quae in talmude habeantur iam observata esse tempore Christi vel si qui ritus in talmude non exprimatur eum ne antea quidem exstitisse. Quare nos oportet esse valde cautos et in asserendis iis quae talmude narrantur et in negandis iis de quibus tacetur. Proinde cum verba evangelistae clara sint, sensus obvius retineatur oportet.

Vox ξέστης, uti Etymol. m. dicit ῥωμαϊκόν ἐστιν ὄνομα, sextarius, vas sextarii capax; bath Hebraeorum δύναται χωρῆσαι ξέστας ἑξήκοντα δύο, ait *Iosephus*, Antiq. 8,2. 9. Sextarius sexta pars erat congii (cf. *Wilke*, Lexicon gr. lat.). Etiam talmudistae utuntur voce קכבי, קכבא pro vase, lagena; cf. *Buxtorf*, Lexicon chald. p. 2076 seq.

Romanis non adeo gnaris morum Iudaeorum hanc explicationem v. 3. 4 evangelista dedit. Iam redit ad v. 2 et narrationem interruptam v. 5 *et interrogabant eum pharisaei et scribae : quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem?* i. e. cibum capiunt. Quam integris moribus et quanta legis mosaicae observatione discipuli fuerint, ipsi insidiatores hac una querela testantur; aliam scil. licet sedulo explorassent non repererunt, quamvis multum desiderarent magistrum quo reprehenderent invenire. Verum tale recipiunt responsum quod si praevidissent non fuissent interrogaturi; v. 6 *at ille respondens dixit eis : bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est : populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me,* i. e. quae Isaias de suis aequalibus dixit, haec plane quoque conveniunt in pharisaeos, vel ut *Vict.* bene dicit : nam sicut illi, de quibus sermo est, Deum labiis honorantes mente et animo ab eo aberant, ita et vos. Valet itaque de hoc quoque Isaiae loco, quod de alio (6,9) Paulus indicat Act. 28,25 et Stephanus aperte profitetur : sicut patres vestri, ita et vos (Act. 7,51). Iterum igitur verba prophetae implentur, quae de populo dixit, cum populus a prophetis per saecula tamquam una persona considerari soleat, valent et suo etiamnum robore constant. Quare dici potest *prophetavit de vobis*, quamvis verba non contineant vaticinium explicitum de Christi tempore. Loquitur itaque Christus dum verba Dei apud prophetam scripta transfert in pharisaeos, simili modo uti olim Deus apud Michaeam : populo meus, quid feci tibi? quia eduxi te de terra Aegypti et misi ante faciem tuam Moysen et Aaron (Mich. 6,3. 4; cf. Is. 43,3. Ier. 2,2. Ez. 16,3 seq. 23,2 etc.); v. 7 *in vanum autem me colunt, docentes doctrinas (et) praecepta hominum;* verba deprompta sunt ex Is. 29,13, hebr. in hac parte : timor eorum erga me (i. e. cultus eorum vel pietas, religio) est praeceptum hominum institutum i. e. continetur praeceptis

ab hominibus traditis, ritibus usu et consuetudine humana traditis. Verba magis concordant cum LXX, sed sensus est idem : ea quae docent hominum praecepta sunt, ideoque eorum cultus est vanus et inutilis. Cum LXX habeant μάτην σέβονταί με, hebr. legebant non תהי (uti habent massorethae) sed תהו i. e. tohu, uti similiter dicitur : tohu simulacra eorum, plastae idolorum sunt tohu, tohu quaerite me (Is. 41,29; 44,9; 45,19) i. e. vanum, inane, frustra; qua lectione gravior evadit reprehensio : inanis cultus eorum, praeceptum (scil. est) ab hominibus edoctum.

Iam probat Christus quam merito ad eos applicet verba illa. Idque duplici modo ostendit, prius quia mandatis Dei neglectis traditiones observant, dein quia immo suis traditionibus legem Dei evertunt eamque reddunt irritam ; v. 8 *relinquentes enim mandatum Dei tenetis traditionem hominum;* maiore studio hanc observant; potius Dei mandatum observare omittunt quam traditionem; qua in re iam cernitur illud quod in talmude conceptis verbis enuntiatur verba sapientum graviora esse quam verba prophetarum et verba doctorum maiore studio esse servanda quam verba legis (cf. tract. erubin fol. 21 b, *Wünsche* p. 391) ; *baptismata urceorum et calicum et alia similia his facitis multa,* vide lect. var.; hisce minutiis occupati negligunt ea quae verae sunt pietatis; reponunt Dei cultum in ritibus illis externis qui praeter legem assumpti sunt. Immo multo peius agunt; unde quasi novam materiam exorsus interponit evangelista v. 9 *et dicebat illis : bene* καλῶς praeclare, cum ironia dictum est, *irritum facitis praeceptum Dei, ut traditionem vestram servetis,* ἵνα recte dicitur, etsi illi negarent hanc esse suam intentionem. Nam uti exemplo v. 11-13 allato patet, revera sua constitutione de corban legem Dei reddunt vacuam et inefficacem ; iam vero possunt et debent intelligere id fieri perperam, quod cum nihilominus faciant, illis imputandum est ac si explicite facerent eum in finem, ut legem Dei abrogarent. Accusationem probat v. 10 *Moyses enim dixit : honora patrem tuum et matrem tuam*, cui mandato statim subditur sanctio : *et : qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur;* cf. Ex. 20,12; 21,17. Lev. 20,9. Deut. 5,16; 27,16; gravissima hac poena addita significatur ipsum mandatum esse grave eiusque negligentiam reputari culpam gravem.

Iam ad honorem parentibus debitum pertinet, ut si opus habent a filiis sustententur; v. 11 *vos autem dicitis : si dixerit homo patri aut matri : corban* (*quod est donum*) est vel esto, *quodcumque ex me tibi profuerit* i. e. id quo a me possis iuvari, esto donum Deo vel templo consecratum, qua sententia ex rabbinorum doctrina efficiebatur, ut parentes iam non sine sacrilegio rem illam sibi propriam facere pos-

sent; vide ad Matth. 15,5; res igitur illis erat interdicta, quorum ratione haec formula pronuntiabatur; ab aliis vero impune potuit absumi. Quare filius id quod parentibus debitum erat in suos poterat usus convertere; unde Christus suis verbis subdit quid ex tali doctrina reipsa sequatur (ita, ut sententia in v. 11 dicta maneat suspensa sine propria apodosi) v. 12 *et ultra non dimittitis eum quidquam facere patri suo aut matri,* v. 13 *rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis et similia huiusmodi multa facitis,* ἀκυροῦντες auctoritate privantes vel robore, infirmantes, invalidum reddentes verbum Dei [1]; nam eiusmodi vota quibus res interdicebantur non esse infringenda pariter statuebant. Cum Christus cum emphasi dicat *traditionem vestram quam tradidistis,* quam docuistis, quamvis antea de traditionibus seniorum ageretur, videtur exemplum de corban spectare non ad priscos doctores, sed ab ipsis demum pharisaeis et scribis recenter inductum (cf. *Schanz, Weiss*); sed fatendum est eodem modo dici posse, si doctrinam a prioribus acceptam ipsi amplectuntur eamque suis commendant discipulis.

Marcus itaque priore loco ponit oraculum Isaiae et dein ostendit recte id ad pharisaeos applicari. Matthaeus autem prius reipsa ostendit eos transgredi mandatum Dei et dein infert bene de iis prophetasse Isaiam. Uter ordo est praeferendus? Aliqui apud Marcum meliorem dispositionem deprehendunt, quia post citatum Isaiae testimonium applicando illud convenienti ordine ostendat dupliciter pharisaeos peccasse in mandata Dei per observationem traditionum humanarum (*Ians.*) et quia quod rei caput sit priore loco ponat (*Schanz*). Verum dici debet apud Matthaeum disceptationem hanc eo modo magis proponi quo animi audientium fortius percellantur et perstringantur. Quid enim statim ab initio efficacius insolentiam pharisaeorum retundit quam illud : quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? et ne qua tergiversatio vel excusatio locum habere possit, immediate exemplo res probatur 15,4-6. Quo exemplo plane convicti sunt; unde iam non possunt declinare reprehensionem et quam vere dicantur hypocritae et quam praeclare describantur verbis Isaiae manifestum est. Aliter apud Marcum, et nescio an eius ordo non ab illa efficacia et vi deficiat aliquantum. Statim qui interrogaverant appellantur hypocritae; sed cur ita vocentur nondum apparuit; unde possent oggerere : cur ita nos appellas? possent quasi de iniuria sibi illata indignari. Non ita apud Matthaeum; dum audiunt se esse hypocritas, id iam adeo aperte ostensum est, ut pudore suffusi tacere debeant. Apud Marcum prius asseritur praeclare de iis vâlere verba Isaiae et dein id probatur; apud Matthaeum prius reipsa eorum crimen probatur et dein adducto loco Isaiae acrius castigantur. Si apud Marcum audiunt assertionem, possunt adhuc irridere, indignari, ne-

1. « Pharisaeorum superfluum latratum furca rationis obtundit » *Ps. Hier.*

gare; si apud Matthaeum verba Isaiae iis applicantur, iam non possunt tergiversari, sed debent confusi silere. Proin si ita loqui fas est, apud Marcum prior ictus non ferit, ferit solum secundus; apud Matthaeum et prior et secundus ferit.

Qui volunt evangelistas in scribendo alterum ab altero res esse mutuatos, etiam hic quaerunt, uter sit prior. Marcum priorem esse alii contendunt, cuius ordinem mutaverit Matthaeus, cuius narrationem et mutaverit et breviorem reddiderit (*Meyer*); alii e contra Marcum esse secundo loco ponendum affirmant quippe qui varia permisceat atque confundat, ordinem sequatur ineptum, circumlocutionibus et sententiis generalibus utatur (*Keim*). Sed quomodo explicatur Marcum si habuit narrationem bene compositam et litteris consignatam voluisse eam perturbare et sine ulla ratione rerum ac sententiarum seriem et ordinem mutare? Quid ergo? Matthaeus scripsit prout rei recordatus est; Marcus, prout Petrus narravit et prout Romanis res esse declarandas iudicavit.

Pharisaei palam coram turbis (uti patet ex 6,56 et 7,14; cf. Matth. 14,36 et 15,10) Iesum interpellarunt et accusationem suam protulerunt. Dum Christus eos alloquens respondet, turbae sese recipiunt probabiliter quadam ductae reverentia virorum auctoritate apud plebem valentium. Christus autem contra ritus illos inanes etiam coram turbis reddere vult testimonium et docere ad quid sit attendendum, ut ostendat falso accusatos esse discipulos v. 14 *et advocans iterum turbam dicebat illis : audite me omnes et intelligite,* v. 15 *nihil est extra hominem introiens in eum quod possit eum coinquinare, sed quae de homine procedunt, illa sunt quae communicant hominem* i. e. eum coinquinant, immundum reddunt, a rebus sacris arcent. Christus ita loquitur, ut primo et per se videatur in mentem revocare non alimenta quibus vesci liceat hominem inquinare, verum eum reddi immundum lepra, fluxu seminis, etc., prout in lege declaretur (Lev. 13,2 seq. 15,2 seq.). Et eo modo turbae poterant eum intelligere et inde concludere cibis illis quibus Iudaei utantur vesci manibus non religiose lotis nullo modo hominem reddere immundum, quia de tali immunditie nihil in lege statuatur; statui enim immunditiem in iis quae procedant de homine. Ita videri poterat Christus plebem a traditionibus humanis revocare ad legem mosaicam. Sed prout verba referuntur Matth. 15, 11 : quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem, res statim ad mores transfertur. Atque idem etiam hic saltem innuitur, cum dicatur τὰ ἐκ τοῦ ἀνθρώπου ἐκπορευόμενα, sub qua dictione generali praecepta legis de *quibusdam* immunditiei generibus non adeo commode intelligi possunt. Idem innuitur v. 16 *si quis habet aures audiendi audiat,* qua monitione declaratur non esse haerendum in superficie, verum

rem esse perpendendam et bene ponderandam ut quo tendat deprehendatur. Unde probabile fit haec verba esse genuina, cum in subsequentibus pateat Christum minime sistere in legalibus, sed totum statim transferre ad mores.

Marcus effert discipulos domum reversos interrogasse; eos non interrogasse coram turbis ex Matthaei narratione colligi non posset; quare hic quoque Marcus rem magis determinat. Apud Matthaeum Petrus ponit quaestionem, apud Marcum generatim discipuli nominantur; omnium itaque nomine quaerit Petrus qui tamen in sua narratione noluit adeo explicite asserere se interrogasse quasi esset vel ceteris avidior sciendi vel familiarior Christo v. 17 *et cum introisset in domum a turba* i. e. cum domum venisset, ergo cum esset domi, in domo sua in Capharnaum, vel cum in *aliquam* intrasset domum, *interrogabant eum discipuli eius parabolam*, de sensu apophthegmatis; parabola enim est ὁ σκοτεινὸς λόγος (*Theoph.*), τὸ αἴνιγμα (*Euth.*); ponitur enim pro hebr. מָשָׁל. Miratur Christus discipulos nondum attigisse sensum v. 18 *et ait illis : sic et vos imprudentes estis?* οὕτως adeone? usque ad talem gradum etiam vos estis insipientes? *non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum communicare*, inquinare, reddere profanum, arcere a sacris; cuncta enim a Deo sunt creata, unde nihil per se est immundum, nihil per se coram Deo abominabile et malum eiusque odio subiectum; viditque Deus cuncta quae fecerat et erant valde bona (Gen. 1,31), opera Domini universa bona valde (Eccli. 39,21). Et rationem reddit Christus, quia ea in re tamdiu nihil mali esse potest quamdiu solum naturae institutum agitur neque hominis animus, voluntas attingitur v. 19 *quia non intrat in cor eius*, cibus per se non ingreditur cor, non inficit intellectum et voluntatem, ita ut per se hominis sentiendi agendique rationes in malum pervertat, sed cursum a natura institutum peragit, *sed in ventrem vadit et in secessum exit purgans omnes escas;* καθαρίζων qui scil. secessus ἀφεδρών purgat omnes escas (nominativus participii quandoque ponitur apud Graecos ἀνακολούθως, uti hic habes, et appositio saepius additur in nominativo; cf. *Buttmann* l. c. p. 68 seq.). Purgat autem cloaca (ἀφεδρών) escas, quia quae inutilia sunt secernuntur ac deiiciuntur; « per hoc enim quod natura egerit superfluum alimenti, id quod remanet purificat separato superfluo et immundo a mundo et necessario » (*Dion.* sim. *Alb. Ians. Lap. Calm.* etc.).

Scribit *S. Chrysostomus* (hom. 51 al. 52 n. 4 in Matth. *M.* 58,515) : Marcus dicit : purgans omnes cibos haec dicebat Christus; unde καθαρίζων refert ad λέγει v. 18 et verba haec addita esse a Marco indicat qui quo oratio Christi tendat significet; proinde hac explicatione adderet Marcus quadam praeoccupatione idem quod postea Petro dictum est Act.

10,15 : quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Eandem interpretationem etiam aliqui recentiores adoptarunt (*Field, Scrivener*[1], *Cook, Ed.* II p. 23) vel valde probabilem censent (*Baur, Koestlin*). Verum, uti verba iacent, participium nimio intervallo distat a λέγει quam ut ad λέγει possit pertinere; debuit addi id quod S. Chrys. utique addit : ταῦτα ἔλεγεν καθαρίζων etc. Sententia hic in v. 18. 19 enuntiata valet in universum, etiam pro vetere testamento. Nunquam enim cibus ipse reddidit hominem inquinatum, sed inobedientia eum contaminat, si contra praeceptum legitime latum cibis vescitur vetitis; cum contaminat non cibus, sed inordinata concupiscentia, ingluvies, intemperantia. Unde maxime ridendi sunt qui ex hoc loco insurgant contra constitutiones ecclesiasticas de abstinentia a certo ciborum genere certis diebus observanda et de ieiunio. Haec enim salubriter praescribuntur ut moneamur de necessitate agendae poenitentiae; haec instituta sunt praeter alia etiam ut verbum Christi 2,20 suum sortiatur effectum. Nonne Deus iam in paradiso aliquam dedit abstinentiae legem? nonne apostoli quibusdam ecclesiis legem abstinentiae tulerunt (Act. 15,23-29)? Omnem itaque superstitionem Christus excludit docens non cibo hominem contaminari coram Deo, sed malis animi concupiscentiis, inobedientia, vitiis. Haec utique moneri oportuit quoniam pharisaei in externa observantia religionem reponebant. Hisce simul paratur via qua discipuli intelligant praecepta illa de cibis mundis et immundis posse abrogari. Quae doctrina quam necessario proponatur collige ex Act. 15,5. Rom. 14,2 seq. Col. 2,16. 21. 1 Tim. 4,3 etc.

Iam quae revera hominem contaminent exponitur v. 20 *dicebat autem quoniam quae de homine exeunt illa communicant hominem ;* v. 21 *ab intus enim de corde hominum malae cogitationes procedunt*, unde simul patet quid sibi velit *cor* in v. 19; διαλογισμοί consilia, ratiocinationes, *adulteria, fornicationes,* vitia carnis quibus plerique vel implicantur vel oppugnantur, *homicidia,* v. 22 *furta, avaritiae,* varia scil. artificia quibus cupiditates lucrandi et possidendi cum iniuria aliorum expleantur, *nequitiae,* machinationes malignae, *dolus,* fraudes, *impudicitiae* ἀσέλγεια lascivia, impudica et effrenata petulantia, voluptas libidinosa, *oculus malus,* invidia (*Theoph.*), *blasphemia, superbia, stultitia* ἀφροσύνη insipientia, eo scil. sensu quo in s. litteris pessimi peccatores insipientes, stulti dicuntur; cf. hebr. נָבָל, נְבָלָה 1 Sam. 25, 25. 2 Sam. 13,12. Ps. 14,1; 53,2. Is. 9,16; 32,6 etc. Cum emphasi concluditur v. 23 *omnia haec mala ab intus procedunt et communicant hominem,* et ut apud Matth. additur : non lotis autem manibus

1. A plain Introduction etc. p. 583.

manducare non coinquinat hominem; ita sermo redit ad id ex quo exorsus est et Christus a cavillatione pharisaeorum opportunitatem nactus est et exponendi palam eorum hypocrisin et documenta verae pietatis tradendi discipulis eosque revocandi a caerimoniis quae sine mente et ratione exerceantur.

d) Iesus in regionibus phoenicia et decapolitana 7,24-37.

7,24. Et inde surgens, abiit in fines Tyri et Sidonis, et ingressus domum, neminem voluit scire; et non potuit latere. 25. Mulier enim statim ut audivit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes eius.

26. Erat enim mulier gentilis, Syrophoenissa genere. Et rogabat eum, ut daemonium eiiceret de filia eius. 27. Qui dixit illi : Sine prius saturari filios; non est enim bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. 28. At illa respondit, et dixit illi : utique, Domine; nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. 29. Et ait illi : Propter hunc sermonem vade; exiit daemonium a filia tua. 30. Et quum abiisset domum suam, invenit puellam iacentem supra lectum, et daemonium exiisse.

31. Et iterum exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos. 32. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum ut imponat illi manum. 33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius; et exspuens, tetigit linguam eius :

34. Et suspiciens in coelum, ingemuit, et ait illi : Ephphetha, quod est, adaperire. 35. Et statim apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius; et loquebatur recte. 36. Et praecepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant. 37. Et eo amplius admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mutos loqui.

7,24. Ἐκεῖθεν δὲ ἀναστὰς ἀπῆλθεν εἰς τὰ ὅρια Τύρου καὶ Σιδῶνος . καὶ εἰσελθὼν εἰς οἰκίαν, οὐδένα ἤθελεν γνῶναι, καὶ οὐκ ἠδυνάσθη λαθεῖν. 25. ἀλλ' εὐθὺς ἀκούσασα γυνὴ περὶ αὐτοῦ, ἧς εἶχεν τὸ θυγάτριον αὐτῆς πνεῦμα ἀκάθαρτον, ἐλθοῦσα προσέπεσεν πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ· 26. ἡ δὲ γυνὴ ἦν Ἑλληνίς, Συραφοινίκισσα τῷ γένει· καὶ ἠρώτα αὐτὸν ἵνα τὸ δαιμόνιον ἐκβάλῃ ἐκ τῆς θυγατρὸς αὐτῆς. 27. καὶ ἔλεγεν αὐτῇ, Ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα· οὐ γάρ ἐστιν καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων, καὶ τοῖς κυναρίοις βαλεῖν. 28. ἡ δὲ ἀπεκρίθη καὶ λέγει αὐτῷ, Ναὶ, κύριε· καὶ τὰ κυνάρια ὑποκάτω τῆς τραπέζης ἐσθίουσιν ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν παιδίων. 29. καὶ εἶπεν αὐτῇ, Διὰ τοῦτον τὸν λόγον ὕπαγε. ἐξελήλυθεν ἐκ τῆς θυγατρός σου τὸ δαιμόνιον. 30. Καὶ ἀπελθοῦσα εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, εὗρεν τὸ παιδίον βεβλημένον ἐπὶ τὴν κλίνην καὶ τὸ δαιμόνιον ἐξεληλυθός.

31. Καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου ἦλθεν διὰ Σιδῶνος εἰς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας, ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως. 32. καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν καὶ μογιλάλον, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα. 33. καὶ ἀπολαβόμενος αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὄχλου κατ' ἰδίαν ἔβαλεν τοὺς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὦτα αὐτοῦ, καὶ πτύσας ἥψατο τῆς γλώσσης αὐτοῦ, 34. καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐστέναξεν καὶ λέγει αὐτῷ, Ἐφφαθὰ, ὅ ἐστιν Διανοίχθητι. 35. καὶ ἠνοίγησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαί, καὶ ἐλύθη ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ, καὶ ἐλάλει ὀρθῶς. 36. καὶ διεστείλατο αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ λέγωσιν· ὅσον δὲ αὐτοῖς διεστέλλετο, αὐτοὶ μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον. 37. καὶ ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες, Καλῶς πάντα πεποίηκεν ὡς καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν, καὶ ἀλάλους λαλεῖν.

In v. 24 Τι om και Σιδωνος, W H uncis includunt; habetur in ℵ A B N X Γ Π unc 9 al pler c f $g^{1\,2}$ q vulg cop syr (excipe ev hier) arm aeth go. In v. 25 ακουσασα γαρ

γυνη A N X Γ Π unc 9 al pler a n; αλλ ευθυς ακ. ℵ B L Δ 33. f; mulier *autem* mt ox; ev hier : sed statim ut audivit de eius benignitate (sicut 5,27). In v. 26 συραφοινικισσα B N al plus 100; U al pauc a q συραφοινισσα; συρα φοι. E F G H M S V X Γ; συροφοι. ℵ A K L Δ Π al mu go. In v. 28 και γαρ A L N X Γ Π unc 8 al pler a f g$^{1\,2}$ l n q vulg syr (p) go; ken sub mensa *dominorum suorum*. In v. 29 b contingat tibi de filia tua ut cupis. In v. 31 ηλθεν δια Σιδ ℵ B D L Δ 33. it (excipe q) vulg cop syr (hr) aeth; και Σιδωνος ηλθεν (προς) A N X Γ Π unc 9 al pler q syr go arm. In v. 35 et statim apertae sunt, ευθεως pler codd (excipe ℵ B D L Δ 33. 102. a b ff^2 i q cop) et verss.

Iesus ad tertium pascha non ascendit in Ierusalem; immo per aliquod tempus sese insidiis Iudaeorum subtrahit; id quod etiam notatur Ioan. 7,1 : post haec autem ambulabat Iesus in Galilaea; non enim volebat in Iudaeam ambulare quia quaerebant eum Iudaei interficere; id quod de eodem tempore dicitur, de quo etiam Marcus narrat v. 24 *et inde surgens abiit in fines Tyri et Sidonis*, « scribis et pharisaeis calumniatoribus derelictis transgreditur in partes Tyri et Sidonis » (*Beda*), non abit praedicaturus, sed ut paululum requiesceret (*Euth.*) vel discipulis opportunitatem quiescendi praeberet; cf. 6,31. Quare nullo modo contra id agit quod discipulis praescripserat (Matth. 10,5). Sunt quoque qui censeant Iesum itinere hoc in regiones gentilium, in regiones igitur opinione pharisaeorum immundas, suscepto voluisse re ipsa illustrare quod modo docuisset v. 15 seq., dum alii colligunt eum discipulos docuisse etiam gentibus ianuam salutis iri apertum (*Vict.*) et regnum Dei esse ad gentes transferendum (*Ians.*). Quidquid opinatus fueris, id certum est in exemplo mulieris gentilis gravia discipulis exhiberi documenta; et cum Christus quid futurum esset praesciret, ea suis proponi voluit. Cum dicatur *et inde* ἐκεῖθεν, aliqui id referunt ad domum v. 17; verum plerique melius explicant solum designari Christum recessisse e regione in qua tum versabatur, e Genesareth; neque obstat *surgens* ἀναστάς ἀπῆλθεν id quod Hebraeorum more dicitur, cum verbis eundi, proficiscendi sexcenties verbum קום praemitti soleat in vetere testamento. Abiit Iesus *in fines*, ὅρια, in partes (μέρη, Matth. 15,21), ergo in regiones quae ad ditionem Tyri et Sidonis pertinebant. Neque enim *Sidonis* omitti potest (vide lect. var.), neque cum aliquibus codicibus et textu recepto qui dicitur legendum est εἰς τὰ μεθόρια, in confinia, quasi Christus solum in loca regioni Tyriorum adiacentia et vicina profectus esset, non in ipsos eorum fines, quae explicatio neque cum Matth. 15, 21 neque cum v. 31 congruit.

Neque tamen in regiones illas abiit, ut eodem atque apud Iudaeos ministerio fungeretur, i. e. munere scil. praedicationis ac sanationum; ideoque dicitur *et ingressus domum neminem voluit scire* se scil. ibi adesse; ut homo fecit ut lateret quantum in ipso erat nec palam se ma-

nifestando et suis praecipiendo silentium (*Ians.*). Modus loquendi ad humanam agendi rationem conformatur et sic explica *voluit;* nam si absolute divina voluntate voluisset, etiam nemo eum adesse advertisset, *et non potuit latere;* nam fama eius iam dudum in eas quoque regiones propagata erat et inde quoque multi ad eum in Galilaeam confluxerant; vide 3,8, Matth. 4,24. Luc. 6,17. Quaerunt sitne ingressus in domum alicuius Iudaei an gentilis. Ea in regione etiam Iudaeos habitasse certum est; unde aliqui concludunt domum pii Iudaei eum intrasse (*Meyer, Keil*). Verum quia mulier gentilis sine ulla mora etiam eodem ingreditur neque a quoquam prohibetur neque impeditur, potius de domo gentilis vel de communi quodam ac publico deversorio cogitandum erit; v. 25 *mulier enim* (ἀλλὰ, mulier *autem*, in oppositione ad id quod Iesum voluisse dictum est v. 24; *enim* spectat ad illud: non potuit latere) *statim ut audivit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum;* cf. 1,23; nota hebraismum ἧς... αὐτῆς, *intravit et procidit ad pedes eius;* Marcus hic rem breviter perstringit; nam ut Matthaeus narrat, iam in via opem Iesu imploraverat; ea igitur Marcus praeteriit. Verum ipse solus commemorat Iesum intrasse domum, voluisse latere, mulierem eum esse secutam usque in domum; v. 26 *erat enim mulier gentilis,* ἡ δὲ γυνή, mulier *autem* (uti plerique codices vulg. quoque habent, idque rectius) erat Ἑλληνίς, non natione sed religione adeoque gentilis; « latinum nomen *gentilis* in novo testamento atque adeo in libris Machabaeorum (2 Mach. 4,10. 13; 6,8) positum fere reperitur quoties in graecis exemplaribus ἑλλην *graecus* vel aliud ex hoc deductum » (*Patr.*); ita Iudaei et Graeci alias quoque nominari solent, ut designentur Iudaei et reliquae gentes, sicut dici solebat apud veteres: Graeci et barbari; *Syrophoenissa genere* i. e. oriunda ex Syrophoenicia, ex Phoenicia quae erat pars Syriae; vocatur Syrophoenissa; Romanis enim etiam Libyphoenices noti erant, scil. Poeni qui Libyam incolebant. A Matthaeo dicitur Chananaea, « Phoenicia enim primo pars fuit Chanaanitidis (Gen. 10,15. 19), nam Chanaan Phoenicum auctor (Gen. 10, 15-19), deinde reliqua Chanaanitide ab Israelitis occupata hoc nomen uni Phoeniciae mansit (Is. 23,11 coll. 1); ex quo autem Iudaea, Palaestina, Phoenicia, Syria finitimaeque harum regiones Romanis subditae fuerunt, omnes in unam provinciam contributae Syria communi nomine vocari coeperunt, ita tamen ut distinguerentur Syri Iudaei, Syri Palaestini, ceteri, itidemque Syri Phoenices » (*Patr.*).

Forma feminina ex Φοίνιξ usu communi est Φοίνισσα; sed cum codd. plerique praebeant Φοινίκισσα, haec forma erit retinenda, quae fortasse ex φοινικίς orta est, uti φυλάκισσα ex φυλακίς (cf. *Schanz*); si scribitur Σύρα Φοιν. explica Σύρα per modum adiectivi (cf. *Schegg*).

Mulier ex iis quae de Iesu audivit maximam concepit fiduciam, *et rogabat eum ut daemonium eiiceret de filia eius;* Iesus autem muneris sui rationem peculiarem ac praecipuam in medium affert; uti enim apud Matthaeum dicit : non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel, ita hoc loco missionem suam ac beneficia primo et per se Iudaeis destinari affirmat v. 27 *qui dixit illi : sine prius saturari filios;* populum electum, Iudaeos, eo nomine designat, uti Ex. 4,23 de Israel dicitur : dimitte filium meum; cf. Is. 1,2. Ier. 31,20. Os. 11,1, quam dignitatem theocraticam filiationis apostolus quoque inter iura praecipua populi enumerat, ὧν ἡ υἱοθεσία, quorum adoptio est filiorum (Rom. 9,4). Iesus itaque id enuntiat quod postmodum apostolus asseruit : vobis oportebat primum loqui verbum Dei (Act. 13,46; *Alb.*) et quod alias quoque indicat Iudaeo primum evangelium esse virtutem Dei in salutem (Rom. 1,16; 2,9. 10); idque tum temporis eo magis, quia Ecclesia nondum fundata et redemptione nondum peracta medius paries maceriae nondum erat solutus (Eph. 2,14). Et beneficia messiana eo tempore solis destinari Iudaeis affirmat : *non est enim bonum sumere panem filiorum et mittere canibus* τοῖς κυναρίοις catellis; nomine deminutivo utitur, quas voces in aramaico non defuisse, vide ad Matth. 15, 26. Sermo est proverbialis, quo declaratur pro temporis ratione solos Iudaeos esse filios et pertinere ad familiam, cui beneficia messiana debeant obtingere; alienigenas non posse mensae huic accumbere nec reputari inter filios vel membra familiae, verum potius eum in hac domo Dei occupare locum quem catelli soleant. Responsio Christi ad speciem dura videtur. Centurioni petenti statim acquievit (Matth. 8,7), qui tamen et ipse non erat ex Israel. Sed discrimen in eo est, ut ille proselytus, veri Dei cultor fuerit (cf. Luc. 7,4. 5), mulier haec autem Ἑλληνὶς τὴν θρησκείαν (*Euth.*). i. e. idololatra, quae ut talis utique a Dei domo et familia erat plane aliena.

Verum summo desiderio impetrandi beneficium et certa de Iesu benignitate fiducia mulier redditur sagax, ita ut ex ipsis Iesu verbis suam capiat opportunitatem Iesumque sua ipsius sententia quasi obstringat ad obsequendum petitioni v. 28 *at illa respondit et dixit illi : utique, Domine, nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum;* nihil perit filiis, nihil eis demitur, si ex illorum abundantia mihi aliquid beneficii tribueris; immo plane convenit, ut ex copia eorum mihi aliquid contingat; « quia ergo catella sum, non aliena sum, neque de micis participare prohibeor;... quod ergo adeo repulsa non discessit fidei erat, quod vero se catellam est professa humilitatis, quod autem a Christi sermonibus patrocinium sibi aptaverit prudentiae » (*Euth.*). Fidem, patientiam, humilitatem ab ea exhiberi *Beda* quoque

commemorat. Et tantae fidei et humilitati Christus non negat praemium v. 29 *et ait illi : propter hunc sermonem vade, exiit daemonium a filia tua,* cum scil. sermo magnam fidem et devotionem indicet, ut *Alb.* ait; quam fidem eo quoque mulier iterum comprobat, quia credit Iesum tantae esse potentiae ut absens solo voluntatis nutu daemonem expellat; v. 30 *et cum abiisset domum suam, invenit puellam iacentem supra lectum,* placide itaque quiescentem, *et daemonium exiisse*, id quod ex illa quiete iam concludi poterat et deinceps toto puellae habitu patebat.

Discipuli hoc eventu docentur beneficia messiana primo Iudaeis esse offerenda et Iesum hanc populi electi dignitatem agnoscere et servari velle; proinde ipsi quoque admonentur, ut pro suis popularibus strenue laborent eorum salutem modis omnibus procurantes, quod documentum S. Paulus praeclare aemulatus est (Rom. 9,1 seq. 11, 13. 14). Simul autem discunt fide in Iesum gentes quoque dignas reddi quibus beneficia praestentur, discunt quid valeat fides, cum ea a Iesu quasi invito miracula impetrentur; cernunt in muliere gentili talem fidem et humilitatem, dum apud scribas et pharisaeos fastidium, superbiam, inimicitias in Iesum non possunt non advertere. Unde eo quoque eventu verba Iesu illustrantur : non inveni tantam fidem in Israel; multi ab oriente et occidente venient et recumbent in regno coelorum, filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores (Matth. 8,10-12).

Iesum diutius in regione gentilium extra Galilaeam versatum esse adeoque per aliquod tempus se subtraxisse invidiae pharisaeorum, etiam patet ex itinere eius quod Marcus describit v. 31 *et iterum exiens de finibus Tyri* (et iterum, cf. v. 24; aliis quandoque placet iungere : et iterum venit ad mare Galilaeae) *venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos ;* mare scil. Galilaeae est terminus ad quem tendit iter faciens per Sidonem et per tractum Decapoleos. Proin de finibus Tyri perrexit Sidonem; lectio διὰ Σιδῶνος auctoritate testium retineatur oportet; quod in textu recepto legitur (eum de finibus Tyri et Sidonis exiisse), solum conformatum est ad v. 24, uti apparet, fortasse quia mirum videbatur Iesum Sidonem esse ingressum. Sed *per Sidonem* de ipsa urbe intelligere oportet, uti sequitur ex oppositione ad *fines* Tyri; quare arbitrarium est cum *Calm. Fil.* dicere eum non per Sidonem, sed per eius urbis fines transiisse. A Sidone per Libanum et Antilibanum montes profectus est in regionem decapolitanam; « decapolitana regio a numero oppidorum, in quo non omnes eadem observant, plurimum tamen Damascum, Philadelphiam, Raphanam, Scythopolim, Gadara, Hippon, Dion, Pellam, Galasam (Gerasam?), Canatham »

(*Plinius*, h. n. 5,18. 74; cf. *Schürer* II p. 84; vide quae dixi ad Matth. 4,25). Longiore hac profectione verno tempore per regiones amoenas etiam discipulis illam praestitisse censendus erit requiei opportunitatem, de qua 6,31 locutus erat. Matthaeus eiusdem meminit itineris 15,29, verum multo brevius.

Cum autem Iesus ad mare Galilaeae veniret in eam fere regionem in qua ante aliquod tempus panes multiplicaverat, accesserunt ad eum turbae multae habentes secum mutos, caecos, claudos etc. (Matth. 15, 30). Ex illis sanationibus multis unam Marcus accuratius refert v. 32 *et adducunt ei surdum et mutum*, μογιλάλον, quae vox cum proprie dicat aegre vel difficulter loquentem, multi censent eum non fuisse plane mutum, verum solummodo lingua impeditum, fortasse ex morbo (cf. *Salmeron* t. 6 tract. 30, *Cai. Mald. Ians. Lap. Calm. Patr. Schegg, Fil.*), quam acceptionem plerumque ex eo quoque confirmant quod sanatione facta dicitur eum *recte* locutum esse, proinde facile et expedite. Nihilominus alii tenent eum fuisse mutum (*Schanz, Keil, Weiss*); atque LXX hebr. אִלֵּם Is. 35,6 reddunt μογιλάλος, qua voce etiam utuntur Aquila, Symmachus, Theodotio ad Ex. 4,11 (vide tamen *Field*, Hexapla ad Ex. 4,11). Quare mutus ea voce designari potest. Accedit quod v. 37 turbae laudant Iesum quod fecerit ἀλάλους mutos loqui, quod encomium ex hoc miraculo originem ducit. Proinde versio vulg. retineri potest; *et deprecabantur eum, ut imponat illi manum*, « eum qui pro se Dominum orare non potuit, pii pro illius salute solliciti et illius calamitatem miserati ad Dominum ducunt ac pro illo deprecantur sola manus impositione credentes duo simul mala posse tolli ab hoc misero » (*Ians.*). Rogant ut manum ei imponat; certe quippe noverant Iesum attactu vel impositione manuum iam multos curasse; cf. 1,31 et 5,41 et 6,5; Matth. 8,3. 15; 9,25. Luc. 13,13. Hominem a daemone esse eum in statum redactum *Theoph. Salm. Dion.* gratis asserunt.

Bene notat *Mald.* : « videtur voluisse Christus non semper aequaliter suam divinitatem potentiamque declarare, quod non semper, etiam si nos causa lateat, convenire iudicaret; aliquando solo verbo daemones eiicit, mortuos exsuscitat; aliquando tactu, saliva, luto sanat aegrotos, accommodans quodammodo potentiam suam ad modum agendi causarum naturalium et ad sensum ac consuetudinem hominum ». Atque in hac sanatione eius rei exemplum cernitur illustre v. 33 *et apprehendens eum de turba seorsum*, eum abduxit a turba, separavit ἐχώρισεν (*Euth.*). Cur ita, varie explicant, ne miracula videretur spectaculo exponere (ἵνα μὴ δόξῃ θεατρίζειν τὰ θαύματα, *Euth.*) nosque doceret gloriam fugere humanam (*Vict. Salm. Dion. Ians. Calm.*), ne a turba impediretur vel turbaretur (*Bleek, Fritzsche*); vel eum secreto sanasse

ne videretur velle munere suo ordinario fungi (*Weiss*), vel oculis hominum sese subtraxisse quia turbae rudes ad res spirituales quasi callo obducto doctrinam Iesu non susciperent et quo commodius ac melius fidem excitaret ipsius aegroti (cf. *Schanz, Fil.*); credo ego, ait *Mald.*, eodem consilio Christum eum a turba hominum semovisse quo paulo post v. 46 praecepit illi ceterisque qui illum adduxerant ne cui dicerent; *misit digitos suos in auriculas eius et exspuens tetigit linguam eius* i. e. cum exspuisset tetigit saliva linguam eius; neque enim est credibile (ut *Mald.* notat) in os muti inspuisse, id quod tamen *Schegg* factum esse putat quia Iesus eodem tempore et digitos duarum manuum in ambas immisisset auriculas et exspuens tetigisset linguam. Hisce Iesus fidem hominis surdomuti excitare eumque ad gratiam sanationis accipiendam praeparare voluit signis iis eum edocens quid ei praestare posset et vellet. Ad hoc enim signa illa apta erant; « quia qui surdi sunt videntur re aliqua obturatas habere aures, mittit digitum in aures surdi quasi clausas et obturatas terebraturus aut impedimentum quod in illis erat ablaturus digito; et quia qui muti sunt videntur ligatam nimia siccitate habere linguam palatoque adhaerentem ideoque loqui non posse (sicut propheta ille dixit : lingua mea adhaesit faucibus meis, Ps. 21,16; cf. Ps. 136,6 adhaereat lingua mea faucibus meis, id est, mutus fiam, si non meminero tui, id est, nisi laudes tuas praedicavero) mittit salivam in os muti quasi eius linguam humectaturus » (*Mald.*).

Sicut itaque Christus alias attactu vel impositione manuum curavit aegros, ita nunc saliva quoque utitur, ut ostendat omnes corporis sui partes propter coniunctam divinitatem esse salutiferas et sanctas, quam rationem *Theoph. Euth. Salm. Dion. Ians. Mald.* reddunt; v. 34 *et suspiciens in coelum*, « ut inde mutis loquelam, inde surdis auditum, inde cunctis infirmitatibus medelam doceret quaerendam esse » (*Beda*), quemadmodum saepius antequam miracula patraret orare solebat ad Patrem; cf. 6,41; 8,6. Ioan. 11,41; ea igitur quae faciebat, ad Patrem coelestem, bonorum omnium fontem referebat (*Vict.*), *ingemuit*, per modum scil. alicuius vehementissimae orationis (*Sylv.*); gemitum ad orationem referunt *S. Gregorius* (hom. in Ez. I, 10. 20; *M.* 76,894) *Bed. Mald. Calm. Schegg, Schanz*, « non quod ipse necessarium gemitum haberet qui dabat quod postulabat, sed nos ad eum gemere qui coelo praesidet docuit » (*S. Greg. Bed.*). Frequenter quoque gemitum explicant ita ut Christus miserari censeatur hominis naturam, in qualem scil. miseriam eam egerit invidia diaboli et protoparentum peccatum vel ut Christus miseriae muti et surdi condoleat (cf. *Vict. Euth. Salm. Fab. Dion. Ians. Lap. Bisp. Patr. Fil.*); *et ait illi : ephphetha*,

quod est adaperire; aramaice אִתְפַּתַּח [1]; quod verbum cum significet aperire et etiam solvere v. g. vincula, saccum (aperire vincula scil. est solvere; cf. Iob 30,11; 38,31; 39,5. Ps. 30,12. Is. 20,2), refertur ad aures aperiendas et vinculum linguae solvendum; vide v. 35. Lingua enim muti ligata esse censetur. Retinuit Marcus ipsam vocem qua Iesus usus est, uti 5,41 et 7,11; ita scil. Petrus, rei gestae testis, narrare solebat, atque ea voce servata conciliatur narrationi maior fides et auctoritas, cum ostendatur eventum illum alte esse impressum animo et memoriae eius qui narrat. Neque abs re notat *Mald.* : « tamquam si nos Platonis aliquam sententiam proferentes non latinis eam, sed graecis iisdem omnino quibus ille usus sit verbis recitemus, haud dubium quin et augeamus fidem et orationi plus auctoritatis gravitatisque adhibeamus ».

Dixit et facta sunt; verbum Domini id efficit quod significat v. 35 *et statim apertae sunt aures eius et solutum est vinculum linguae eius et loquebatur recte;* etiam apud profanos legitur δεθῆναι τὴν γλῶσσαν, γλώσσης δεσμὸν λύειν, γλῶτταν λύειν δεδεμένην (cf. *Wetstein* ad h. l.). Censent aliqui surditatem fuisse unam causam et solam cur mutus quoque fuerit (cf. *Schanz, Weiss*). At eo ipso quod Christus linguam eius saliva tetigit, uti digitis aures, potius concludendum erit, uti in auribus exsistebat defectus naturalis et impedimentum, ita in lingua quoque; proin praeter surditatem aliud quoque adfuisse ex quo mutus redderetur; id quod magis etiam congruit ad v. 32 et 37 et ad vinculum linguae solutum, quod profecto hic non dicitur metaphorice de magna quadam dicendi copia et libertate; si autem subiungitur *loquebatur recte* ὀρθῶς, miraculi magnitudo designatur, ut scil. statim receperit usum loquelae rectum, planum, clarum, qui antea alios loquentes minime audierit. Dicitur *recte* etiam in oppositione ad sonos quosdam inconditos quos surdomuti quandoque edere solent. Si itaque surdus fuit et mutus a nativitate, simul voce illa Christi notitiam linguae aramaicae accepit infusam. Quod tamen ii non concedunt qui μογιλάλον explicant de eo qui balbutiat vel solum impeditus sit in usu linguae vel qui eum defectum morbo esse inductum censent. Quod dicitur *loquebatur recte,* videtur significare, ait *Ians.,* « quod prius quidem loquebatur, sed non recte nec expedite; deinde si natura surdus fuisset et mutus, sublato vinculo linguae loqui adhuc non potuisset nisi prius didicisset »; et idem quoque infert *Sylv.* « nam qui surdi sunt a nativitate, neque recte neque non recte sciunt aliquid loqui ». Sed tamen

1. Ita communiter statuunt. Aliter tamen *Neubauer*, The dialects in Palestine, Studia biblica, Oxford 1885 p. 39, qui εφφαθα refert ad הִפָּתַח.

dubito num tanta futura fuisset populi admiratio quanta subsecuta est, si Christus solum restituisset sanitati hominem qui ex aliquo tempore vitio aurium et linguae laborare coepisset.

Uti hominem quem curare volebat semovit a turba, ita nunc quoque miraculum non vult efferri in vulgus, v. 36 *et praecepit illis*, scil. qui hominem adduxerunt et pro eo deprecati erant v. 32, *ne cui dicerent; quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant* i. e. studium illud quo Iesus praecipiebat illi longe maiore contentione ac studio rem evulgandi superabant. Admirationem et animum gratum cohibere non poterant; faciunt scil. quod homines facere solent, qui benefactores, licet hi recusent, laudant et praedicant (*Theoph.*). Christus ita agebat, uti consultum erat propter concitationem turbarum falsamque regni messiani exspectationem, vel (ut saepe rem concipiunt) uti modestia nostrumque omnium institutio postulabant, illi autem qui beneficium acceperant, cum praedicabant, uti aequitas postulare videbatur. Etiam hic dici potest quod monui ad Matth. 9,31, fortasse eos putasse Christum modestiae suae causa, neque adeo serio, ne dicerent vetuisse. Neque id mirum esset, cum tam multi postea tam docti viri idem existimaverint, ut *Mald.* notat. Quare plerique eos a culpa absolvunt; vel si qua culpa fuerit, eam dignam fuisse dicunt venia, cum esset contracta si minus obediente, grato tamen et amante animo. Sed cur Christus prohibebat, si sciebat id eos non esse facturos? Respondet *Mald.* alia posita quaestione : « cur nobis praecepta tradit quae nos non observaturos novit? facit ille quod debet quodque in se est, quamvis non ignoret nos quod debemus quodque in nobis est minime facturos ». Ex illo praecepto cum tali praevisione dato censet *S. Aug.* Christum voluisse pigris ostendere, quanto studiosius quantoque ferventius ipsum praedicare deberent quibus ut praedicarent mandaret, quando illi qui prohibiti essent tacere non potuissent (de cons. evang. 4,4. 5; *M.* 34, 1219). Verum longius quam par est aliqui progrediuntur inde inferentes Christum non serio praecepisse videri ne quid dicerent, sed potius ut magis ad dicendum incitaret (cf. *Sylv.* lib. 6 cap. 3 qu. 11). At id omnino dici potest cum *Salm. Ians.* eos illa prohibitione revera magis provocatos esse, ut eum praedicarent; nam « eo vehementius aspiciebant magnitudinem eius qui cum talia posset ac praestaret, non solum nihil exigebat praemii, sed ne gloria quidem tam insignis facti frui cupiebat; sed ut est hominis vere benefici non exigere laudem pro beneficio, ita grati hominis est hoc ipso impensius referre gratiam, quo qui beneficium dedit nullam exspectat ».

Atque profecto ad hominis naturam plane accommodatum est magna affici admiratione, cum is latere et ignorari cupiat qui tam stupenda

patrare potest; quare v. 37 *et eo magis admirabantur* ὑπερπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο, superabundanter stupore et admiratione percellebantur, *dicentes : bene omnia fecit, et surdos fecit audire et mutos loqui*, ὡς καὶ... ποιεῖ sicut et surdos facit audire et ἀλάλους elingues, loquela qui carent, loqui. Verbis alludunt ad Is. 35,5. 6, uti pariter vox Christi ἐφφαθά idem spectat oraculum : aures surdorum aperientur (תִּפָּתַחְנָה); cf. Matth. 15,31.

Uti Christus signis illis hominem edocuit quid ipsi esset collaturus, ita in caerimoniis baptismi eadem ab Ecclesia adhibentur, ut homo doceatur ex qua conditione beneficio sacramenti eripiatur; auferri debere illam ad verbum Dei surditatem; aures aperiri ad verbum Dei audiendum, solvi linguam ad fidem profitendam. « Et bene quidem huiusmodi caerimoniae hic adhibentur ex Christi imitatione, quandoquidem et in baptismate id fit pro salute spiritus quod hic pro corporis curatione factum dicitur. Adducitur enim surdus et mutus et pro eo deprecantur susceptores ut per sacerdotalem manum et verbum sacrum iam renatus deinceps verba Dei et audiat et loquatur lubenter » (*Ians.*).

Variae sunt huius eventus applicationes, quas proponunt *S. Gregorius* hom. in Ez. I, 10, *Beda*, *Salm. Fab. Ians. Sylv.* etc. Pauca innuisse sufficiat. Prima salutis ianua est, ait *Beda*, infirmum apprehendente Domino de turba seorsum educi. Id autem fit cum mentem languidam Dominus visitatione suae pietatis illustrans a consuetis humanae conversationis moribus avocat atque ad se sequendum provocat. Mittit digitos in auriculas, cum per dona s. Spiritus aures cordis ad intelligenda et suscipienda verba salutis aperit. — In offerentibus, ait *Ians.*, docemur quid valeat aliena fides et oratio et quam sollicitudinem debeamus his maxime qui sibi non sufficiunt. Docemur in Christo fugere plausus populares, in turba Dei beneficia praedicare et de salute proximorum gaudere et Deum laudare. — In surdo et muto cerni potest genus humanum peccato lapsum, cui Christus attulit auditum et loquelam; pariter unusquisque peccator qui surdus est ad conscientiae vocem et monita aliorum, quem oportet ad Iesum adducere, pro ipso Dominum deprecari, eum ab occasione peccandi separare, imbuere doctrina coelesti et gemitu piisque precibus a Christo contendere miseri salutem, etc.

e) Altera multiplicatio panis 8,1-9.

8,1. In diebus illis, iterum quum turba multa esset, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis : 2. Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent.

3. Et si dimisero eos ieiunos in domum

8,1. Ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, πάλιν πολλοῦ ὄχλου ὄντος, καὶ μὴ ἐχόντων τί φάγωσι, προσκαλεσάμενος τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ λέγει αὐτοῖς, 2. Σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον· ὅτι ἤδη ἡμέραι τρισὶν προσμένουσίν (μοι), καὶ οὐκ ἔχουσιν τί φάγωσιν· 3. καὶ ἐὰν ἀπολύσω αὐτοὺς νήστεις εἰς οἶκον αὐτῶν,

suam, deficient in via : quidam enim ex eis de longe venerunt. 4. Et responderunt ei discipuli sui : Unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? 5. Et interrogavit eos : Quot panes habetis? Qui dixerunt : Septem. 6. Et praecepit turbae discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent; et apposuerunt turbae. 7. Et habebant pisciculos paucos : et ipsos benedixit, et iussit apponi. 8. Et manducaverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem sportas. 9. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor millia, et dimisit eos.

ἐκλυθήσονται ἐν τῇ ὁδῷ· καί τινες αὐτῶν ἀπὸ μακρόθεν εἰσίν. 4. καὶ ἀπεκρίθησαν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ὅτι Πόθεν τούτους δυνήσεταί τις ὧδε χορτάσαι ἄρτων ἐπ' ἐρημίας; 5. καὶ ἠρώτα αὐτούς, Πόσους ἔχετε ἄρτους; οἱ δὲ εἶπαν, Ἑπτά. 6. καὶ παραγγέλλει τῷ ὄχλῳ ἀναπεσεῖν ἐπὶ τῆς γῆς· καὶ λαβὼν τοὺς ἑπτὰ ἄρτους, εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα παρατιθῶσιν, καὶ παρέθηκαν τῷ ὄχλῳ. 7. καὶ εἶχαν ἰχθύδια ὀλίγα· καὶ εὐλογήσας αὐτὰ εἶπεν καὶ ταῦτα παρατιθέναι. 8. καὶ ἔφαγον καὶ ἐχορτάσθησαν· καὶ ἦραν περισσεύματα κλασμάτων, ἑπτὰ σπυρίδας. 9. ἦσαν δὲ ὡς τετρακισχίλιοι· καὶ ἀπέλυσεν αὐτούς.

In v. 1 παλιν πολλου cum ℵ B D G L M N Δ mu minusc vulg cop arm aeth; alii codd παμπολλου. In v. 2 ημεραι τρεις ℵ A L N X Γ Π unc 9 al pler; pl it : iam triduum est ex quo hic sunt, uti D quoque : q triduum adherent mihi; solum B om μοι. In v. 3 και τινες ℵ B L Δ aliq minusc q cop, D οτι και τινες, a c d quoniam quidam; τινες γαρ A N X Γ Π unc 9 al pler f l vulg (ken quia quidam ex eis) syr (p) go arm aeth; εισιν B L Δ cop W H; al ηκασιν vel ηκουσιν. In v. 4 οτι ποθεν B L Δ Ti W H; al om οτι. In v. 6 παραγγελλει ℵ B D L Δ, l ept lind dub ken rush lich *praecipit;* A C N X Γ Π unc 9 al omn it vulg παρηγγειλε. In v. 7 ευλογησας αυτα παρεθηκεν ℵ* Ti; sed rell codd ειπεν παρατιθεναι (παραθεινα) και αυτα, B C L Δ και ταυτα παρατ.: apponi *turbe* wil. In v. 9 add οι φαγοντες A C D N X Γ Π unc 9 al pler it vulg go syr al.

Bene notandum est quot modis haec de altera panum multiplicatione narratio a priore distinguatur 6,35 seq. In priore discipuli monent Dominum, ut turbas dimittat in proximas villas et vicos ad cibos emendos; in hac ipse Christus convocat discipulos et indigentiam turbarum exponit; discipuli autem id quod in priore fieri posse dixerunt, scil. ut panes coemerentur, in hac minime fieri posse clare enuntiant v. 4. Unde simul alia regio a locis inhabitatis longius remota indicatur. In priore turbae pascuntur vespera eiusdem diei quo Dominum secuti erant; in hac iam triduo apud Dominum versantur. In illa afferuntur Domino quinque panes et duo pisces, in hac panes septem et pisciculi pauci. In illa turbae recumbunt super gramen viride, in hac super terram; proinde aliud quoque anni tempus innuitur quo solis aestu gramen iam exaruit, vel indicatur alia regio. In priore saturantur quinque millia, in altera quattuor millia; in illa fragmenta panum implent duodecim cophinos, in hac septem sportas, quod discrimen et numeri et vocabuli etiam postea denuo effertur 8,19. 20; cf. 16,9. 10. Demum priore multiplicatione Christus praeparabat sermonem de pane vitae, de Euchari-

stia, uti elucet ex Ioan. 6,26 seq.; et turbae eum volebant regem facere; nihil tale in altera.

Quae cum ita se habeant plane arbitrarium est quod recentiores quidam affirmant (Schleiermacher, Credner, Hase, de Wette, Ewald, Meyer, Weiss etc. quos enumerat *Schanz*), unum eundemque eventum narratione duplici exhiberi. At cum omnes conditiones temporis, loci, numerorum etc. aliae sint, etiam auctoritate evangelistae omissa nequit explicari, quomodo narratio de uno eventu tam variam induerit formam, cum tamen ipsi rationalistae narrationem referant ad fontem antiquiorem, ad traditionem petrinam. Bene iam advertit *Salm.* : « quemadmodum Dominus bis eiecit ementes et vendentes e templo, bis edidit signum in sedanda tempestate maris, duos paralyticos, unum submissum funibus de tecto, alterum ad probaticam piscinam, sanavit, semel mundavit leprosum et iterum decem leprosos, tres mortuos suscitavit, ita hoc signum multiplicandi panes bis edidit in deserto ». Qua iteratione ostendit Christus, prout *Ians.* notat, indeficientem suam bonitatem et sequentibus se declarat nihil unquam etiam temporalium defuturum, se etiam temporalium rationem habere et fame laborantibus misereri.

Iesum diutius in regione orientali ad mare Galilaeae esse commoratum ex eo quoque concluseris, quod Marcus dicit v. 1 *in diebus illis,* qua locutione semel usus est 1,9, ubi pariter indicatur Iesum venisse ad Ioannem baptistam postquam is iam per longius tempus munere suo functus est; *iterum cum turba multa esset,* πάλιν refer ad 6,34; fama scil. de miraculo patrato (7,36. 37) et de aliis sanationibus (Matth. 15,30. 31) per regiones sparsa turbas attrahebat, *nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait,* « non ut ignorans quid acturus esset consuleret, sed ut nobis formam daret etiam a minoribus aliquando consilium habendi » (*Alb.*), potius, ut discipulos redderet attentos ad miraculum, ut iis daret occasionem intercedendi pro populo, ut suum in turbas affectum manifestaret apostolisque exemplum miserationis, curae ac sollicitudinis praeberet v. 2 *misereor super turbam* σπλαγχνίζομαι, magnum dicit commiserationis affectum, quo viscera commoventur, *quia ecce* (ita ut videtur omnes codd. vulg., solum lich habet etiam pro ecce iam) *iam triduo sustinent me* προσμένουσίν μοι manent, commorantur apud me, *nec habent quod manducent,* cum iam diutius ibi morarentur, viatica quae secum attulerant erant absumpta (*Theoph. Euth.*) v. 3 *et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via; quidam enim ex eis de longe venerunt;* aptius καί τινες; nam quod *aliqui* a longe adsunt, non potest esse ratio, cur omnes in via essent defecturi si impransi dimitterentur; proinde καί τινες, qua sententiae parte condi-

tio additur alia ad praesentem rei difficultatem describendam. Merito iis in verbis admirationi habetur Christi miseratio et benignitas. Notatu quoque dignum est quod in regione illa orientali, quae maximam partem gentilis est, turbae adeo constanter etiam cibis iam multum deficientibus apud Iesum versantur neque ab eo avelli posse videntur. Nihil tale de populo in Iudaea vel Galilaea legitur. Iam cernitur prolusio quaedam quo gaudio et qua promptitudine gentes fidem sint amplexurae (cf. Act. 13,48).

Sermone Domini simul fides apostolorum exploratur et satis deprehenditur imperfecta. Neque enim iis in mentem venisse videtur eum ipsum qui ita loquatur etiam pollere potestate amplissima remedium penuriae afferendi. Quod tamen ne nimium mireris, recogita quid dixerit evangelista supra 6,52 : non enim intellexerunt de panibus, erat enim cor eorum obcaecatum; v. 4 *et responderunt ei discipuli sui : unde illos quis poterit hic saturare panibus in solitudine?* nota quantopere differat haec responsio ab altera 6,36; versantur itaque in regione a villis et vicis valde remota. Satis dure in discipulos aliqui invehuntur; « vide discipulos quam insipienter (ἀνοήτως) se habeant nondum credentes virtuti illius ex prioribus signis » (*Theoph.*); « in discipulis observandum quanta adhuc stupiditate tenerentur et diffidentia, qui cum prioris miraculi fuissent spectatores et ministri, iam tamen dicunt : unde nobis..., vel quia obliti erant prius miraculum vel potius quia praenimia tarditate nondum intelligebant Dominum quandocumque vellet semper posse quod semel potuit » (*Ians.*). Atque saltem assentiendum erit iis quae *Euth.* dicit, apostolos non intellexisse causam interrogationis, cum Dominus ideo ex iis quaesivisset, ut recordati prioris miraculi offerrent ei panes dicentes : multiplica etiam hos.

Christus autem ponit eandem quaestionem quam prius posuerat v. 5 *et interrogavit eos : quot panes habetis?* cf. 6,38; tum fortasse discipuli iam coeperunt intelligere quid Christus esset facturus. Christus vero interrogat, ut miraculi certitudo et magnitudo ex confessione discipulorum notior fiat (*Ians.*); *qui dixerunt : septem;* v. 6 *et praecepit turbae discumbere super terram et accipiens septem panes gratias agens fregit et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbae;* vide 6,41; distincte quoque mentio fit orationis et benedictionis super pisciculos factae; in priore una oratione et panes et pisces multiplicavit; v. 7 *et habebant pisciculos paucos et ipsos benedixit,* εὐλογήσας, quae vox usu apud sacros auctores vix differt ab εὐχαριστήσας (cf. Ioan. 6,11 et Matth. 14,19; 15,36; Marc. 6,41. Luc. 9,16. 1 Cor. 11,24; 14,16) *et iussit apponi;* apostoli administri sunt beneficii modo adeo miraculoso turbis a Domino praestiti et dum in eorum manibus panes et pisces ipsa

distributione multiplicantur, quasi manibus palpant miraculum et iterum insigni ratione de Domini potentia edocentur. Uti Domino largiente panem corporalem nunc distribuunt, ita postmodum ad Domini verbum cibum spiritualem populis administrabunt.

Iam tangitur perfectio miraculi (*Alb.*), cum scil. tot satiarentur et panum fragmenta superessent haud pauca v. 8 *et manducaverunt et saturati sunt et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas;* reliquiis frustorum (panis fracti v. 6) septem impleverunt σπυρίδας, « dicit Chrysostomus sportas cophinis fuisse fortasse maiores » (*Euth.*) et vocem posse maiorem significare corbem etiam eo patet quia apud Graecos quandoque σαργάνη 2 Cor. 11,33 (sporta in qua Paulus Damasci per fenestram demissus fuit) explicatur tamquam εἶδος σπυρίδος et Act. 9,25 revera legitur de re eadem ἐν σπυρίδι. Septem autem sportas putat *Schegg* apostolos secum tulisse, unam pro Domino et singulas pro binis apostolis; sed forte nonnemo id subtilius excogitatum esse censebit; nam in priore multiplicatione duodecim cophini implentur.

Veteres multi sunt in allegorica singulorum explicatione; ita *Theoph. Euth. Bed. Ians.* eamque alii aliter proponunt. Sed hisce missis quae pro arbitrio potius finguntur neque certis normis eruuntur contenti simus iis documentis quae sua sponte ex re ipsa nascuntur. Laudanda et imitanda est perseverantia populi; idque eo magis quia ex ipsa regione omnino probabile est haud paucos fuisse gentiles (eos adfuisse aliqui ex allegorica interpretatione *de longe venerunt* vel *quattuor millia,* scil. ex quattuor terrae partibus, ut *S. Hilarius* ad Matth. 15,38, colligunt). Praedicanda est Christi Domini benignitas et misericordia, qua opem fert et molestias turbarum et longa itinera multo cum amore in medium affert; adoranda eius potentia quae in miraculo relucet, pietas qua Patri agit gratias, liberalitas qua omnibus providet, cura quoque qua apostolos iterum erudit et ad suam dignitatem agnoscendam et ad fidem adducit.

f) Cavendum esse a fermento pharisaeorum 8,10-21.

8,10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis venit in partes Dalmanutha. 11. Et exierunt pharisaei, et coeperunt conquirere cum eo quaerentes ab illo signum de coelo, tentantes eum.

12. Et ingemiscens spiritu, ait : Quid generatio ista signum quaerit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum. 13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, et abiit trans fretum.

14. Et obliti sunt panes sumere : et nisi

8,10. Καὶ εὐθὺς ἐμβὰς αὐτὸς εἰς τὸ πλοῖον μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Δαλμανουθά. 11. καὶ ἐξῆλθον οἱ Φαρισαῖοι, καὶ ἤρξαντο συνζητεῖν αὐτῷ, ζητοῦντες παρ' αὐτοῦ σημεῖον ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, πειράζοντες αὐτόν. 12. καὶ ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ λέγει, Τί ἡ γενεὰ αὕτη ζητεῖ σημεῖον; ἀμὴν λέγω, Εἰ δοθήσεται τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον. 13. Καὶ ἀφεὶς αὐτοὺς, πάλιν ἐμβὰς ἀπῆλθεν εἰς τὸ πέραν.

14. Καὶ ἐπελάθοντο λαβεῖν ἄρτους, καὶ

unum panem non habebant secum in navi.

15. Et praecipiebat eis, dicens : Videte, et cavete a fermento pharisaeorum, et fermento Herodis. 16. Et cogitabant ad alterutrum, dicentes : Quia panes non habemus. 17. Quo cognito, ait illis Iesus : Quid cogitatis, quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc caecatum habetis cor vestrum? 18. Oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis? Nec recordamini. 19. Quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei : Duodecim.

20. Quando et septem panes in quatuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? Et dicunt ei : Septem.

21. Et dicebat eis : Quomodo nondum intelligitis?

εἰ μὴ ἕνα ἄρτον οὐκ εἶχον μεθ' ἑαυτῶν ἐν τῷ πλοίῳ. 15. καὶ διεστέλλετο αὐτοῖς, λέγων, Ὁρᾶτε, βλέπετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων καὶ τῆς ζύμης Ἡρῴδου. 16. καὶ διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους, ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχουσιν. 17. καὶ γνοὺς λέγει αὐτοῖς, Τί διαλογίζεσθε, ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχετε; οὔπω νοεῖτε, οὐδὲ συνίετε; πεπωρωμένην ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν; 18. ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐ βλέπετε; καὶ ὦτα ἔχοντες οὐκ ἀκούετε; καὶ οὐ μνημονεύετε. 19. ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους, πόσους κοφίνους κλασμάτων πλήρεις ἤρατε; λέγουσιν αὐτῷ Δώδεκα. 20. ὅτε τοὺς ἑπτὰ εἰς τοὺς τετρακισχιλίους, πόσων σπυρίδων πληρώματα κλασμάτων ἤρατε; καὶ λέγουσιν αὐτῷ, Ἑπτά. 21. καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Πῶς οὐ νοεῖτε;

In v. 10 B D add αυτος, similiter b i. In v. 12 B L om υμιν; rell habent. In v. 13 add εις (το) πλοιον A E F G H K M N S V X U Γ Π al mu it; om navem am cav hub rush tol lind harl (in quibus : ascendens iterum abiit). In v. 14 et obliti sunt *discipuli eius* theod lich med ken rush; D ει μη ενα αρτον ειχον et sim it, a g^2 nisi unum panem habebant, d i q nisi unum panem quem habebant secum, et sim c ff^2 et aliq minusc. In v. 16 add λεγοντες A C L N X Γ Δ Π unc 9 al pler it vulg go cop syr (utr) arm aeth; εχουσιν B aliq minusc c g^2; D ειχαν, a b i q quod panes non haberent; sed longe pler εχομεν. In v. 17 ετι πεπωρωμ. A X Γ Π unc 9 al pler f g^2 l q vulg syr (utr) Ti; sic obtusa sunt corda vestra b c d ff^2 i; D U aliq minusc διαλογ. εν ταις καρδιαις υμων, sim. arm aeth lich ken. In v. 20 οτε και ℵ Δ g^1 ^{2} l vulg (excipe big car val harl). In v. 21 ουπω συνιετε ℵ C K L Δ Π aliq minusc k Ti W H; πως ου B E F G H S V Γ al pl b d q cop aeth; πως ουπω A D M N U X al 30 fere a c ff^2 g i l syr (utr) go arm vulg.

Turba dimissa Iesus conscensa navicula venit in fines Magadan, uti Matth. 15,39 dicitur. Eadem itaque regio designari censenda est apud Marcum v. 10 *et statim ascendens navim cum discipulis suis venit in partes Dalmanutha*, cum neque Magadan neque Dalmanutha alibi commemoretur, satis incertum est ubi regio haec quaerenda sit. Ne in hoc quidem consentiunt sitne in littore lacus orientali an occidentali. Illud affirmat *Patr.* ea ductus ratione quod evangelistae cum narrare habeant Christum ex alterutro lacus littore ad alterum transmisisse dicere soleant eum transfretasse vel ivisse trans fretum; cum itaque in hoc loco Marcus aeque ac Matthaeus neutrum dicant, sed Christum navi venisse, esse concludendum narrari non traiectum ad regionem trans lacum positam, sed navigationem ad aliam partem eiusdem littoris. Idem censet *Weiss* et addit Dalmanutha posse reperiri in vico hodierno Del-

hemija a parte meridionali lacus prope ostium fluvii, cui nomen Hieromax. Sed nominum discrimen maius est quam ut ex nomine ratio probabilis colligi possit. Verum pro situ orientali adduci potest quod habet *Eusebius* : ἔστι νῦν ἡ Μαγεδανὴ περὶ τὴν Γερασάν, itemque *S. Hier.* : nunc autem regio dicitur Magedena circa Gerasam (*de Lagarde*, Onomastica s. 282,83 et 141,22). Pro quo situ alii etiam provocant ad v. 22, ubi lacu traiecto Iesus Bethsaidam venisse dicitur (*Patr.*); dubito num hac ratione multum efficiatur; nam etiam ex parte lacus orientali veniri poterat Bethsaidam. Ceterum vide quae ad Matth. 15,39 notavi.

Alii Dalmanutha quaerunt in ruinis Ain el-Barideh a parte meridionali haud ita procul a Magdala (ita I. L. Porter; cf. *Riehm*, Handwoerterbuch des bibl. Alterth. I p. 251), alii in Minje; cf. Zeitschrift d. d. Palaestina-Vereins II p. 59; in ruinis Maun etc. Explicat vocem *Lightfoot* referens ad locum Zalmon quem a talmudicis prope Tiberiadem collocari opinatur (tzade scil. in daleth immutato, quod Syris et Arabibus non sit alienum; decas chorogr. cap. 5). Si tua interest, varias reperies coniecturas apud *Sepp*, Leben Iesu V p. 76-79, quas ipse p. 647 iterum nova hypothesi prolata refutat; vide quoque *Schegg* p. 352 qui vocem explicat : possessio viduae.

« Quemadmodum post multiplicationem quinque panum quidam apud Ioannem miraculum illud collatum cum manna mosaico quod e coelo venit extenuabant petentes satis aperte etiam signum aliquod e coelo quale fuit signum mosaicum, ita verisimile est et nunc pharisaeos audita fama miraculorum Christi et singulariter eius quod iam mox ediderat, coeleste aliquod signum ab eo petiisse, quo declararet suam auctoritatem et se esse vere Messiam, ut si tale edere non posset reliqua omnia miracula eius calumniarentur tamquam non divina, atque occasionem haberent extenuandi singulariter miraculum recens factum et apud homines celebratum » (*Ians.*); v. 11 *et exierunt pharisaei*, ex sedibus suis in terra sancta, ita ut ad insidias Iesu struendas iam non vererentur regiones quoque gentilium ingredi; ita aliqui, qui regionem Dalmanutha in littore orientali collocant (cf. *Weiss*). Cum dicatur Christum venisse in partes D. ipsum vicum vel oppidum non videtur intrasse; quare simul atque audierunt eum advenisse, exierunt ex oppidis eius regionis (*Schegg*, *Schanz*, *Keil*); ceterum pharisaeos etiam ex Ierusalem descendisse in Galilaeam ad observandum Iesum, legimus 7,1, et cum omnem cum alienigenis consuetudinem abhorrerent, fortasse vix multi habitabant in Galilaea, quae regio ab iis iam non terrae sanctae accensebatur, *et coeperunt conquirere cum eo*, disceptare, disputare, *quaerentes ab eo signum de coelo tentantes eum*, neque enim eo animo petebant ut crederent, sed ut si non ederet calumniandi occasionem haberent. Dicuntur quoque tentare eum, quia modo indebito eius potentiam experiri volunt. Plurimis enim signis se iam a

Deo missum et approbatum probaverat; quasi haec non sufficerent signum de coelo postulant; verum uti eiectionem daemonum ope Beelzebub fieri calumniabantur, ita signum quoque de coelo per satanam fieri poterant mentiri, ut plebem a fide Christi arcerent.

Iesus autem de tanta eorum perversitate intime dolet v. 12 *et ingemiscens spiritu* ἀπὸ βάθους, ἀπὸ καρδίας (*Euth.*) ab intimo corde, ab imo pectore trahens suspirium, secum scil. reputans quid iam fecisset ut eos ad fidem adduceret et quid deinceps facturus et passurus esset pro eorum quoque salute et quid ipsi contra se supplicii essent contracturi in malitia perseverantes (cf. *Vict.*). Hunc Messiae dolorem unus nobis refert Marcus; *ait : quid generatio ista signum quaerit?* cur quaerit? quaestio est indignabundi, cum sciat malo animo quaerere neque fore ut crederent, etsi daretur; *amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum,* si i. e. hebr. אִם. qua particula iurandi formula inducitur: vere, profecto non dabitur (cf. Hebr. 4,3 : iuravi in ira mea; si introibunt in requiem meam, Ps. 94,11 ; vide Ps. 88,36; 131,3. Am. 8,7. Is. 5,9. Ier. 49,20), tale scil. signum quale isti perperam atque insidiose quaerunt non dabitur (*Beda*); alia enim signa quae ad fidem faciendam plane sufficiebant etiam deinceps Iesus edidit. Quod Matth. 16,4 habet de signo Ionae, Marcus non refert, fortasse quia Petrus coram iis docens quibus libri veteris testamenti non erant noti eius signi mentionem non fecit. Opinatur *Grimm* eo tempore Iesum nondum quidquam de sua passione innuere voluisse, quare tum nihil esse dictum de signo Ionae. Apud Lucam eius signi mentio ad tempus quoque posterius refertur (11,29). Attamen videri potest omnino convenire, ut Iesus antequam adeo explicite de sua passione loquatur prout loquitur 8,31 et Luc. 9,22, suam mortem aliqua ratione innuat atque ita quoque animos ad praedictionem illam explicitam praeparet.

Pharisaeos autem ut incorrigibiles dimittit (*Theoph.*) v. 13 *et dimittens eos,* ab iis scil. qui a Deo recedunt etiam Deus recedit (*Vict.*), vel uti Matth. 16,4 relictis illis, quia infidelitatis error insolentium animos obtinebat, eos reliquisse dicitur, *ascendit iterum navim et abiit trans fretum,* in littus orientale illi dicunt qui Magedan et Dalmanutha occidentali attribuunt, in littus occidentale (*Patr.*); v. 14 *et obliti sunt panes sumere et nisi unum panem non habebant secum in navi,* Marcus solus accurate refert eos habuisse secum unum panem. Ex hac oblivione *Beda* indicium colligit quam modicam carnis curam habuerint in reliquis, quibus ipsa reficiendi corporis necessitas quae naturaliter cunctis mortalibus inesset, intentione dominici comitatus mente excessisset. Tempore quo navigabant utitur Iesus ad eos docendos v. 15 *et prae-*

cipiebat eis dicens : videte (et) cavete, diligenter considerate et sedulo cavete, *a fermento pharisaeorum et fermento Herodis,* i. e. caveant ab exemplo et perversitate eorum qui in re religiosa et civili principatum gerunt. Cum Matth. 16,6 de fermento sadducaeorum sermo fiat, quaerunt cur hic Herodis nomen ponatur. Respondent aliqui eum ut fautorem sadducaeorum nominari (*Ians. Lap.*), alii, quia probabile sit Herodem sadducaeorum potius quam pharisaeorum placita esse secutum (*Patr. Fil.*). Idque haud immerito dicitur. Sadducaei enim traditiones et praecepta pharisaeorum spernebant, moribus Graecorum favebant eosque imitabantur, neglecta religione rebus saecularibus inhiabant (cf. *Schürer* l. c. II p. 341 seq.). Iam Herodem Antipam hisce cum sadducaeis consensisse nemo negabit. Porro Herodes imperium Romanorum in Iudaea subruere tentabat et qui ab eius partibus stabant et Palaestinam Romanis eripere et Herodi tradere cupiebant Herodiani vocabantur (cf. 3,6); quare *Schanz* haud improbabiliter existimat hoc loco simul moneri discipulos (et cum eis Christianos) ne machinationibus partium ac factionum sese adiungant. Explicant *Vict. Theoph.* de fermento Herodianorum.

Fermentum explicatur Matth. 16,12 de doctrina, Luc. 12,1 de hypocrisi. Quae duo non inter se pugnant. Nam fermentum pharisaeorum generatim id est quo alios inficere et suo exemplo formare ac penetrare student. Proin primo loco eorum doctrina intelligitur et quae ex illa consequuntur; vide 2,23; 7,1-14; quantopere autem mores eorum ad hypocrisin efformati sint, lege Matth. 6,1 seq. 23,13 seq. Quare fermentum pharisaeorum non solum intelligitur de eorum traditionibus et explicatione legis a vera pietate aliena, verum de tota eorum perversitate qua infecti sunt et alios doctrina et exemplo inficere possunt. Pariter non est cur fermentum Herodis ad unum aliquod restringatur. Varia recenset *Beda :* fermentum eius est adulterium, homicidium, temeritas iurandi, simulatio religionis et quod omnium caput est et origo scelerum, odium ac persecutio in Christum et praecursorem eius.

Discipulis audita fermenti voce in mentem venit de panibus neglectis v. 16 *et cogitabant ad alterutrum* διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους inter se colloquebantur; nam (ut *Ians.* versionem latinam perstringit) quid est *cogitare* ad alterutrum? *quia panes non habemus,* id quod concipi potest : ita loquitur, quia panes non habemus, vel melius, ut ὅτι solum eorum verba introducat (ὅτι recitativum) : panes non habemus, quae dicunt inter se solliciti de tali oblivione et anxii. In qua trepidatione, ut ait *Ians.*, bis erant reprehendendi, et quod carnaliter intelligerent quod dicebatur de fermento et quod inciderent in sollicitudinem victus,

cum eum secum haberent cuius potentiam iam bis experti erant in suppeditatione necessariorum. Quare a Christo reprehenduntur v. 17 *quo cognito ait illis Iesus : quid cogitatis* διαλογίζεσθε, uti in v. 16, *quia panes non habetis? nondum cognoscitis nec intelligitis? adhuc caecatum habetis cor vestrum?* i. e. o vos pusillae fidei homines, quid est cur solliciti sitis de panibus vel me de panibus locutum existimetis? tot praeceptis instituti nondum habetis eam quam deberetis intelligentiam? Nota quam ingenue ac fideliter referatur tarditas et defectus apostolorum; nullo modo evangelistae occultare student quam fuerint rudes, sed sincere ac candide rem narrant, uti acciderat. Id profecto aliis quoque eorum narrationibus summam conciliare debet auctoritatem. Apposite notat *Cai.* : « provida dispensatione divina effectum est, ut discipuli Iesu visis tot miraculis adhuc caecatum cor haberent; ad tollendum a mundo suspicionem omnis humanae artis in Iesu et discipulis eius per quos postea mundus conversus est ad fidem Iesu ». Videmus autem in discipulis quam tardum in rebus divinis sit ingenium hominum, nisi peculiari Spiritus sancti ope illustretur. In Iesu vero spectare licet bonitatem et patientiam, qua eorum perfert et docet tarditatem.

Ipsa increpatione eos excitat ad considerationem documentorum quibus iam erant instituti sed quae satis neglexerant vel oblivioni dederant. Quare pluribus explicat quae modo iis exprobraverat v. 18 *oculos habentes non videtis? et aures habentes non auditis? nec recordamini?* v. 19 *quando quinque panes fregi in quinque millia, quot cophinos fragmentorum sustulistis? dicunt ei : duodecim;* sententiae per interrogationem legendae sunt; ita enim et ad antecedentia conformantur et maiorem prae se ferunt vim ac concitationem, quae hic sane subest, prout ex tot membris brevibus et citato cursu inter se sequentibus apparet. Etiam *non recordamini* legere oportebit per interrogationem, neque poterit trahi ad subsequentia, ut sensus sit : nonne recordamini, quot cophinos sustuleritis? Nam, ut iam *Ians.* bene advertit, tunc non recte subiungeretur : dicunt ei : duodecim; verum respondendum esset : utique recordamur. Idem elucet ex quaestione sequenti; v. 20 *quando et septem panes in quattuor millia, quot sportas fragmentorum tulistis? et dicunt ei : septem;* iste dialogus Marco proprius est remque ad vivum exprimit. Discipuli non sine quodam de sua trepidatione pudore respondent. Cum itaque memoriam miraculorum habeant, merito non sine admiratione aliqua interrogantur, quomodo fieri possit, ut ex tali memoria non colligant omnem curam ac sollicitudinem inutilem esse abiiciendam. Unde v. 21 *et dicebat eis : quomodo nondum intelligitis?* vide lect. var.

Cum Iesus moneat apostolos cavendum esse a perversorum hominum doctrina et consuetudine, idem monet quod postmodum apostoli docent praecipientes : haereticum hominem devita; si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum nec ave ei dixeritis; qui enim dicit illi ave, communicat operibus eius malignis (Tit. 3,10. 2 Ioan. 10. 11; cf. 2 Petr. 2,1 seq.). « Fermentum hanc vim habet, ut si farinae mistum fuerit, quod parvum videbatur crescat in maius et ad saporem suum universam conspersionem trahat; ita et doctrina haeretica, si vel modicam scintillam in tuum pectus iecerit, in brevi ingens flamma succrescet et totam hominis possessionem ad se trahet » (*Beda*).

g) Caecus sanatur 8,22-26.

8,22. Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei caecum, et rogabant eum ut illum tangeret. 23. Et apprehensa manu caeci, eduxit eum extra vicum; et exspuens in oculos eius impositis manibus suis, interrogavit eum si quid videret. 24. Et aspiciens, ait : Video homines velut arbores ambulantes. 25. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius; et coepit videre, et restitutus est ita ut clare videret omnia. 26. Et misit illum in domum suam, dicens : Vade in domum tuam : et si in vicum introieris, nemini dixeris.

8,22. Καὶ ἔρχονται εἰς Βηθσαϊδάν· καὶ φέρουσιν αὐτῷ τυφλὸν καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν ἵνα αὐτοῦ ἅψηται. 23. καὶ ἐπιλαβόμενος τῆς χειρὸς τοῦ τυφλοῦ, ἐξήνεγκεν αὐτὸν ἔξω τῆς κώμης. καὶ πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ, ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ, ἐπηρώτα αὐτὸν Εἴ τι βλέπεις; 24. καὶ ἀναβλέψας ἔλεγεν, Βλέπω τοὺς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας. 25. εἶτα πάλιν ἔθηκεν τὰς χεῖρας ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, καὶ διέβλεψεν καὶ ἀποκατέστη, καὶ ἐνέβλεπεν τηλαυγῶς ἅπαντα. 26. καὶ ἀπέστειλεν αὐτὸν εἰς οἶκον αὐτοῦ, λέγων, Μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς [μηδὲ εἴπῃς τινὶ ἐν τῇ κώμῃ].

In v. 22 ερχεται ℵ* A N X Γ Π unc 9 al pler syr (utr) perss; D a f ff² i l q go βηθανιαν; big dub lich rogant, uti graece. In v. 23 βλεπεις B C D* Δ cop aeth; rell βλεπει, am dub hub med ox ken adprehendens manum. In v. 24 om οτι et ορω C² D 1. al non ita mu it vulg cop syr (utr) arm aeth. In v. 25 pro διεβλεψεν legitur εποιησεν αυτον αναβλεψαι in A N X Γ Π unc 9 al pler a f q go syr (p); δηλαυγως ℵ* C L Δ Ti; απαντας A C² N X Γ Π unc 8 al pler go. In v. 26 add μηδε ειπης τινι εν τ. κ. A C N X Γ Δ Π unc 9 al pler syr (sch) go aeth arm; quod in vulg habetur, legitur in pl minusc et in b f ff² g¹ ² l; a vade domi aput te et ne in municipio intres nec cuiquam dicas.

Uti supra 7,32-37, ita hic quoque evangelista propriam habet narrationem. In utraque accurate refertur quibus signis adhibitis Christus curaverit. Proinde indicatur vario modo Iesum sanasse, modo solo verbo et nutu voluntatis, modo manuum impositione, modo subito, modo aliquibus quasi ritibus accersitis et per gradus quosdam. In qua varietate quoque significatur non omnibus eadem semper remedia neque eodem modo esse applicanda, verum alia aliis accommodanda esse, alios citius, tardius alios curari; v. 22 *et veniunt Bethsaidam;* incertum est intelligaturne Bethsaida Iulias (*Lamy, Calm. Schegg, Schanz, Fil. Keil, Ed.* II

p. 47) an Bethsaida prope Capharnaum (*Vict. Theoph.*[1] *Patr.*). Cum vocetur κώμη, fortasse vicus prope Capharnaum nominatur; at haec ratio certa non est, cum prior alterius Bethsaidae appellatio κώμη (cf. *Iosephus*, Antiq. 18,2. 1) potuerit apud plebem retineri; insuper quandoque idem oppidum apud scriptores novi testamenti κώμη et πόλις appellatur. Ita Bethlehem Luc. 2,4 πόλις, Ioan. 7,42 κώμη designatur. Qui Dalmanutha in littore occidentali collocant, propter v. 13 (abiit trans fretum) generatim de Bethsaida in Gaulanitide inferiore quae Iulias appellatur explicant. Eum vicum Philippus tetrarcha restauravit, incolis auxit, ad urbis dignitatem evexit et ex Augusti imperatoris filia Iulia in eius honorem appellavit. Id autem factum est ante an. 752 u. c.; nam eo anno Iulia ab Augusto iam exsilio mulctata est et in insulam Pandateriam ciecta (cf. *Schürer* l. c. II p. 119). — Ceterum dubito num ex navigatione quidquam pro alterutra explicatione erui possit. Nihil enim dicitur quando venerint Bethsaidam neque per quam viam. Sed cum in subsequentibus Iesus et discipuli versentur in castellis Caesareae Philippi, licebit hic quoque potius de Bethsaida in Gaulanitide cogitare. Ipse quoque curandi modus quo scil. hominem seorsum ducit a turba, uti supra 7,32, regionem illam orientalem indicare videtur.

Iesus qui discipulos de cordis caecitate reprehenderat iam hominem caecum sanat, in qua sanatione etiam recentiores quidam exprimi censent et doceri eum posse et velle spiritualem quoque caecitatem a discipulis auferre; *et adducunt ei caecum et rogabant eum, ut illum tangeret;* non refertur ipsum caecum etiam rogasse; id notari potest ad fulciendam sententiam eorum qui putant eum non statim, sed per gradus quosdam sanatum esse propter defectum fidei; v. 23 *et apprehensa manu caeci eduxit eum extra vicum;* cf. 7,33; vult enim, uti ex v. 26 quoque elucet, miraculum occultari, *et exspuens in oculos eius*, sumpta saliva oculos tangens ac liniens, « ita solemus lippientes et caligantes oculos saliva mundare » (*Mald.*), quare Christus simile quid adhibet sed effectu longe maiore, uti sacram eius decet humanam naturam, *impositis manibus suis* super oculos scil., uti in v. 25 exprimitur; dein manibus remotis, *interrogavit eum si quid videret;* v. 24 et *aspiciens* ἀναβλέψας, oculis sublatis, *ait : video homines velut arbores ambulantes,* graece : video homines, quia sicut arbores cerno ambulantes; scil. propter visus obscuritatem (*Euth.*) non vidit nisi confuse; videbat itaque, ut *Beda* dicit, formam quidem corporum inter umbras, sed nulla membrorum lineamenta visu adhuc caligante discernere valuit, quales condensae arbores a longe spectantibus vel certe in luce nocturna solent

1. Explicant scil. de Bethsaida infideli cum allusione ad Matth. 11,21.

apparere, ita ut non facile arbor an homo sit possit dignosci. Ex motu tamen et ambulatione cognovit esse homines. Ex quo eius loquendi modo colligunt eum non fuisse caecum a nativitate (*Cai. Ians.* et recentiores); v. 25 *deinde iterum imposuit manus super oculos eius et coepit videre* διέβλεψεν firmiter intuitus est, firmiter aspexit, quasi nunc acie oculorum nebulam illam et obscuritatem penetrans qua antea res viderat *et restitutus est* plene a defectu illo et caecitate sanatus est *ita ut clare videret omnia,* καὶ ἐνέβλεπεν et intuebatur (nota imperfectum hoc loco, dum supra διέβλεψεν) constanter, firmiter, diutius dilucide omnia.

Cur Iesus eum paulatim sanaverit quaerunt. Plerumque rationem assignant ex defectu fidei in caeco. Prius enim, ut *Euth.* ait, imperfecte curavit ut imperfecte credentem; ideo etiam interrogavit eum si quid videret, ut qui parum adhuc respiciebat, per modicum aspectum crederet perfectius ac sanaretur perfectius, et similiter *Vict. Theoph. Cai. Calm. Fil.;* voluit enim, prout *Mald.* censet, Christus suam potentiam ad illius fidem moderari, quod et in Petro super mare ambulante fecisse legimus, qui cum perfecte credebat firmis super mare vestigiis incedebat, cum dubitabat mergebatur; fortasse etiam voluit, ut caecus beneficium quod accipiebat dum paulatim sibi conferebatur pluris faceret. Docemur itaque Dominum rogatum non illico dare omnia, sed paulatim nonnunquam sua dona rogantibus impertire quo magis desiderium nostrum et fidem accendat (*Ians.*). Non ob defectum fidei, sed ad fidem caeci probandam ita egisse Christum *Schegg* arbitratur; cum enim caecus prius solum confuse et obscure videret, magnam exstitisse pro eo tentationem putandi sanationem non succedere et Christum ea vice prospero successu non uti; attamen caecum firmum in fide mansisse. Sed puto caecum iam gaudio affici, etsi oculorum acies solum imperfecte ei restitueretur; unde dubito fueritne pro eo tale periculum tentationis et desperationis de Christi potentia. Aliter *Schanz,* ita paulatim sanationem esse effectam, ut discipulis quasi exemplo proponeretur caecitatem quoque spiritualem paulatim ab iis esse auferendam. Similem rationem etiam *Beda, Salm.* afferunt, ut scil. magnitudo humanae caecitatis ostenderetur quae quasi pedetentim et per quosdam profectuum gradus ad lucem divinae visionis soleret pervenire. Addit *Salm.* apostolis quoque formam exhiberi quantopere laborandum sit eis, ut ad veri cognitionem adducere possint eos qui in errore aliquo inveteraverint.

Iesus autem sanatum ab hominum turba et admiratione arcere vult v. 26 *et misit illum in domum suam dicens : vade in domum tuam et si in vicum introieris nemini dixeris;* vide lect. var.; in melioribus codicibus et editionibus criticis solum legitur : μηδὲ εἰς τὴν κώμην εἰσέλθῃς

ne in vicum quidem ingrediaris. Unde apparet hominem non fuisse ex Bethsaida ; opinantur eum mendicandi causa in vico esse commoratum.

b) Iesus in regione Caesareae Philippi 8,27-39.

8,27. Et egressus est Iesus, et discipuli eius in castella Caesareae Philippi; et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis : Quem me dicunt esse homines!

28. Qui responderunt illi, dicentes : Ioannem Baptistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis. 29. Tunc dicit illis : Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei : Tu es Christus.

30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.

31. Et coepit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa, et reprobari a senioribus, et a summis sacerdotibus, et scribis et occidi, et post tres dies resurgere. 32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, coepit increpare eum. 33. Qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens : Vade retro me, Satana, quoniam non sapis quae Dei sunt, sed quae sunt hominum.

34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

35. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam. 36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, et detrimentum animae suae faciat. 37. Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? 38. Qui enim me confessus fuerit, et verba mea, in generatione ista adultera et peccatrice, et filius hominis confitebitur eum, quum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. 39. Et dicebat illis : Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.

8,27. Καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὰς κώμας Καισαρείας τῆς Φιλίππου· καὶ ἐν τῇ ὁδῷ ἐπηρώτα τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, λέγων αὐτοῖς, Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι; 28. οἱ δὲ εἶπαν αὐτῷ λέγοντες ὅτι Ἰωάννην τὸν βαπτιστήν· καὶ ἄλλοι Ἠλείαν· ἄλλοι δὲ ὅτι εἷς τῶν προφητῶν. 29. καὶ αὐτὸς ἐπηρώτα αὐτούς, Ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι; ἀποκριθεὶς ὁ Πέτρος λέγει αὐτῷ, Σὺ εἶ ὁ Χριστός. 30. καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς, ἵνα μηδενὶ λέγωσιν περὶ αὐτοῦ.

31. Καὶ ἤρξατο διδάσκειν αὐτούς, ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ὑπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι· 32. καὶ παρρησίᾳ τὸν λόγον ἐλάλει. Καὶ προσλαβόμενος ὁ Πέτρος αὐτὸν ἤρξατο ἐπιτιμᾶν αὐτῷ. 33. ὁ δὲ ἐπιστραφεὶς, καὶ ἰδὼν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, ἐπετίμησεν καὶ λέγει Πέτρῳ, Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ· ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων.

34. Καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς, Εἴ τις θέλει ὀπίσω μου ἐλθεῖν, ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν, καὶ ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι. 35. ὃς γὰρ ἐὰν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· ὃς δ' ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου, σώσει αὐτήν. 36. τί γὰρ ὠφελεῖ ἄνθρωπον, κερδῆσαι τὸν κόσμον ὅλον, καὶ ζημιωθῆναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ; 37. τί γὰρ δοῖ ὁ ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ; 38. ὃς γὰρ ἐὰν ἐπαισχυνθῇ με καὶ τοὺς ἐμοὺς λόγους ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ μοιχαλίδι καὶ ἁμαρτωλῷ, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπαισχυνθήσεται αὐτὸν, ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων. 39. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἰσίν τινες ὧδε τῶν ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσιν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει.

In v. 28 οτι εις ℵ B C* L cop Ti W H; pler ενα; D ως ενα, unde it (excipe k) vulg quasi unum; ken add vero *Ieremiam* (heremiam). In v. 29 ο υιος του θεου ℵ L aliq minusc syr (sch, hr). In v. 31 απο των πρεσϐ. A X Γ Δ unc 7 al pler. In v 31 mu minusc τη (εν τη) τριτη ημερα; item tertia die d g¹ syr (sch) arm aeth. In v. 32 obiurgare cum dicens : Domine propitius esto tibi nam hoc non erit a b n hub theod; c k rogare ne cui haec diceret; i increpare et revocare cum. In v. 34 οπισω μου ακολουθειν C* D X unc 8 mu minusc. it pler vulg sequi; ελθειν ℵ A B C² K L Γ Π (Δ utrumque iungit); venire c g¹ k l gat syr (utr) arm Or. In v. 36 ωφελει ℵ B L a n q Aug *prodest* syr (sch) arm; rell ωφεληϑει proderit; κερδησαι, ζημιωϑηναι ℵ B L Ti W H; εαν κερδηση etc A C D X Γ Δ Π unc 9 al omn Or. In v. 37 τι γαρ ℵ B L Δ q cop arm Or; η τι A C D² X Γ Π unc 9 al pler it vulg syr (utr) go aeth; item pler δωσει. In v. 38 qui *autem* b c ff² i k q ept*

Quae hic narrantur quam maxime ad discipulorum eruditionem et profectum facta sunt. Postquam tamdiu cum Iesu versati sunt et tot eius viderunt miracula, profecto opportunum erat, ut clare ac distincte noscerent non solum Iesum esse revera Messiam, quem prophetae annuntiarant et quem omnes tanto desiderio exspectabant, verum etiam ut edocerentur de eo Messiae munere quod hominibus incredibile videri poterat, eum scil. debere pati. Exinde autem indoles quoque regni eius hisce in terris illustratur et quid sit praestandum iis qui ipsum velint sequi facili negotio deducitur. Unde haec pars in institutione discipulorum principem locum occupat; v. 27 *et egressus est Iesus et discipuli eius in castella Caesareae Philippi*, scil. septemtrionem versus in ditionem se contulit urbis Caesareae, vel in vicos qui ad eius urbis ditionem pertinebant. Philippus tetrarcha, filius Herodis, vicum nomine Paneadem apud Iordanis fontem situm magnifice ampliavit urbemque construxit quam in honorem Augusti Caesaream vocabat (cf. *Iosephus*, Antiq. 18,2.1). Ut autem ab aliis eiusdem nominis urbibus distingueretur, Caesarea Philippi appellari solebat, neque nomen Paneas vel Panias (qua appellatione tota quoque regio olim designabatur) abiit in desuetudinem; per aliquod tempus vocabatur Neronias, cum Agrippa II eam aedificiis auctam in Neronis honorem eo nomine dici voluisset.

Cum itaque per illam regionem incederent, procul a Iudaea, in terra quae a gentilibus magnam partem incolebatur, Iesus fidem discipulorum clare et distincte edoceri et enuntiari voluit, *et in via* (id Marco proprium est) *interrogabat discipulos suos dicens eis : quem me dicunt esse homines?* v. 28 *qui responderunt illi dicentes : Ioannem baptistam*, quem itaque ad vitam rediisse et donum miraculorum a Deo accepisse putabant; vide 6,14; *alii Eliam*, quae opinio simul documento est exspectatum esse tum temporis adventum Messiae; nam credebatur fore ut Elias appareret ante Messiam (cf. 9,10. Matth. 17,10)

quae sententia ex Mal. 4,5 orta est; *alii vero (quasi) unum de prophetis,* superfluit *quasi,* uti iam *Cai.* adnotat. Ex his vulgi opinionibus iterum apparet quam tenaciter et veluti mordicus adhaeserint opinioni de regno messiano cum pompa et splendore orituro. Quamvis enim haberent et testimonia Ioannis baptistae et tot Iesu miracula, tamen eum Messiam non agnoscunt, quia illi exspectationi non respondet.

Et quid discipuli? v. 29 *tunc dicit illis : vos vero quem me esse dicitis? respondens Petrus ait ei : tu es Christus* ὁ Χριστός, ille Messias, ille unus Unctus quem prophetae annuntiarunt et quem omnes exspectant. Unus quidem respondet Petrus, sed qui iam tamquam caput et princeps apostolorum vario modo erat declaratus et agnitus (cf. 1,36; 3,16; 5,37. Matth. 8,14; 10,2; 14,28. Luc. 5,3. 10). Quare eius responsione etiam significatur quae sit et quae esse debeat aliorum fides, et cum confessio Petri a Iesu laudetur et ad Patris revelationem referatur (Matth. 16,17), clarissime docentur reliqui quoque quid de Iesu sentiendum sit. Veteres iam quaerunt, cur apud Marcum non legatur promissio illa magnifica quae teste Matthaeo facta sit Petro. Verum responsum mihi videtur iam dedisse *Eusebius,* qui in libro 3 demonst. evang. (p. 121; *M.* 22,216. 217) rationem repetit ex eo, quod Petrus, ut verisimile est, talia in suis narrationibus non enuntiaverit neque aequum putaverit quae ad se et ad suam laudem a Christo dicta sint proprio testimonio proferre. Marcus itaque qui ea quae Petrus praedicavit in compendium redacta conscripsit, cum Petrus ea de re taceret, ne ipse quidem quod scriberet habebat. In eandem sententiam etiam *Patr.* concessit; cf. lib. 1 de evang. cap. 2 n. 63. Alii, uti *Vict. Theoph.,* putant Marcum ea praetermisisse, ne videretur ad gratiam Petri praeceptoris sui haec dixisse; quae ratio abesse videtur a simplicitate evangelici narratoris. Existimat *Schegg* eum omisisse quia revera nescisset illam promissionem; sed etsi Petrus de illa non loquebatur, tamen incredibile videtur Marcum qui Ierusalem in urbe domicilium habebat et cum reliquis quoque apostolis familiariter versatus est nihil de ea re comperisse. Consulto praeteriisse censet *Schanz* ne in libro suo proderet alienigenis Romanis institutum esse ordinem proprium hierarchicum inter Christianos; in imperio enim romano ut Christiani quoque collegiis licitis accenserentur necesse fuisse ut non tamquam a synagogis Iudaeorum separati ac seiuncti considerarentur.

Alii alias in medium proferunt rationes; ita *Weiss,* quia promissio illa non cohaereat cum iis de quibus discipuli in subsequentibus usque ad 10,45 edoceantur; *Keil,* quia promissio illa nihil conferat ad id quod Marcus illustrare ac probare intendat et sibi proposuerit, scil. alienigenis demon-

strare in Iesu manifestari coelestem quandam ac divinam virtutem et potestatem. Quae ratio solum tum quidquam veri haberet, si illa promissione nihil aliud contineretur nisi aliquis honor soli Petro prae aliis collatus, ut esset primus inter pares.

Quod olim Beza scripsit : « quis crediderit vel ipsum Petrum vel Marcum praeteriturum fuisse illud tu es Petrus, si Ecclesiae christianae fundamentum in his verbis situm esse existimassent », etiam a recentioribus quibusdam acatholicis repetitur (cf. *Weiss*, *Cook*, *Ed.* II p. 81). Utique, si Marcus scripsisset tempore Lutheri, verba illa probabilissime non omisisset. Quod isti volunt, idem est ac si quis ortis disceptationibus de vera Christi in Eucharistia praesentia argueret : quis crediderit evangelistas et Paulum non dicturos fuisse verba illa esse litteraliter nulla metaphora admissa intelligenda, si essent litteraliter accipienda, eosque de magnitudine miraculi monere fuisse omissuros? Praeterea in primordiis rei christianae, dum ubique apostoli ipsi coetus Christianorum nascentes regerent, non opus fuit ut Petrus ubique praedicaret se esse primatem. Neque sane Marco fuit propositum totam et integram doctrinam et institutionem Christi suo libello comprehendere neque omnibus haeresibus quae exsistere possent occurrere. Pari ratione dici posset baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti administrandum minime esse tantae necessitatis, quia alias neque Marcus neque Lucas neque Ioannes illam potuissent tacere necessitatem. Et sic porro.

Iesus autem v. 30 *comminatus est eis*, ἐπετίμησεν, severe admonuit, additis minis interdixit, *ne cui dicerent de illo*, de se, se esse Messiam. Cum enim vulgus a falsa illa exspectatione non sineret sese avellere, quid fieret si palam ubique proclamaretur Messiam esse praesentem? Tempus adesse crederent turbae iugi Romanorum excutiendi, omnes alienigenas expellendi ab urbe sancta etc.; maxima igitur et valde perniciosa oriretur turbarum concitatio. Praeterea cum etiam pii minime assueti essent (uti in ipsis apostolis discimus) Messiam patientem et morientem sibi animo fingere et credere, parcendum erat ne si nunc eum Messiam esse discerent, postea videntes eum adeo ignominiose contumeliis affectum et indignissima patientem et acerbe interemptum, scandalizarentur et ad priorem redirent incredulitatem (*Euth. Bed. Alb.*). Prius enim gloria resurrectionis factae erat scandalum crucis removendum; tum demum Messias patiens et pro peccatis sese in morte offerens tuto praedicari potuit atque in eum a mortuis gloriose vivum fides poterat exigi, ita ut ipsa eius in coelum ascensione et conditione ac praedicatione apostolorum omnis notio regni temporalis funditus amoveretur.

Cum itaque discipuli clare ac distincte Messiam agnoscerent, statim etiam docendi erant Messiam oportere pati et ita intrare in gloriam

suam, ne quid illis de falsa notione adhaereret; v. 31 *et coepit docere eos quoniam oportet Filium hominis pati multa;* ita generatim; dein singula quaedam enumerantur; antequam igitur Filius hominis ad eam gloriam et dominationem perveniat quae de ipso apud Danielem 7,13 describitur, eum oportet multa pati, *et reprobari,* repudiari, reiici, *a senioribus et a summis sacerdotibus et scribis,* ergo a summo Iudaeorum magistratu, ab iis qui in re civili et religiosa principatum apud Iudaeos gerunt et qui cognitionem et explicationem legis tamquam doctores profitentur; en illi ipsi qui oracula messiana optime scire debent et qui summam illam promissionem populo Dei de Messia factam quam maximi aestimare debebant, Messiam dicuntur repudiare! *et occidi et post tres dies resurgere,* vel, ut Matth. habet, tertia die resurgere. Quid *tertia die* significare possit, collige ex Tob. 3,10 12 et Esth. 4,6 et 5,1 et ex eo quod in Seder olam fertur: nudiustertius sunt tres dies. Ceterum vide quae ad Matth. 12,40 notavi.

In odio quidem et persecutionibus et calumniis pharisaeorum, qui Iesum societatis cum Beelzebub initae accusarunt, et qui iam consilium ceperant eum interimendi; dein in habitu humili ac paupere quem Iesus constanter prae se ferebat, in occisione praecursoris, et praesertim in signo Ionae, uti illud Iesus explicat (Matth. 12,40) iam poterant aliqua indicia cognosci fore ut Iesus patiatur multa. Verum nunc plane et aperte suam passionem annuntiat prima vice; v. 32 *et palam verbum loquebatur* παῤῥησίᾳ i. e. sine ambagibus, sine orationis involucris, libere et aperte, φανερῶς καὶ ἀπαρακαλύπτως (*Euth.*), manifeste sine ullo tegumento hunc sermonem dicebat. « Dum alii turbarentur et attoniti haererent, iterum Petrus utpote ingenio fervens solus audet de ea re sermonem miscere; at minime palam et aperte, sed assumit Iesum seorsum » (*Vict.*) *et apprehendens eum Petrus coepit increpare eum;* « quomodo increpaverit eum Matthaeus exponit apertius: absit a te, Domine, non erit tibi hoc; saepe diximus nimii ardoris atque amoris quam maximi fuisse Petrum in Dominum... neque putat fieri posse ut Filius Dei occidatur, et separatim ducit ne praesentibus ceteris condiscipulis magistrum videatur arguere; coepit increpare illum amantis affectu et optantis dicere: non potest fieri nec recipiunt aures meae, ut Dei Filius occidendus sit » (*Beda*). Videtur Petrus cogitasse Iesum ex odio pharisaeorum et persecutionibus concludere fore ut sibi mors intentetur; quare Iesum vult certiorem reddere de valida defensione quam a suis habebit; unde multa cum fiducia dicit: hoc non erit.

Uti Petrus, ita reliqui quoque discipuli pati et occidi Messiam alienum reputabant ab eius dignitate minimeque decere; quare Christus severe reprehendit Petrum eo modo ut reprehensio eius evadat simul

eruditio ceterorum. Id nobis Marcus significat qui etiam nobis indicavit Iesum παρρησίᾳ coram discipulis de sua passione esse locutum; v. 33 *qui conversus et videns discipulos suos comminatus est Petro* ἐπετίμησεν increpavit, severe admonuit, *dicens : vade retro me, satana*, cum indignatione eum a se repellit ac recedere iubet; vocat eum *adversarium* שָׂטָן; cf. 1 Reg. 5,18 hebr. 11,14. 23. 25; eum a se abscedere iis verbis iubet quibus diabolum tentatorem repulit. Nam eius vestigia Petrus, utique haud sibi conscius, premit. Quemadmodum enim ille Iesum retrahere conabatur a via quam ei Pater assignaverat, ita Petrus quoque ne passione et morte voluntatem et beneplacitum exsequatur Patris, sua suadet admonitione. Vide quae notavi in Comment. Matth. I p. 147. 150; et ad 16,23.

Quid enim sit recusare humilitatem passionis (*Alb.*) declarat : *quoniam non sapis quae Dei sunt sed quae sunt hominum;* consilium quippe divinum erat per humilitatem crucis relevare casum superbiae primi hominis (*Alb.*), per obedientiam Christi usque ad mortem crucis expiare inobedientiam peccatorum; nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes; et ita Christus crucifixus Iudaeis quidem est scandalum et gentibus stultitia, at iis qui salvi fiunt Dei virtus et sapientia (1 Cor. 1,21-24) et cur decuerit Deum auctorem salutis Iesum per passionem consummare, exponit apostolus ad Hebr. 2,10-18. Iam haec divina consilia Petrus nondum intellexit, « adhuc nondum gustaverat quod postea gustavit, cum ivit gaudens a conspectu concilii flagellatus, quia fuit dignus pro nomine Iesu contumeliam pati » (*Cai.*); verum adhuc ea sentiebat vigente humano affectu quae sunt hominum, scil. fugere passiones, vitare mortem; voluit enim, ut *Theoph.* dicit, Dominum esse in pace et prosperitate, voluit eum esse exemptum a passione et morte. Neque id est mirum Petrum et amore in Iesum et humano affectu ita iudicasse. Nondum enim intellexit Scripturam (Is. 53,1-12. Zach. 13,7 etc.) et quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes (1 Cor. 1,27). Nam hic quoque valet illud : non enim cogitationes meae cogitationes vestrae, neque viae vestrae viae meae, dicit Dominus; quia sicut exaltantur coeli a terra, sic exaltatae sunt viae meae a viis vestris et cogitationes meae a cogitationibus vestris (Is. 55,8. 9).

De qua re ita meditatur *S. Aug.* : « idem Petrus a petra cognominatus beatus, Ecclesiae figuram portans, apostolatus principatum tenens, continuo post paululum iam audito quod beatus esset, iam audito quod Petrus esset, posteaquam audivit futuram Domini passionem, quia praedixerat eam cito futuram discipulis suis, displicuit ei. Timuit ne perderent morientem

quem confessus fuerat vitae fontem... Christus continuo reprehendit quem paulo ante laudaverat, et quem beatum dixerat satanam appellat. Idem ipse Petrus paulo ante beatus, postea satanas, in momento uno, infra pauca verba. Miraris differentiam nominum, differentias attende causarum. Quid miraris quia paulo ante beatus, postea satanas? attende causam quare beatus, quia non tibi revelavit caro et sanguis, sed Pater meus qui in coelis est. Ecce audisti causam quare beatus. Quare autem illud quod horrescimus et repetere nolumus? quare, nisi de tuo? non enim sapis quae Dei sunt, sed quae sunt hominum » (serm. 76,3; *M.* 38,480). — Ceterum monent *Cai. Ians.* non esse satanam nomen *proprium* daemoni sed generaliter idem significare quod latinis adversarius (cf. Num. 22,22 hebr. 32. 1 Sam. 29,4. 2 Sam. 19,23. Ps. 109,6); « omnis enim qui adversatur satanas est, et quia Petrus adversabatur divinae praedestinationi quam audierat ex ore Iesu, ideo merito appellatur satanas i. e. adversarius » (*Cai.*). Sed cum tamen idem nomen etiam daemoni imponeretur atque eo haud raro designaretur daemon quoque et in vetere testamento et in novo (cf. 1 Chron. 29,1. Iob 1,6 seq. 2,2 seq. Zach. 3,1. 2. Matth. 4,10; 12,26. Marc. 1,13; 3,23. 26; 4,15. Luc. 10,18; 11,18; 13,16; 22,3. 31. Ioan. 13,27), reprehensio ex ipso nomine evadit satis acerba et Petrum quasi imitatorem daemonis qui eodem cum illo nomine vocari mereatur perstringit. Ex qua appellatione conclude quantopere Iesus aversetur et repudiet quaecumque Dei ordinationi et beneplacito sunt contraria. Expendit *Basilius* seleuc. (orat. 31,5; *M.* 85,348) cur Iudae proditori Iesus dixerit amice etc., dum Petrum tanta asperitate increpet, et inter alia id quoque affert, ubi vulnus sit incurabile, ibi pharmacum esse inutile; ubi autem sit spes curationis, ibi sectionem esse inducendam, ibi flagellum admovendum. Petrus enim ex amore in Iesum ita locutus est. Nihil consulit, ut *Calm.* ait, praeter animi sui sinceritatem et ardorem.

Iam si Messias solum per passionem intraturus est in gloriam suam, quae erit sors eorum qui illi adhaerere volunt? Christo igitur passo in carne et vos eadem cogitatione armamini (1 Petr. 4,1)! Non sistit Iesus in sola increpatione Petri, qua illud se debere pati iterum asseruit; verum quid cum hac divina dispositione (v. 31 δεῖ, oportet) necessario coniunctum sit infert v. 34 *et convocata turba*, curavit igitur ut quam plurimi audirent quae dicturus erat utpote ad omnes pertinentia (*Patr.*), *cum discipulis suis dixit eis : si quis vult me sequi*, ὀπίσω μου ἐλθεῖν post me venire, *deneget semetipsum*, translatio sumpta est ab iis qui partes alicuius deserunt idque palam profitentur; ita abnegare seipsum est esse sui quasi desertorem et paratum etiam vitam perdere, cum id postulabit obsequium Dei (*Lamy*); similiter iam *Theoph.* : quid sit abnegare se ipsum discemus, si didicerimus quid sit abnegare alium; qui enim abnegat alium, fratrem fortassis vel familiarem, etiamsi flagellari illum viderit vel occidi, non advertit, non dolet; sic quoque

et nos vult corpus nostrum despicere. Unde sequitur abnegare seipsum esse, ut *Ians.* dicit, valedicere propriis affectibus ac desideriis et apud se statuere nolle deinceps illa sequi quae amor proprius suggerit, sed ea quae divinae sunt voluntatis, quantumcumque sunt carni et nostrae humanae voluntati inimica vel difficilia. Oportet itaque suos affectus, suos appetitus, sua desideria, suam voluntatem et omne quod in homine carnali vivit et vegetat submittere et conformare divinae voluntati (*Sylv.*). Tunc autem, ut *S. Gregorius* (hom. 32 in evang.) et *Beda* dicunt, nos abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus et ad hoc nitimur quo per novitatem vocamur; idque illustrat Pauli exemplo dicentis : vivo iam non ego; exstinctus quippe fuerat saevus ille persecutor et vivere coeperat praedicator pius. Ut brevi omnia comprehendantur, abnegatio sui ipsius postulat, ut in omnibus Deum spectemus, quid ei gratum sit et ad eius honoris emolumentum ut consideremus, non quid nobis iucundum.

Si quis Christi discipulus esse *vult* (monent Iesum consulere libero arbitrio, invitando, praemia proponendo, ostendendo damnum recusantium), necesse est secundo : *et tollat crucem suam;* « translata haec esse nemo non videt; at nova sane huiusmodi translatio est a nemine prius unquam usurpata, sed neque aliunde deducta quam ex ipsius Christi cruce; *suam,* quemadmodum scil. ego meam tollam » (*Patr.*). Verum cum crucis supplicium Christo nondum inflictum esset dum haec loqueretur, oportebit addere, Romanis iam diu in Palaestina imperantibus supplicium crucis et ipsum cruciarium debere suam portare crucem satis notum fuisse discipulis. Quare facile intelligebant postulari a Christo ut quis paratus esse debeat ad ignominiae et mortis genus dirissimum subeundum pro ipso et ipsius causa. Quia itaque cruce supplicium designatur atrocissimum et ignominia plenum, crucem tollere dicit quaevis mala et incommoda, persecutiones, infestationes, tribulationes perferre, quae occurrere possint in obsequio Deo praestando; *et sequatur me;* quaerunt sitne haec tertia quaedam conditio, an id quod ex duabus praemissis sua sponte consequatur. Et hoc quidem modo aliqui concipiunt, scil. ut significetur eum qui velit venire post Christum, sequi posse, et debere per illa duo (*Ians.*) et in eum sensum scribit *Patr.* : « cave id ita intelligas ac si Christus dixisset : si quis vult me sequi... sequatur me; sed : et ita agendo, denegando semetipsum videlicet et tollendo crucem suam, praestet quod statuit, hoc est, sequatur me ». Fieri enim non potest (ut pro ea acceptione arguit *Ians.*) ut qui seipsum vere abnegavit et tollit crucem suam, non sequatur Christum; et alioquin absurdum esset dicere tria haec requiri ab eo qui vult venire post Iesum, nempe abnegare se, tollere crucem et sequi Christum, cum venire post

Christum sit sequi Christum; itaque perinde esset ac si diceretur : qui vult me sequi sequatur me. Sic ille.

Nihilominus alii tres assignari conditiones docent, ita ut Iesus dicendo *sequatur me* addat aliquid novi (cf. *Vict. Theoph. Sylv. Schegg*). Atque haec explicatio erit amplectenda. Commendatur ea ex verbis apud Matth. 10,38 : qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Atque illa absurditas, de qua *Ians.*, facillime vitatur. Nam sensus est : qui vult meus esse discipulus (venire post me, mihi adhaerere, meus esse socius et sectator), me imitetur; proinde *sequi* in fine sententiae in notione *imitandi* se ceperis, nulla apparet absurditas. Ea autem notione verbum ἀκολουθεῖν legitur v. g. Ioan. 8,12 : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, ubi sensus certe est : qui me ducem et magistrum agnoscens praeceptis meis et exemplis obsequitur, vel 10,27 : oves meae vocem meam audiunt et sequuntur me. Atque ea significatione vocem nostro loco esse revera capiendam, merito monent iam *Vict. Theoph.* : fit enim, ait *Vict.*, ut qui patitur cum non sequatur, si scil. non propter ipsum patitur; addit proin *me sequatur*, ne existimes sufficere ipsa per se pericula et tribulationes, sed ut intelligas opus esse dum ea sustineas ipsum sequi. Atque clare quoque *Sylv.* rem exponit : tertio praecipit, ut se sequatur; valde enim miserrimum est, ut quis se ipsum abneget, proprios affectus et voluntates conculcando, tollatque crucem suam, mortificationes, labores, molestias sustinendo et non Christum, sed mundum mundanasque glorias sequatur. Et, proh dolor, quot sunt qui in obsequio aliorum et suis desideriis renuntiare debeant et graves subire labores, atque haec omnia sustineant non sequentes Christum, sed umbram quandam famae et gloriae vel emolumentum temporale!

Dixerat Iesus : si quis vult; sed iam subdit rationem gravissimam quam sit necessarium Christi causa se abnegare et immo mortem libenter subire; ostendit scil. fructum si quis id praestiterit, damnum si recusaverit v. 35 *qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam* i. e. qui se [1] vult salvum facere, se perdet, vel quod fere idem est : qui hanc vitam quam nunc vivimus servare volens recusabit mori pro Christo ubi opus fuerit, in aeternam perniciem incurret (*Patr.*); *qui autem perdiderit animam suam propter me et evangelium*, in ministerio praedicationis, vel ad evangelii veritatem tutandam, defendendam, profitendam, *salvam faciet eam;* vide ad Matth. 10,39. Ab amore sui et vitae qui maximus est apud homines argumentum ducit : vel ob id quia te et vitam tuam diligis et eam salvam vis, ne cuncteris eam pro

1. Ex hebraismo; notum est enim נפש cum suffixis haud raro poni pro pronomine.

me et mea causa et pro mea doctrina profundere. Cum autem ipsa vita presens contemnatur oporteat, ut causa Christi eiusque doctrina sarta tecta maneat, etiam voluptates vitae et concupiscentiae animae carnales contemnantur necesse est, ne qua in re recedatur ab evangelio. Quare hoc Iesu effatum etiam ita enuntiari potest: qui in hoc mundo assecutus est contra me animae suae desideria eamque per horum assecutionem salvam ac beatam facere voluerit, ac sic eam amaverit, ut illius malis concupiscentiis acquiesceret, perdet eam in futuro saeculo. Contra vero qui propter mea praecepta et amorem mei concupiscentias animae frenaverit animamque suam afflixerit salutari poenitentia, inveniet eam et salvam faciet in futuro saeculo (cf. *Ians.* cap. 55). Qui vitae commoda perdit pro Christo, ea abundantissime ac cumulatissime inveniet; nam quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur (2 Cor. 4,17).

Subiungitur altera ratio qua ostenditur quam inutile sit lucrum vitae temporalis, immo totius mundi cum perditione animae et quam irreparabile sit damnum perditionis animae (*Ians.*) vel, ut *Alb.* ponit, secunda ratio est sumpta a nocumento quod affert animae perditio in comparatione ad lucrum quod affert concupiscentia, v. 36 *quid enim proderit,* ὠφελεῖ, prodest *homini, si lucretur mundum totum et detrimentum animae suae faciat?* ζημιωθῆναι, si animae iacturam faciat, eam perdiderit; v. 37 *aut quid dabit homo commutationis pro anima sua?* i. e. sicut nemo adeo stultus est, ut velit, si fieri posset, iactura vitae huius corporalis lucrari universum mundum, tum quia vita perdita nullus ei futurus esset usus rerum huius mundi, tum quia vitam perditam nulla re posset recuperare; sic multo magis stultum est lucro temporalis vitae vel etiam totius mundi facere iacturam animae post hanc vitam, quando ei nihil prodesse potest acquisitio rerum in hoc saeculo obtentarum nec anima perdita poterit ulla re redimi (cf. *Ians.*). Quo sensu *anima* ψυχή capienda sit facile ex antecedenti v. 35 colligitur. Unam habes animam, monet *Vict.*, hanc si perdideris, non habes alteram. Confirmatur itaque illud quod antea statuebatur, quod qui propter Deum vitam amittit, seipsum servet (*Lamy*). Atque uti prior sententia in v. 35 potissimum spectat tempus persecutionis, quo anima ponenda sit, ita haec magis spectat tempus pacis quo frangenda sint desideria terrena, quemadmodum *Beda* adnotat. Apposite quoque *Theoph.* advertit, supplicium designari et interitum aeternum, quia nullo pretio animam perditam redimi posse affirmetur.

Additur tertia ratio quam necessarium sit Christum sequi et qua simul unus explicatur modus quo quis prae ignavia iacturam animae facere facile possit v. 38 *qui enim me confusus fuerit et verba mea* ἐπαισχυνθῇ,

si quem puduerit mei et verborum meorum, si quis erubuerit profiteri me et doctrinam meam; « noster interpres dum graeca verba imitando conatur exprimere, minus latine loquitur, sicut et Marcus magis hebraice quam graece locutus fuerat » (*Mald.*), *in generatione ista adultera et peccatrice*, additur hoc, quia apud impios praedicatio Christi eiusque doctrinae derisui habetur; sed talium hominum irrisionem et contemptum timere eo magis culpae verteretur discipulis Christi quo ab iis sperni non ignominiae est sed honori. Dicitur *adultera* generatio, quia populus Dei foedere sinaitico quasi sponsa Domini consideratur (cf. Is. 50,1. Ier. 2,2. Ez. 16,8 seq. Os. 2,2 etc.); unde si peccando a Deo recedit, fidem nuptialem violare et adulterare dicitur et qui Deo infideles sunt tamquam filii adulterini et spurii existimantur (cf. Matth. 12.39). « Adultera est quae cum alio viro fuerit, et anima quae Deum verum sponsum deseruit nec eius doctrinam custodivit et semina impietatis suscipit, adultera vocatur » (*Vict.*); *et Filius hominis confundetur eum*, eum non agnoscet, sed cum ignominia abiiciet, *cum venerit in gloria Patris sui cum angelis sanctis;* merito hic se dicit Filium hominis cum se venturum ea gloria dicat qua Daniel 7,13 Filium hominis in visione intuitus est. In ultimo iudicio quando apparebit in maiestate et gloria divina cum splendido angelorum comitatu palam fiet, quam immensa stultitia et ignavia illi fuerint qui talem ac tantum regem eiusque doctrinam profiteri erubuerint coram hominibus omni contemptu dignis. Ut illi palam Christum venerari veriti sunt, ita tum iudex divinus coram omnibus eos cum indignatione tamquam se plane indignos reiiciet, veluti pudore afficiendus coram Patre et angelis et beatis, si eos inter suos connumeraret. Commemorat gloriam Patris, qua scil. Pater eum clarificaturus est (Ioan. 17,1. 5) quia omne iudicium Filio dedit; apparet in ea gloria ad iudicium quae in s. litteris Deo attribuitur, scil. in nubibus coeli et cum angelis; hanc gloriam opponit humilitati primi sui adventus ob quam quosdam pudet Christum eiusque doctrinam suscipere et profiteri (cf. *Ians.*). Ex tota hac sententia etiam colligitur, non sufficere fidem mentalem, sed etiam exigi confessionem oris (*Theoph.*) et professionem publicam et gloriandum esse in cruce Christi palam, uti apostolus dicit : non erubesco evangelium (Rom. 1,16. Gal. 6,14).

Uti supra in *resurgere* v. 31 exhibuit gloriam ad quam per passionem et mortem sit perventurus, ita nunc in salute animae v. 35 et in gloria sua ostendit denuo ad quem terminum omnibus votis desiderandum et appetendum adducendi sint qui abnegatione et portatione crucis se sequantur. Hisce aliam addit confirmationem. Ut scil. omni pudore et timore posito Christum eiusque doctrinam publice profiteantur neve vereantur in se suscipere eam quae necessaria futura sit abnegationem

et crucem, edocentur fore ut intra temporis spatium haud adeo remotum regnum Dei iam appareat constitutum in virtute. Animi enim fortitudo et alacritas ad opus difficile aggrediendum maxime augetur spe successus propinqui proposita; v. 39 *et dicebat illis : amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem*, gustare mortem טעם מיתה phrasis est rabbinica frequens; cf. videre mortem Ps. 88,49; etiam graece dicitur γεύεσθαι πόνων, μόχθων, πένθους (Pind. N. 6,41. Soph. Tr. 1101. Eur. Alc. 1069); cum mors considerctur tamquam res amara (1 Sam. 15,32), quo sensu dicatur gustare non est dubium (cf. Matth. 16,28. Luc. 9,27. Ioan. 8,52. Hebr. 2,9), *donec videant regnum Dei veniens in virtute* ἐληλυθυῖαν regnum venisse; regnum Dei vel regnum messianum constituitur Ecclesia Christi; quare explicandum erit cum *S. Gregorio* (hom. 32,6 in evang. *M.* 76,1236) de eadem Ecclesia constructa, firmiter iam constituta et potenti virtute dilatata et contra mundi huius gloriam erecta, eodemque modo *Beda*, *Ians. Lamy, Reischl* explicant. Bene dicit *S. Greg.* : « sed cum tanta Dominus subeundae mortis praecepta ederet, quid necessarium fuit ut ad hanc subito promissionem veniret? Quod si subtiliter attendamus, quanta dispensatione pietatis agatur agnoscimus; discipulis enim rudibus etiam de praesenti vita aliquid promittendum fuit, ut possent robustius in futura solidari... videndum regnum Dei promittit in terra, ut hoc ab eis fidelius in coelo praesumatur. Ex ipso itaque regno quod iam videmus in mundo esse sublimatum speremus regnum quod in coelo credimus percipiendum » (l. c. 1237).

Sat multi explicant hisce Christum promittere suam transfigurationem visum iri ab aliquibus discipulis; ita generatim ii qui Matth. 16,28 eodem modo accipiunt; cf. *Theoph. Euth. Alb. Mald. Lap. Sylv. Patr.* (qui simul de resurrectione quoque et ascensione interpretatur). At haec Christi verba apud Marcum multo minus quam illa apud Matthaeum de transfiguratione concipi possunt. Quomodo enim Christus transfiguratus dici possit regnum Dei quod in virtute venerit, nullo pacto intelligi potest. Regnum Dei est regnum messianum, est Ecclesia Christi; haec autem eo tempore nondum erat constituta, ergo multo minus nondum venit et apparuit in virtute, neque propterea quod eius Ecclesiae fundator et caput per breve tempus visus est in gloria, dici potest ab iis visum esse regnum messianum in virtute constitutum. Praeterea cum dicatur : sunt aliqui ex iis qui circumstant qui non morientur, donec... sensus verborum obvius est : plerique morientur antequam illud eveniat. Esset autem plane ridiculum coram conferta multitudine dicere : sunt aliqui ex vobis qui non morientur priusquam sex dies praeterierunt; iam vero Christus ex v. 34 loquitur ad turbam τὸν ὄχλον et ad discipulos, cui confertae multitudini igitur sollemniter annuntiaret : tres ex vobis adhuc per sex dies vivent, vel tres ex vobis non morientur ante sex

dies. Si enim de transfiguratione sua locutus est, alius eius verborum sensus esse nequit. Verum quis modum adeo ridiculum loquendi Christo adscribere audeat? Neque melior est interpretatio de Christi resurrectione quam *Cai.* propugnat.

Alii ea verba exponunt de eo Christi adventu qui in iudicio de urbe Ierusalem habeatur (cf. *Schegg, Schanz, Fil.* — *Keil, Cook, Ed.* II p. 88). At in destructione urbis bene quidem cerni potest quidam adventus iudicis, verum minime affirmari potest eum qui urbis cladem et ruinam viderit vidisse regnum Dei vel regnum messianum in virtute venisse. Ruina enim urbis et templi nullo pacto dici vel considerari potest constitutio regni messiani. Neque continuo sequitur verba haec apud Marcum quae sunt alia debere accipi eodem modo quo explicatur locus Matth. 16,28; neque iuvat dicere cum *Schanz* Marcum scripsisse τὴν βασιλείαν ἐληλυθυῖαν quia noluerit describere τὸ venire, sed τὸ venisse, quod non de Iesu, sed de regno enuntiari potuerit. Sed si voluit describere hoc, debuit ponere *iudicium* venisse, non regnum Dei. Neque sufficit dicere cum *Keil*, si regnum veniat etiam regem venire, unde quod Marcus dicat esse re idem quod apud Matthaeum habeatur; at nemo serio dicet : quia video Ecclesiam Christi per orbem in virtute constitutam, propterea iam oculis cerno Filium hominis venientem, neque mortem gustavi antequam viderim Christum venientem.

Sunt demum alii qui ea verba scripta esse putant propter erroneam exspectationem alterum Christi adventum gloriosum adeo esse propinquum, ut aliqui usque ad illud tempus consummationis saeculorum superstites sint futuri. Quae opinio refutatione non indiget. Si enim verba illa a Christo dicta censentur, blasphemia est; si ab evangelista addita dicuntur, gratis asseritur et evangelistam verba Christo adscripsisse quae non dixerit et eum sententiam illam erroneam habuisse et hisce declarasse; quod utrumque uti gratis asseritur, ita gratis negatur et contemnitur.

i) Transfiguratio Christi 9,1-12.

9, 1. Et post dies sex assumit Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem : et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. 2. Et vestimenta eius facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. 3. Et apparuit illis Elias cum Moyse; et erant loquentes cum Iesu. 4. Et respondens Petrus, ait Iesu : Rabbi, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula tibi unum, et Moysi unum, et Eliae unum. 5. Non enim sciebat quid diceret : erant enim timore exterriti. 6. Et facta est nubes obumbrans eos, et ve-

9,1. Καὶ μετὰ ἡμέρας ἓξ παραλαμβάνει ὁ Ἰησοῦς τὸν Πέτρον καὶ τὸν Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, καὶ ἀναφέρει αὐτοὺς εἰς ὄρος ὑψηλὸν κατ' ἰδίαν μόνους· καὶ μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν, 2. καὶ τὰ ἱμάτια αὐτοῦ ἐγένετο στίλβοντα, λευκὰ λίαν, οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται οὕτως λευκᾶναι. 3. καὶ ὤφθη αὐτοῖς Ἠλείας σὺν Μωυσεῖ, καὶ ἦσαν συλλαλοῦντες τῷ Ἰησοῦ· 4. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Πέτρος λέγει τῷ Ἰησοῦ, Ῥαββεί, καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι· καὶ ποιήσωμεν τρεῖς σκηνάς, σοὶ μίαν, καὶ Μωυσεῖ μίαν, καὶ Ἠλείᾳ μίαν. 5. οὐ γὰρ ᾔδει τί ἀποκριθῇ, ἔκφοβοι γὰρ ἐγένοντο. 6. καὶ ἐγένετο νεφέλη ἐπισκιάζουσα αὐτοῖς· καὶ ἐγένετο

nit vox de nube, dicens : Hic est filius meus carissimus; audite illum. 7. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Iesum tantum secum.

8. Et descendentibus illis de monte, praecepit illis ne cuiquam quae vidissent, narrarent : nisi quum Filius hominis a mortuis resurrexerit. 9. Et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset : Quum a mortuis resurrexerit. 10. Et interrogabant eum, dicentes : Quid ergo dicunt pharisaei et scribae, quia Eliam oportet venire primum? 11. Qui respondens, ait illis : Elias quum venerit primo, restituet omnia; et quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur. 12. Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quaecumque voluerunt) sicut scriptum est de eo.

φωνὴ ἐκ τῆς νεφέλης, Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός· ἀκούετε αὐτοῦ. 7. καὶ ἐξάπινα περιβλεψάμενοι, οὐκέτι οὐδένα εἶδον μεθ' ἑαυτῶν, ἀλλὰ τὸν Ἰησοῦν μόνον. 8. Καὶ καταβαινόντων αὐτῶν ἐκ τοῦ ὄρους, διεστείλατο αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ ἃ εἶδον διηγήσωνται, εἰ μὴ ὅταν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ. 9. καὶ τὸν λόγον ἐκράτησαν πρὸς ἑαυτοὺς, συνζητοῦντες τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. 10. Καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν, λέγοντες, Ὅτι λέγουσιν οἱ γραμματεῖς, ὅτι Ἠλείαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον; 11. ὁ δὲ ἔφη αὐτοῖς, Ἠλείας μὲν ἐλθὼν πρῶτον, ἀποκαθιστάνει πάντα, καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ καὶ ἐξουδενηθῇ; 12. ἀλλὰ λέγω ὑμῖν, ὅτι καὶ Ἠλείας ἐλήλυθεν καὶ ἐποίησαν αὐτῷ ὅσα ἤθελον καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτόν.

In v. 1 ken post dies *septem*; codd mu vulg *solus*, item aliq it; k solus cum solis; b c ff² i n in montem altissimum (λιαν add in ℵ 52. 124. 19 cv). In v. 2 add ως (ωσει K Π al plus 15) χιων A D N X Γ unc 9 al pler; item velut nix it pler vulg (excipe fuld) go syr (utr); ως το φως Or 48 ev al pauc. In v. 4 D aliq minusc add θελεις, item b d i vis faciam; a f n q et si vis faciamus, c itaque si vis faciamus; wil faciamus *hic*. In v. 5 a b perterriti, n timore enim repleti sunt, k in metu enim fuerat. In v. 6 εγενετο φωνη ℵ B C L Δ cop arm syr (sch) ff² et ecce vox exiit; al ηλθεν φωνη; add λεγουσα A D L aliq minusc it vulg sah syr aeth. In v. 7 μετα εαυτων ponitur post ειδον solum in B 33. c f; secum om a ff² l k dub. In v. 8 pler απο του ορους; εκ B D. In v. 9 D aliq minusc οταν εκ v. αναστη; pariter it vulg (tol quod esset hoc) syr. In v. 10 οι φαρισαιοι και ℵ L c g¹ l vulg Ti; sed pler om. In v. 11 εφη ℵ B C L Δ cop syr; al pler αποκριθεις ειπεν; καθως γεγραπται in A K M Δ Π al plus 20; al omn και πως; B D εξουδενηθη, al-νωθη. In v. 12 k et fecit quanta oportebat illum facere; d in eum, k super eum.

Uti Luc. 9,29 refertur, Iesus transfiguratus est, dum oraret. Quemadmodum alias anima eius dolore, tristitia, taedio afficiebatur, ita eam (praeter continuam illam ac constantem beatitatem ex visione Dei haustam) saepius etiam singulari quadam et eximia consolatione ac fruitione coelesti esse perfusam et confortatam plane credibile est. Atque eiusmodi delicias anima Iesus sane experta est in transfiguratione, in qua corporis quoque gloria quasi praeoccupatione quadam manifestabatur et gustabatur. Attamen ratio potissima transfigurationis non in deliciis animae Iesu reponenda erit, sed in eruditione ac confortatione apostolorum. De qua re bene disserit *S. Leo* : « ut ergo istam felicis constantiae fortitudinem toto apostoli corde conciperent et nihil de suscipiendae rucis asperitate trepidarent, ut de supplicio Christi non e rubescerent

nec pudendam sibi eam patientiam crederent quae sic subitura erat saevitiam passionis ut non amitteret gloriam potestatis, assumpsit Iesus... et conscenso cum eis seorsum monte praecelso claritatem illis suae gloriae demonstravit » (serm. 51,2; *M.* 54,310). Cavit igitur ne apostolorum fides propter illa quae ipse sibi obventura praedixerat nutaret, sed visis prodigiis auditoque testimonio quod Moyses, quod Elias, quod ipse Pater dedere magis atque magis firmaretur (*Patr.* sim. *Salm.* t. 6 tract. 33); dein quoque, ne timerent opprobria crucis qui viderant oculis suis gloriam futurae resurrectionis (*Ps. Hier.*). Et cum apostoli iubeantur post Iesu resurrectionem exhibere testimonium de hac transfiguratione, Christus nostram quoque utilitatem spectavit. Id quod *S. Leo* ita declarat : « in qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur nec conturbaret eorum fidem voluntariae humilitas passionis, quibus revelata esset absconditae excellentia dignitatis; sed non minore providentia spes sanctae Ecclesiae fundabatur, ut totum corpus Christi agnosceret quali esset commutatione donandum et eius sibi honoris consortium membra promitterent qui in capite praefulsisset ». Et quantum emolumenti et pro cognitione Christi et pro solatio fidelium in hac transfiguratione repositum esse apostoli crediderint, ex eo concludere fas est quod eam tres referunt synoptici (Matth. 17,1. Luc. 9,28) eiusque meminerunt Ioan. 1,14 et Petrus 2 Petr. 1,16. Unde crebra eius fiebat mentio in praedicatione apostolica.

Ipsa temporis accurata designatione ostenditur eventum illum alte animis apostolorum esse impressum. Brevi post praedictam passionem Iesus gloriam suam quasi gloriam unigeniti Filii Dei manifestat; qui autem tali gloria frui potest quando vult, ille certe etiam tum solum patitur quando ipse vult et quia vult; v. 1 *et post dies sex assumit Iesus Petrum et Iacobum,* filium Zebedaei et fratrem Ioannis, uti ex Matth. 17,1 indubium est; non igitur de illo Iacobo hic mentio fit qui Gal. 2,9 commemoratur, uti semel putavit S. Augustinus (expos. ep. ad Gal. *M.* 35,2113) *et Ioannem,* hi tres assumuntur qui testes quoque futuri sunt agoniae Christi in horto (Matth. 26,37), quos prae aliis impositione quoque nominum insignivit (3,16. 17), quos solos testes habere voluit in resuscitatione filiae Iairi (5,37). Et Petrum quidem assumit « ut apostolicum verticem et suum in terra vicarium, illuminationes divinas omnibus conferre debentem et inferni tenebras dissipantem, et Iacobum qui primus inter apostolos constanter moriendo fidem probavit (Act. 12,2) et Ioannem qui secreta coelestia Verbi aeterni omnibus describeret et sic veritatis lucem demonstraret » (*Alb.*) et qui cumprimis a Domino diligebatur (*Viet. Theoph.*), *et ducit illos in montem excelsum seorsum solos,*

montem fuisse Thabor, multi censent; vide quae notavi ad Matth. 17,1; fuisse Hermon *Fil.* existimat, uti iam *Calm.* quoque sentit dum scribit: « maluerim id in aliquo Libani vertice aliove trans Iordanem monte circa montes Hermonis contigisse, quemadmodum censuisse videtur Eusebius in Ps. 88 ».

Nolo omittere quae ex evangelica narratione contra opinionem de Thabor *Patr.* opponit; dicit enim : « quod si locorum situm attendas, aegre cum Marci narratione illam opinionem componas. Etenim quae superius leguntur, circa Caesaream Philippi gesta sunt. Neque Marcus neque ceteri quidquam adhuc dixerunt ex quo coniicias Christum ex ea regione iam discessisse. Post descriptam Christi transfigurationem quaeque postridie is egit, Marcus statim haec subiungit : et inde profecti παρεπορεύοντο praetergrediebantur Galilaeam... et venerunt Capharnaum v. 29. 32. Ast unde profecti? Marcus ait : inde, hoc est ex eo loco; verum ex quo? scilicet ex illo qui antea dictus est. At nullus dictus est antea nisi castella Caesareae Philippi, horumque unum fuit ex quo tres discipulos secum ducens ceteris in eo relictis in montem ascendit et ad quod postridie reversus est v. 13 (Luc. 9,37). Enimvero si inde ubi per eos dies manserant profecti praetergrediebantur Galilaeam, ut Capharnaum venirent, non ex aliquo Galilaeae loco profecti esse videntur; non ergo de Thabore cogitandum. Equis sodes me ferret ita loquentem : Roma profectus praetergrediens Italiam veni Neapolim? atqui tali modo Marcus locutus esset, si Christus profectus a Thabore in Galilaea posito venisset Capharnaum urbem Galilaeae. Attende denique ut iis qui ex urbe Caesarea Philippi Thaborem petunt praeter partem Paneadis maxima Galilaeae pars peragranda sit, nec multo minor iis qui Capharnaum, at nisi brevem huius tractum emetiri habeant qui a Thabore Capharnaum veniunt. An igitur putes Marcum de priore Christi itinere multo longiore ab agris Caesareae usque ad Thaborem siluisse, de brevissimo vero a Thabore usque Capharnaum etiam id narrasse quod opus non erat et quidem ita ut ex tota hac historia quisque existimaret non de hoc altero sed de prioris illius itineris parte ex urbe Caesarea ad urbem Capharnaum eum loqui? De hoc enim loqui Marcum nemo fortasse dubitaret nisi anticipatum haberet transfigurationem in Thabore factam esse ». Similiter sed brevius *Schanz* quoque.

Nihilominus dubito num hisce res conficiatur. Traditio de Thabor est valde antiqua et constans. Eius testis iam est *Origenes :* Thabor mons est Galilaeae, ubi transfiguratus est Christus (in Ps. 88,13; *M.* 12,1547) et pariter id asserit *S. Cyrillus* hieros. (Catech. 12,16; *M.* 33,744), *S. Hieronymus* etc. neque dubitantium vel coniectantium more loquuntur, sed tamquam de re certa et explorata. Talis autem traditio adeo certo proposita videtur non posse carere fundamento. Neque eo potest explicari quod montis Thabor saepius mentio fit in vetere testamento (Ios. 19,22. Iud. 4,6. 12. 14. Ps. 88,13. Ier. 46,18. Os. 5,1; *Schanz*); nam neque Origenes neque Cyrillus ullo modo indicant ex iis locis eam notitiam esse derivatam.

Porro, si 9,29 dicitur *inde* profecti, id intelligi debet ex regione montis; qui illud *inde* explicant ex regione Caesareae Philippi, supponunt quod quaeritur, supponunt montem esse prope Caesaream. Et si Marcus narrat eos praetergressos esse διὰ τῆς Γαλιλαίας et venisse Capharnaum, recogitandum est eum scribere Romae pro Romanis, quibus locorum situs non ita notus erat, ut supponi potest Italiam eiusque urbes praecipuas notas esse Italis; quare dubitari potest sitne exemplum illud ad rem quo *Patr.* modum narrandi risui exponere conatur. Ceterum cf. Comment. Matth. II p. 80. 81.

Dum igitur in monte oraret (Luc. 9,28), *transfiguratus est coram ipsis;* « intellige transfigurationem non characteris (et lineamentorum) immutationem sed manente charactere qualis prius erat, ineffabilis lucis factum esse augmentum » (*Theoph.* sim. *Vict.*). Nam in qua re ista metamorphosis (cf. graecum) constituatur declaratur v. 2 *et vestimenta eius facta sunt splendentia et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere,* qui modus loquendi et quae ultima comparatio ex ipsa Petri narratione originem ducit; ita enim qui suis vidit oculis loqui solet (cf. 1,33); praeter splendorem vestium refert Matthaeus : et resplenduit facies eius sicut sol. Dicitur itaque transfiguratus, ut *Alb.* ait, quia non humanitatis, sed gloriae divinae claritatem ostendit, quam ostendere non erat consuetus. Unde in alia specie et figura apparuit. Haec autem claritas in Christo fuit, ut *Ians.* dicit, ex innato gloriae divinae fulgore aut etiam ex beatitudine animae Christi quae ab initio conceptionis semper beata tamen dispensatione divina radios suae beatitudinis non diffundens in corpus, iam ad tempus permissa est sic in corpus suam gloriam diffundere quomodo eam diffundet in resuscitatis sanctorum corporibus; atque tanta erat Christi in toto corpore claritas, ut ea transparente vestimenta viderentur esse quam maxime candida et fulgentia. Plura vide apud *Suarez* in 3 p. S. Thom. qu. 45, disp. 32 s. 1. Si duplicem comparationem retinemus (vide lect. var.), talis fulgor et splendor vestium a gloriae claritate Christo inhaerente describitur, qualis neque in rerum natura exsistat neque arte et industria humana queat effici.

Praeter claritatem illam vident Iesu a lege et prophetis exhiberi testimonium, a lege quia est paedagogus ad Christum, a prophetis quia illum praenuntiarunt (*Vict.*). v. 3 *et apparuit illis Elias cum Moyse et erant loquentes cum Iesu;* foederis itaque institutor et foederis instaurator, « legislator et propheta eximius apparent et loquuntur cum Domino in carne veniente, ut ostendant ipsum esse quem cuncta legis et prophetarum oracula promiserunt » (*Beda* sim. *Alb.* aliique). Quaerunt quomodo ab apostolis potuerint cognosci, quippe quos apostoli nunquam vidissent ne in imaginibus quidem, cum Iudaeis non

fuisset imaginum usus. Respondent vel eos agnitos esse ex colloquio, in quo aut Dominus eos compellaverit propriis nominibus aut ipsimet expresserint qui fuerint ea scil. in medium proferentes per quae Christi mortem ipsi facto vel verbo prophetaverint (cf. *Salm.* tract. 34, *Ians.*). Fortasse simplicius est et ad normam supernae revelationis magis consentaneum dicere simul cum apparitione eos etiam interna illustratione didicisse qui essent ii qui sese obtutibus eorum inferrent. Inquirunt quoque quali corpore Moyses apparuerit; de qua re vide v. g. *Suarez* l. c. s. 2.

Ex iis quae cernuntur Petrus occasionem capit dicendi; ita potest explicari quod dicitur v. 4 *respondere;* eodemque modo adhibetur hebr. ענה, quod alii ita concipiunt ut verbo tribuant notionem incipiendi loqui (cf. Iob 3,1. Cant. 2,10. Is. 14,10 etc.) v. 4 *et respondens Petrus ait Iesu : rabbi,* qua voce retenta Petrus rem narrare solebat, magister, Matth. 17,4 Domine, Luc. 9,33 ἐπιστάτα, *bonum est nos hic esse et faciamus tria tabernacula, tibi unum et Moysi unum et Eliae unum;* v. 5 *non enim sciebat quid diceret; erant enim timore exterriti;* apparitiones enim coelitus immissae hominem sacro quodam timore et pavore reverentia pleno perfundere solent (cf. Is. 6,5 hebr. Ez. 2,1. Dan. 7,15. Luc. 1,29. 30; 2,10). Quo tamen timore magna quaedam de re visa delectatio non excluditur, uti hic quoque patet, cum Petrus dicat : bonum est καλόν, praeclarum et iucundum est nos hic esse. Verum prae animi stupefactione et pavore de re adeo insolita et magnifica ipse sibi non satis conscius fuit quid diceret. Una re animus eius occupatur et totus impletur scil. visu illo sublimi, quo ut perpetuo perfruatur exoptat. Sed quam incongrue loquatur non advertit; quid enim vile tabernaculum ac fragile quale ipse erigere posset sibi vellet tamquam habitaculum pro Iesu glorioso et pro testibus a Deo missis? « Cum prae fervore Petrus tacere non posset, locutus est inconsiderata et non intellecta eo quod prae consternatione animi ignoraret quid aliud melius loqui deberet » (*Ians.*). Quid enim de Messia eiusque regno futurum fuisset, si in monte mansissent? Vere itaque locutus est nesciens quid diceret; nam opus messianum ad quod electi essent apostoli non terminari ita ut aliis relictis tres visione illa fruerentur in monte, potuit ac debuit intelligere, « nec recordatus est se suosque coapostolos mortali adhuc carne circumseptos immortalis vitae statum subire non posse; oblitus est regnum Dei sanctis a Domino non alicubi terrarum, sed in coelis esse promissum » (*Beda;* late id pertractat *Sylv.* lib. 6 cap. 8 qu. 21).

Verum ex Petri desiderio et voto colligendum est quantae sint deliciae

gloriae futurae. Merito exclamat *Beda* : « o quanta felicitas visioni Deitatis inter angelorum choros adesse perpetuo, si tantum transfigurata Christi humanitas duorumque societas sanctorum ad punctum visa delectet, ut eos ne discedant etiam obsequio Petrus sistere velit, qui etsi pro stupore humanae fragilitatis nesciat quid dicat, insiti tamen sibi dat affectus indicium ». Idque bene quoque *Ians.* perpendit : « si enim temporalis haec et imperfecta gloriae Christi ostensio tanta voluptate conspicientium mentes perfudit, ut omnium iam obliti extra se raperentur et omnibus posthabitis hac sola semper frui desiderarent, quam solida voluptas continget sanctis, cum ipsum Dominum videbunt in decore regni sui, non duobus stipatum, sed immensa angelorum et sanctorum multitudine, nec humanitatis tantum gloriam contemplantes, sed ipsam etiam eius divinitatem facie ad faciem conspicientes »?

Transfigurationem factam esse cumprimis apostolorum causa elucet tum ex eo quod Moyses et Elias colloquebantur cum Iesu de excessu quem completurus erat in Ierusalem (Luc. 9,31), tum ex testimonio a Patre dato v. 6 *et facta est nubes obumbrans eos*, in nube autem semper apparet Deus (*Vict.*; cf. Ex. 14,24; 16,10 etc. Lev. 16,2. Num. 9,15. Deut. 31,15. Ps. 17,10; 96,2; 103,3. 3 Reg. 8,10 etc.) *et venit vox de nube dicens : hic est Filius meus carissimus, audite illum*, « quia nubes haec Dei praesentiam declaravit, vox Patris e nube dicitur facta, quae non ita potuisset cognosci cuius fuisset, nisi nubes Dei praesentiam declaravisset » (*Ians.*). Eum itaque qui de sua passione et morte annuntiaverat Pater declarat Filium suum dilectum, ἀγαπητόν, qua voce apud LXX saepius redditur hebr. יחיד *unicus*, *unigenitus;* unde haud immerito reddere possis : hic est Filius meus unigenitus; vide quae ad Matth. 3,17 adnotavi. Hunc qui de passione, morte sua, de abnegatione, de cruce locutus erat, *hunc* ut audiant, ut ei credant, ei obsequantur, divinitus admonentur. Summum itaque testimonium eis exhibetur; si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est. Hac voce divina comprobatur confessio Petri, comprobantur verba Christi : tibi revelavit Pater meus qui in coelis est, comprobantur sermones et doctrinae eius. Iesu autem gloria conspecta et Patris declaratione facta habetur ea quae hoc loco intendebatur eruditio et institutio apostolorum; quare v. 7 *et statim circumspicientes neminem amplius viderunt nisi Iesum tantum secum*, habitu suo et vultu consueto. Uti Iesus in valle lacrimarum per breve solum tempus gloriam corporis sibi debitam habuit, ita qui proxime eum sequuntur, raro et per breve tempus deliciis coelestibus hisce in terris recreantur.

Haec autem quorum testes erant proxime iis solis ad utilitatem et institutionem exhibita sunt v. 8 *et descendentibus illis de monte prae-*

cepit illis ne cuiquam quae vidissent narrarent, nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit; vetuit scil. « ne scandalizarentur homines, si cum adeo honorifica de eo audissent, postea viderent ipsum crucifigi » (*Theoph.*); merito advertit *Vict.* : « quo de Iesu maiora dicerentur, eo creditu difficiliora tunc apud plerosque essent et scandalum ex cruce vehementius augeretur »; Christi quippe gloriam referentes iis qui postmodum eum in tot opprobriis erant visuri, potius irrisionem fecissent, quam fidem certificassent, ut *Alb.* dicit; ideo tacere iubentur usque ad tempus quo gloria transfigurationis confirmetur per gloriam resurrectionis, quia tunc ex iis quae antea gesta sunt scitur eum voluntarie propter nos passum et mortuum esse. Et apostoli mandato Domini obsecuti sunt v. 9 *et verbum continuerunt apud se* i. e. rem non vulgarunt (*Lamy*); « *verbum* hebraica phrasi videtur positum pro facto, quemadmodum saepe in Scripturis; Lucas enim veluti exponens Marcum dicit : et nemini dixerunt in illis diebus, quamquam possit *verbum* etiam accipi proprie pro verbo et sermone de transfiguratione » (*Ians.*); τὸν λόγον ἐκράτησαν id quod Christus dixerat, tenuerunt firmiter; proinde sensus esse videtur : mandato Domini stabant, id firmiter observabant; *conquirentes quid esset : cum a mortuis resurrexerit;* scil. dum aliis de ea re nihil dicerent, inter se tamen disquirebant, disputabant quid sibi vellet illud quod de sua ex mortuis resurrectione dixisset. Cum enim Christum, Filium Dei, mortem esse obiturum non sibi possent persuadere, non intellexerunt quomodo verba eius de resurrectione essent capienda.

Varie tamen v. 9 concipiunt; τὸν λόγον aliqui explicant de sermone Christi quo dixerat de sua resurrectione (*Theoph. Euth.* et ut videtur *Vict.* quoque et aliqui etiam recentiores), vel de verbo quod erat de transformatione (*Theoph. Euth.*); ipsum autem κρατεῖν *Euth.* concipit ita ut nulli quidquam dixerint. Varie quoque referunt πρὸς ἑαυτούς; alii enim id ad κρατεῖν spectare dicunt (ita vulg. syr. *Euth. Schegg, Schanz*), alii ad συνζητοῦντες, uti iam *Vict.* et plerique recentiorum. Sed nihil obstat quominus prior iunctio retineatur quae ipsa verborum collocatione suadetur. Demum κρατεῖν τὸν λόγον etiam ita interpretantur, ut apostoli dicantur sermonem Domini firmiter animis impressisse et tenaciter in memoria reconditum habuisse et alte repositum (*Bisp. Schegg*), id quod dein magis explicatur : conquirentes etc., ita ut hac sententia addita simul declaretur, quanto studio Domini sermonem mente pertractaverint.

Cum Iesum in gloria vidissent et hanc gloriam postmodum narrare iussi essent videntur conclusisse, prope abesse regnum messianum gloriosum. Fortasse etiam quod Iesus de resurrectione dixerat eodem modo de regno gloriose condendo intellexerunt vel intelligi posse sua disquisitione statuerunt. Eos enim de tali regno cogitasse sequitur ex quaestione quam Domino proponunt v. 10 *et interrogabant eum dicentes :*

quid ergo dicunt pharisaei et scribae, quia Eliam oportet venire primum? cum agatur de quaestione quae ex Mal. 4,5 originem ducit, lectio illa qua solum scribae, legis doctores, commemorantur, genuina videtur; et quia dicitur *interrogabant*, legendum et explicandum erit ὅ, τι, quod saepius eodem sensu ponitur quo τί vel διὰ τί, id quod *Euth.* adnotat ad v. 28 : τὸ ὅτι ἀντὶ τοῦ διατί, cuius usus exempla etiam apud LXX reperiuntur (cf. *Buttmann* l. c. p. 218; *Schegg*, *Schanz*). Nam apparitionem Eliae in monte factam non posse censeri impletionem oraculi, quo Elias omnia dicitur restituturus, satis perspexerunt.

Iesus autem ex ipso oraculo iis demonstrat Eliae adventum ante suam passionem non posse concipi: v. 11 *qui respondens ait illis : Elias cum venerit primo restituet omnia*, uti Mal. 4,6 indicatur : convertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum i. e. sanabit apostasiam qua generationes posteriores a fide et pietate patriarcharum defecerunt (vide meum Comment. in Proph. min. II p. 487). Iam vero si Elias debet reducere pietatem et omnia ad sanctitatis normam componere, *et quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur?* quomodo scil. fieri posset, ut fide et pietate in populo restituta Messias ab eodem populo contemptui et cruciatibus traderetur? Unde Christus ex duobus illis vaticiniis de Elia et Messia ostendit ipso illorum argumento patere Eliam thesbiten non praecedere ante primum Messiae adventum. « Si enim primi adventus praecursor fuisset Thesbites restituturus omnia, quomodo scriptum esset de Filio hominis eum esse passurum haec et illa? igitur e duobus alterum colligitur, vel non esse Eliam prioris adventus praecursorem, si quidem vere dicunt Scripturae debere pati Christum, vel non vere dicere Scripturas annuntiantes esse Christum passurum, si quidem crediderimus secundum mentem pharisaeorum fore Eliam thesbiten prioris adventus praecursorem. Elias enim restituturus est omnia et non erit ultra incredulus Iudaeus, sed omnes credent praedicationi quotquot Eliam audierint » (*Theoph.* sim. *Euth. Patr. Bisp. Reischl*). Unde constat Eliam non posse venire antequam Messias patiatur. Cum Iesus dicat : Elias primum restituit omnia (*primum*, scil. antequam veniat dies Domini magnus et horribilis, Mal. 4,5), ἀποκαθιστάνει, doctrinam enuntiat in oraculo Malachiae contentam, ideoque tempore utitur praesenti quo sententia generatim recepta exprimi solet.

Iesus iam antea discipulis dixerat de Ioanne baptista : si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est (Matth. 11,14); quare pergit v. 12 *sed dico vobis*, ἀλλὰ, iam vero, qua particula oratio etiam continuatur et augetur, uti si dicas quin immo, *quia et Elias venit et fecerunt illi quaecumque voluerunt, sicut scriptum est de eo;* unde docet quo sensu

verum sit Eliam etiam esse praecursorem primi sui adventus; cf. Luc. 1,17. « Sunt qui putent verba *sicut scriptum est* dicta esse de verbis *Elias venit* illisque commemorari Malachiae vaticinium de Ioanne baptista (3,1); atque huic opinioni latina exemplaria vaticana consonant in quibus verba *et fecerunt illi quaecumque voluerunt* notis parentheseos inclusa sunt. Attamen difficultas omnis disparet, si pronomen *eo* non de baptista sed de Elia dictum sit; sensus enim is erit : fecerunt Ioanni quaecumque voluerunt, sicut scriptum est de Elia, hoc est, similia eorum quae in Scripturis sacris legimus contra Eliam commissa esse; Eliae enim, etsi is necatus non fuerit, imaginem tamen in Ioanne expressam eo quoque videmus, quod hic non secus ac ille (3 Reg. 19,1 seq.) pro Dei legibus tutandis in furentis feminae offensionem atque odium incurrerit ab eaque omnimodis exagitatus et ad necem quaesitus sit » (*Patr.*) Atque ita illud scriptum est de eo merito concipiunt *Schegg, Bisp. Schanz, Keil, Weiss.*

At variae proponuntur sententiae de sensu v. 11. Quam supra dedi et quam in medium protulerunt *Theoph. Euth.* aliique, *Ians.* vocat satis coactam; mavult ille sequi sententiam *Bedae, Alb.*, qua explicatur : et quomodo scriptum est in Filium hominis, ut multa patiatur, *ita eveniet ei,* scil. Eliae. At id supplere plane arbitrarium est. Alii legentes καθώς interpretantur : Elias venturus restituet omnia, sicut scriptum est de Filio hominis etc., ut intelligatur Dominus velle confirmare fidem passionis suae ex fide venturi Eliae et ostendere utrumque esse credendum et Eliam venturum et se esse moriturum. Ita concipere videntur *Erasmus* et *Cai.;* at ea explicatione particula *et* dicitur superesse, nec satis congruum est ex oraculo de Elia velle confirmare passionem Christi. Iterum aliter iungit *Fil.* dicens arcte inter se referri v. 11 et 12 : eodem modo quo scriptum est de Filio hominis... eodem modo vobis dico Eliam venisse... sicut scriptum sit de eo. Verum num καὶ πῶς... ἀλλὰ ita licet interpretari? Alii malunt interrogationem finiri sententia : et quomodo scriptum est de Filio hominis? ita ut veluti responsum sequatur : ut multa patiatur et pro nihilo reputetur (ἐξουδενηθῇ); ita *Schegg* aliique. Neque tamen id necessarium est; potest enim ἵνα qua particula etiam imperativus exprimitur quandoque (cf. 5,23; *Winer* l. c. § 43,5), bene ad interrogationis sententiam coniungi. — Ex hac quoque responsione quam Marcus refert perspicuum est Christum non negare Eliam esse venturum, sed id omnino affirmare. Ceterum vide quae adnotavi in Comment. in Proph. min. II p. 485 seq. et ad Matth. 17,11.

k) Sanatur puer daemoniacus 9,13-28.

9,13. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et Scribas conquirentes cum illis. 14. Et con-

9,13. Καὶ ἐλθόντες πρὸς τοὺς μαθητὰς, εἶδαν ὄχλον πολὺν περὶ αὐτοὺς, καὶ γραμματεῖς συνζητοῦντας πρὸς αὐτούς. 14. καὶ

festim omnis populus videns Iesum, stupefactus est et expaverunt, et accurrentes salutabant eum.

15. Et interrogavit eos : Quid inter vos conquiritis? 16. Et respondens unus de turba, dixit : Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum; 17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit; et dixi discipulis tuis ut eiicerent illum, et non potuerunt. 18. Qui respondens eis, dixit : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? afferte illum ad me. 19. Et attulerunt eum. Et quum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum : et elisus in terram, volutabatur spumans. 20. Et interrogavit patrem eius : Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? At ille ait : Ab infantia : 21. Et frequenter eum in ignem et in aquas misit ut eum perderet : sed si quid potes, adiuva nos, misertus nostri.

22. Iesus autem ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. 23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat : Credo, Domine; adiuva incredulitatem meam. 24. Et cum videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi : Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo : et amplius ne introeas in eum. 25. Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est. 26. Iesus autem tenens manum eius, elevavit eum, et surrexit. 27. Et quum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum : Quare nos non potuimus eiicere eum?

28. Et dixit illis : Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et ieiunio.

εὐθὺς πᾶς ὁ ὄχλος ἰδόντες αὐτὸν ἐξεθαμβήθησαν καὶ προστρέχοντες ἠσπάζοντο αὐτόν· 15. καὶ ἐπηρώτησεν αὐτούς, Τί συνζητεῖτε πρὸς αὐτούς; 16. καὶ ἀπεκρίθη αὐτῷ εἷς ἐκ τοῦ ὄχλου, Διδάσκαλε, ἤνεγκα τὸν υἱόν μου πρός σε, ἔχοντα πνεῦμα ἄλαλον. 17. καὶ ὅπου ἐὰν αὐτὸν καταλάβῃ, ῥήσσει αὐτόν· καὶ ἀφρίζει, καὶ τρίζει τοὺς ὀδόντας καὶ ξηραίνεται· καὶ εἶπα τοῖς μαθηταῖς σου ἵνα αὐτὸ ἐκβάλωσιν, καὶ οὐκ ἴσχυσαν. 18. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτοῖς λέγει, Ὦ γενεὰ ἄπιστος, ἕως πότε πρὸς ὑμᾶς ἔσομαι; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; φέρετε αὐτὸν πρός με· 19. καὶ ἤνεγκαν αὐτὸν πρὸς αὐτόν· καὶ ἰδὼν αὐτὸν, τὸ πνεῦμα εὐθὺς συνεσπάραξεν αὐτόν· καὶ πεσὼν ἐπὶ τῆς γῆς, ἐκυλίετο ἀφρίζων. 20. καὶ ἐπηρώτησεν τὸν πατέρα αὐτοῦ, Πόσος χρόνος ἐστὶν, ὡς τοῦτο γέγονεν αὐτῷ; ὁ δὲ εἶπεν Ἐκ παιδιόθεν. 21. καὶ πολλάκις καὶ εἰς πῦρ αὐτὸν ἔβαλεν καὶ εἰς ὕδατα, ἵνα ἀπολέσῃ αὐτόν· ἀλλ' εἴ τι δύνῃ βοήθησον ἡμῖν, σπλαγχνισθεὶς ἐφ' ἡμᾶς. 22. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Τὸ εἰ δύνῃ, πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι· 23. εὐθὺς κράξας ὁ πατὴρ τοῦ παιδίου [μετὰ δακρύων] ἔλεγεν, Πιστεύω, βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ. 24. Ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ὅτι ἐπισυντρέχει ὄχλος, ἐπετίμησεν τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ, λέγων αὐτῷ, Τὸ ἄλαλον καὶ κωφὸν πνεῦμα, ἐγὼ ἐπιτάσσω σοι, ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ, καὶ μηκέτι εἰσελθῃς εἰς αὐτόν. 25. καὶ κράξας, καὶ πολλὰ σπαράξας αὐτὸν, ἐξῆλθεν· καὶ ἐγένετο ὡσεὶ νεκρὸς, ὥστε τοὺς πολλοὺς λέγειν ὅτι ἀπέθανεν. 26. ὁ δὲ Ἰησοῦς κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτοῦ ἤγειρεν αὐτόν· καὶ ἀνέστη. 27. Καὶ εἰσελθόντος αὐτοῦ εἰς οἶκον, οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κατ' ἰδίαν ἐπηρώτων αὐτὸν Ὅτι ἡμεῖς οὐκ ἠδυνήθημεν ἐκβαλεῖν αὐτό; 28. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Τοῦτο τὸ γένος ἐν οὐδενὶ δύναται ἐξελθεῖν, εἰ μὴ ἐν προσευχῇ [καὶ νηστείᾳ].

In v. 13 ελθοντες etc ℵ B L Δ k arm Ti W H; alii testes ελθων etc. In v. 14 D προσχεροντες (loco προστρεχ.), item c d ff² i k gaudentes; dub mt wil gat occurrentes. In v. 15 et interrogavit τους γραμματεις Λ C N Χ Γ Π unc 9 al longe pler a syr (utr) go; αυτους ℵ B D L Δ aliq minusc it vulg cop arm aeth; D εν υμιν; item it pler vulg *inter vos*. In v. 16 spiritum *immundum* dub ept lich ken rush a b q; mutum immundum i. In v. 18 codd pler vulg *dicit*; D γενεα απιστε και διεστραμμενη; lich generatio *mala et* ad.

In v. 21 δυνη ℵ B D I L Δ aliq minusc. Ti W H; al δυνασαι; *et* in ignem car ox tol val wil harl. In v. 22 illud το ει δυνη exprimit a quid est si quid potes? cop quid est hoc si potes aliquid? arm num dixisti? aeth quoniam dixisti; add πιστευσαι Λ C^3 D N X Γ Π unc 9 al pler it vulg go syr (utr) Chr. In v. 23 μετα δακρυων ελεγεν A^2 C^3 D N X Γ Π unc 9 al pler it vulg syr (utr) ev hier go; non legitur κυριε in ℵ A B C^* D L 346. g^1 i k l go syr (utr) am cav dub ept lich med rush lind; habetur κυριε in C^2 N X Γ Δ Π unc 9 al fere omn ev hier a b c f big fuld theod ing car mt ox ken tol val wil corp harl. In v. 24 D και οτε ειδεν, pariter it vulg et cum videret. In v. 25 τους πολλους ℵ A B L Δ 33 Ti W H; c k clamavit et dissipavit; a exclamans cum multum conlisisset. In v. 27 εισελθοντα αυτον Λ N X Γ Π unc 9 al pler; οτι ημεις ℵ B C L N X Γ Δ unc 7 al longe pl; διατι A D K Π al plus 30; U aliq minusc οτι διατι. In v. 28 non habent και νηστεια ℵ* B W; sed habent reliqui testes et versiones; Ti non habet; habent in margine W H.

In monte apostoli testes erant gloriae Iesu et pro eius benignitate etiam ipsi sanctis perfundebantur deliciis : bonum est nos hic esse. Alia scena iis offertur ad radices montis. Cernunt ibi furorem daemonis eiusque saevitiam et crudelitatem et ferociam; sed simul vident eius potentiam et vexandi libidinem solo Iesu mandato penitus prosterni et coerceri; v. 13 *et veniens ad discipulos suos vidit turbam magnam circa eos,* graece aptius numero plurali : et venientes ad discipulos (novem reliquos qui non adducti erant ad montem) viderunt, neque enim ulla reperiri potest ratio cur speciatim de Iesu dicatur eum vidisse et advertisse turbam quasi nescius quid futurum esset descendisset de monte; cur magna hominum turba discipulos stiparit, ratio etiam continetur in verbis sequentibus : *et scribas conquirentes cum illis;* de qua re disputent, merito colligunt ex sequentibus; « potest vero (ni fallor) apte intelligi de hoc quaestionem fuisse motam quare ipsi salvare daemoniacum non possent » (*Beda*) et, ut *Cai.* addit : rationabile est quod imputarent discipulis mali aliquid, puta quod vane sequerentur Iesum aut aliquid huiusmodi ex quo non poterant illum curare. Atque eam fuisse materiam disputationis, satis patet eo quod ad interrogationem Iesu v. 15 respondet pater pueri a daemone infestati rem exponens. Merito etiam notant *Vict. Theoph. Euth. Ians.* malitiam scribarum qui cum discipulos reperissent solos absentia Iesu audaces facti iam putarint se nactos esse occasionem eos vexandi et speciem victoriae apud plebem obtinendi et ipsius quoque magistri eorum auctoritatem minuendi. Cum itaque discipulos eo modo quaerendo et disputando aggrederentur, magna hominum turba, uti fieri solet si qui inter se disceptant, attrahebatur. Et cum scribae ipsum Dominum saepius conarentur in sermone capere, plane improbabile est quod *Schegg* censet ab istis scribis omnem abfuisse malevolentiam. Sed nonne impotentia discipulorum optimam praebebat opportunitatem eos aggrediendi? Et cur *solus* populus Iesum advenientem salutat?

Praesentia Iesu omnibus inopinata et inexspectata (*Cai. Ians. Lap.*) et dignitas illa et maiestas quae in toto eius habitu relucebat sacro quodam pavore et reverentia turbam affecit v. 14 *et confestim omnis populus videns Iesum stupefactus est et expaverunt,* videtur subesse duplex versio unius ἐξεθαμβήθησαν, qua fortasse vetus iam interpres consultum esse voluit disceptationi quam recentiores quoque movent insitne verbo notio admirationis an timoris. Exprimi timorem, pavorem clarum est ex 14,33 et 16,5. 6; quare dici omnino debet eos subita illa Iesu praesentia obstupefactos esse; cuius rationem etiam reddunt quia Iesus negotio quod tunc instabat transigendo tam opportunus aderat (sim. *Lap.*) et quia tenebantur exspectatione eius quod cum discipuli facere nequivissent, magistrum facturum sperabant (*Patr.*). Alii rationem repetunt ex splendore quodam qui in facie eius ex transfiguratione remansisset eo fere modo, quo Moyses olim facie lucente ex monte Domini descendisset. Mirum profecto est eam opinionem multis arrisisse (*Euth. Alb. Cai. Salm. Ians. Lap. Bisp. — de Wette, Volkmar* — iam τινες apud Theoph.); cum enim Iesus praecepisset ne quidquam de transfiguratione dicerent, quomodo censeri posset ipse eius prae se ferre indicium et insolito splendore reliquos apostolos quasi invitare ut ex tribus illis causam exquirerent? Turba gaudio tamen et reverentia multa Dominum suscipiunt: et *accurrentes salutabant eum;* constructio grammaticalis est eadem quae antea πᾶς ὁ ὄχλος ἰδόντες, et cum iam v. 13 turba et scribae separatim nominentur, etiam hic de sola turba verba sunt explicanda; « scribae nihil devotionis, fidei, humilitatis, reverentiae ei exhibent » (*Beda,* sim. *Vict. Euth.*).

Iesus autem v. 15 *interrogavit eos,* scil. accurrentes et salutantes; ergo populum. Lectio αὐτούς genuina est; altera τοὺς γραμματεῖς originem ducit ex v. 13 et correctione quadam inducta est ab iis quibus incredibile videbatur Iesum interrogare populum, cum tamen scribae disputassent cum discipulis. At uti Iesus more hominum *interrogat* quamvis non ignoret de qua re tractatum sit, ita cum a longinquo solum disputantium clamores audirentur nec qui disputarent cum discipulis in conferta multitudine satis dignosci posset, Iesus etiam more hominum interrogat *eos* i. e. turbam ei occurrentem; quare nullo modo opus est *eos* explicare de scribis (*Cai.*) vel de scribis et discipulis (*Ians.*); *quid inter vos conquiritis?* πρὸς αὐτούς quid cum eis disceptatis? quae lectio numero testium comprobatur et plane apta est. Nam cum discipulis disceptabant; id quoque ab eo qui ad turbam appropinquabat adverti potuit; in ore magistri illi αὐτούς non possunt intelligi nisi discipuli; unde in hac quoque parte Iesus more hominum loquitur. Cur autem Iesus interroget, non est cum aliquibus acatholicis (perperam sentientibus de

Incarnatione) ad eius ignorationem reiiciendum (cf. *Weiss*), sed dicendum cum *Ians.* : « ut miraculo praeberet occasionem et discipulos a scribarum vexatione liberaret; Dominus enim qui ad tempus suos confundi ob impotentiam patrandi miraculi et divexari a scribis permisit, ut sibi melius innotescerent et de sua incredulitate redarguti ad perfectiorem fidem proficerent, mox et in tempore suis adfuit a confusione et a vexatione liberaturus, ne illorum confusio in ignominiam etiam evangelii vergeret ».

De quanam autem re disceptatum sit, elucet ex responsione qua proditur impotentia discipulorum ad curandum puerum a daemone oppressum (*Bed. Cai.*) v. 16 *et respondens unus de turba dixit*, turbam Iesus interrogat; unde unus ex eis respondet; patrem autem respondere qui dedit ansam disceptationis, plane decet; insuper is prae magno salutis filii desiderio omnes vult praevenire et suam causam Domino exponere et commendare (*Ians.*). Quare non opus est alias quaerere rationes, neminem esse ausum, discipulos propter pudorem de sua impotentia, scribas male sibi conscios; *magister attuli filium meum ad te*, loqui videtur eo modo quo domo proficiscens cogitabat; unde dicit *ad te;* alii explicant ad domum tuam ubi versari solebas (*Schegg*), vel eo ubi te adesse propter discipulorum praesentiam coniiciebam (*Weiss, Keil*); vix : *nunc* attuli ad te (*Schanz*), nam *et dixi* etc. v. 17 obstare videtur et v. 19; cur attulerit addit : *habentem* ἔχοντα (sine articulo; proinde : quia habet) *spiritum mutum* i. e. daemonem qui eius linguam ligat eumque reddit mutum (*Euth. Cai.*); praeterea ea patitur vexatione quoque daemonis quae morbo comitiali propria sunt et quae epileptici experiuntur; unde etiam lunaticus dicitur (Matth. 17,15) v. 17 *qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum*, ῥήσσει i. e. καταβάλλει εἰς γῆν (*Euth.*); alii explicant generatim de convulsionibus quibus eo morbo laborantes vexari solent; *et spumat* scil. puer; quae mutatio subiecti grammaticalis ad modum narrandi concitatum et popularem apta est, *et stridet dentibus et arescit* i. e. contabescit, emacrescit, macie tenuatur; alii etiam interpretantur : obrigescit; ἀναισθητεῖ (*Euth.*) sine sensu efficitur, impos factus omnium membrorum (*Ians.*); *et dixi discipulis tuis ut eiicerent illum et non potuerunt;* quamvis accepissent potestatem eiiciendi daemonia (3,15). Miseriam pueri quae simul sua patris est (v. 21) diligenter itaque et per singula exponit.

Iesus autem ex defectu fidei daemonem non potuisse expelli declarat; v. 18 *qui respondens eis*, αὐτοῖς est lectio longe communior, quae ipsa responsione ad omnes directa comprobatur (non αὐτῷ, ei) et cum Iesus v. 15 turbam interrogasset, unus ille nomine omnium respondisse censetur, quare illis quoque nunc Christus respondere dicitur; *dixit* (dicit) :

o generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? post tot potentiae documenta edita reprehendit sacra quadam indignatione illorum in fide tarditatem et duritiem; « non quod taedio superatus sit mansuetus ac mitis, nec in verba furoris erupit, sed quo in similitudinem medici, si aegrotum videat contra sua praecepta se gerere, dicat : usquequo accedam ad domum tuam? quousque artis meae perdam industriam me aliquid iubente et te aliud perpetrante? In tantum autem non est iratus homini, sed vitio, ut statim intulerit : *afferte illum ad me* » (*Beda*). Sed quos nomine generationis incredulae designat? Iudaeos, populum plerique respondent, ita ut discipulos ab ea reprehensione eximant (cf. *Vict. Euth. Calm. Patr. Schegg*). Sed cum Christus Matth. 17,20 discipulis aperte dicat : propter incredulitatem vestram non potuistis eiicere, profecto non potest ulla ratio assignari cur eximantur, e contra gravissima exsistit, ut ea reprehensione ipsi quoque tangi censeantur. Immo cum agatur de expulsione daemonis quae propter fidei defectum fieri non potuit, iste defectus non quaerendus est in turba hominum adstantium, verum in patre vel in discipulis vel potius in patre et discipulis. Eorum enim qui circumstabant incredulitas certe non in causa erat cur discipuli non possent daemonem expellere. Quare reprehensio Christi proxime orta est ex fidei defectu in patre et discipulis et ad omnes solum extenditur, quia in defectu horum Christus illum morbum quasi repraesentari cernit quo populus generatim laborat. Humano modo ut loquamur, horum incredulitate ei in memoriam reducitur omnes simili aegritudine affici. Neque valet quod *Patr.* oggerit, discipulis in v. 28 aliam afferri a Christo causam; illos ergo defectus fidei minime accusari. At accusantur totidem verbis in eadem re Matth. 17,20.

Puer itaque ad Dominum affertur v. 19 *et attulerunt eum, et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum et elisus in terram volutabatur spumans* ἰδὼν αὐτόν aliqui explicant de puero : simulac puer vidit Iesum, daemon contorsit et convellit eum; nominativus tunc explicatur propter subsequens ἐκυλίετο (*Ians. Lamy, Schegg, Bisp. Schanz, Fil.*); sed cum haec constructio sit satis coacta, potius ἰδὼν referri debet ad πνεῦμα, ut sit constructio ad sensum quae pariter habetur in v. 26 et facile intelligitur, cum de daemone sermo sit. Daemon conspectum Domini ferre nequit; unde eo quo potest modo furorem suum et iram manifestat. Iesus autem id permittit, ut daemonis indoles omnibus innotescat et quo magis eius rabies et potentia manifestetur, eo magis quoque in clade talis inimici potestas Salvatoris commendetur. « Allatum Domino puerum spiritus conturbat et elidit, quia saepe dum converti ad Dominum post peccata conamur, maioribus novisque antiqui

hostis pulsamur insidiis. Quod ob id utique callidus facit adversarius, ut vel odium virtutis incutiat vel expulsionis suae vindicet iniuriam » (*Beda*). Iesus autem v. 20 *interrogavit patrem eius : quantum temporis est, ex quo hoc ei accidit?* qua interrogatione iam impertit misericordiam patri ostendens sibi curae esse ac cordi pueri calamitatem; ex qua Iesu clementia pater spem ac consolationem percipit quare et malum enarrat et opem implorat; *at ille ait : ab infantia,* v. 21 *et frequenter eum in ignem et in aquas misit, ut eum perderet;* sic scil. videbatur patri daemon agere et velle; verum aliud est volueritne daemon revera eum occidere; quod negandum erit, quia sane daemon in puero inhabitare eumque vexare maluit, quam se ipsum spoliare et occasione vexandi et domicilio quod daemonibus omnino gratum est (uti ex Matth. 8,31 et Marc. 5,10 et Luc. 8,31 satis consequitur); *sed si quid potes,* scil. in casu isto gravissimo qui ob diuturnitatem incurabilis videri poterat; τι explica per modum adverbii : si forte potes; nam Iesum aliquid posse vel aliquam habere potestatem homo non ignoravit; alias puerum non adduxisset; *adiuva nos misertus nostri,* pater enim loquitur qui filii miseriam reputat quoque suam, idque merito; nam praeter dolorem commiserationemque etiam alia incommoda haud pauca neque levia malo filii ei inferuntur.

Utique dum dicit : si forte potes ullo modo iuvare, multo inferiorem in fide se ostendit illo leproso (1,40). Sed sicut tunc Dominus fidem leprosi confirmans alludendo ad eius verba dixit : volo, mundare, ita nunc imperfectam huius fidem redarguens eamque perficere volens etiam alludendo ad eius verba dicit (*Ians.*) v. 22 *si potes credere, omnia possibilia sunt credenti,* clarius est allusio in graeco τὸ εἰ δύνῃ, quod attinet illud *si potes*, omnia possibilia credenti; itaque si credis, pueri salutem impetrabis; « non dicit : possum certe, sed indignus es cui praestem quod possum propter incredulitatem tuam, sed summa verborum usus modestia suam potentiam aliorum potentiae quodammodo subiicit, immo de sua potentia omnino silens omnia fidei tribuit » (*Ians.*). Intelligit itaque pater ex sua fide pendere filii salutem et in fidei confessionem alacer prorumpit et imperfectae suae fidei respectum et meritum deprecatur v. 23 *et continuo exclamans pater pueri cum lacrimis aiebat : credo, Domine, adiuva incredulitatem meam;* haud raro explicant : perfice fidem meam imperfectam, ut scil. sensus sit : auge mihi fidem (cf. *Alb. Calm. Bisp. Schegg, Fil.*); verum iam *Salm. Ians.* notant ea verba non sic videri accipienda, sed eum voluisse petere, ut Dominus sua potentia id suppleret quod fidei imperfectio non impetraret; proin sensum esse : credo te posse; sed si quid adhuc fidei deest, tu quaeso id supple, ut si non

sufficiat mea fides, id tamen quod volo impetrem tua clementia. Eadem est explicatio *Cai.* cum dicat patrem petere ut suppleat Iesus id incredulitatis quod in se recognoscat, itemque *Lamy :* supple id quod fiduciae meae deest potentia et bonitate tua. Quae explicatio ad vocem βοηθεῖν unice congruit; nunquam enim significat corrigere, emendare, perficere, sed auxilium ferre; unde sicut dictum est in v. 21 βοήθησον ἡμῖν fer nobis opem, ita hic dicitur : fer opem mihi incredulo (cf. *Schanz, Keil, Weiss*). Credit, sed verebatur, ut fides satis futura esset, eamque propterea incredulitatem vocat (*Patr.*) nam, ut *Beda* notat, quia fides gradibus crescit, uno eodemque tempore is qui necdum perfecte crediderat simul et credebat et incredulus erat (sim. *Vict. Sylv.*).

Accedit Iesus petitioni; simul ac videt fieri concursum populi, daemonem expellit etiam hic vitans nimiam frequentiam et concitationem turbarum v. 24 *et cum videret Iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo dicens illi : surde et mute spiritus, ego praecipio tibi,* ego quem nosti praecipio (*Euth.*), *exi ab eo et amplius ne introeas in eum;* daemonem enim tentare ut domum ex qua expulsus sit repetat, Matth. 12,43 seq. declaratur; v. 25 *et exclamans,* edens terribilem rugitum vocis inarticulatae (*Sylv.*) *et multum discerpens eum exiit ab eo* σπαράξας postquam eum distorsit, convellit multum; permisit id Christus, ut daemonis malitia, rabies, potentia patefieret; et daemon suo modo ostendit quam aegre ferret quod cogeretur Christo obedire et hominem relinquere quem torquere sibi volupe erat (*Ians.*); *et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est;* merito ibi deprehenditur modus agendi daemonis, qui scil. plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat quam prius excitaverat quando hoc quietus possidebat (cf. *S. Gregorius* hom. in Ez. 1,12 n. 24; *M.* 76,930; 79,1056. *Beda*). Iesus autem suam declarat potentiam et bonitatem v. 26 *Iesus autem tenens manum eius elevavit eum et surrexit;* attende modum agendi diversum; in daemone strepitus, vexatio, perturbatio; in Christo quies, dignitas, benevolentia.

Discipuli cum antea recepissent potestatem eiiciendi daemones non poterant non mirari cur non potuissent hunc domare daemonem v. 27 *et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum : quare nos non potuimus eiicere eum?* ὅ τι explica, uti in v. 11, et uti in aliquibus codd. legitur διατί; non esse ὅτι quod vocant recitativum (ut vult *Weiss*) patet ex verbo ἐπηρώτων. Quomodo is quoque eventus ad edocendos apostolos spectet, discimus v. 28 *et dixit illis : hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione et ieiunio;* sunt quidem qui id de omnibus generatim daemonibus dictum esse putent; at plerique

recte censent Dominum, dum dicat *hoc genus,* de certo quodam genere daemonum loqui. Idem quoque ex eo efficitur, quia discipuli alia daemonia ab aliis eiiciebant (6,13) neque tamen iis antea significatum fuit id fieri non posse nisi in oratione et ieiunio. Exsistit itaque genus quoddam daemonum aliis potentius et ferocius, genus illud daemonum, ut *Ians.* existimat, qui iamdiu aliquem possederunt, ut malum fere in naturam sit versum. Porro ex ipsis illis vexationibus quibus puer erat subiectus, ex ligamine linguae auriumque, satis apparet pessimum in eo insedisse daemonem et obstinatissimum. Ad eiusmodi daemones vincendos opus est *oratio,* coniunctio cum Deo assidua et fervens imploratio auxilii divini, *ieiunium,* quo mens ad orationem magis disponitur et quo poenitentiae genere uberiores gratiae a divina bonitate impetrantur. Itaque maiori daemonis potentiae et malitiae maior quoque pietatis conatus opponi debet. Sed cui maior iste conatus praecipitur? dicit *Cai.* ex parte curantium requiri, *Ians.* magis sanaturo praecipi. Sed cum Christus affirmet, illud genus tum solum exire, ubi oratio adhibeatur et ieiunium, proin ibi nolle et non posse remanere, ubi frequens sit exercitium hoc pietatis et poenitentiae, fortasse dicendum erit cum *Patr.* e Christi verbis minime effici hoc exercitium ei magis necessarium esse qui id genus expellere vult quam a quo est expellendum. Et utrumque scire discipulorum interest quam maxime. Hisce Christi verbis simul documenta nobis traduntur et arma ad daemonem oppugnandum et eiiciendum e mente quam variis tentationibus ad malum pertrahere et occupare studet; circuit enim quaerens quem devoret! Vide Comment. Matth. II p. 97.

l) Iesus docet de passione et humilitate 9,29-36.

9,29. Et inde profecti praetergrediebantur Galilaeam, nec volebat quemquam scire.

30. Docebat autem discipulos suos et dicebat illis : Quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia die resurget. 31. At illi ignorabant verbum, et timebant interrogare eum.

32. Et venerunt Capharnaum. Qui quum domi essent, interrogabat eos : Quid in via tractabatis? 33. At illi tacebant : siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum maior esset? 34. Et residens vocavit duodecim, et ait illis :

9,29. Κἀκεῖθεν ἐξελθόντες ἐπορεύοντο διὰ τῆς Γαλιλαίας· καὶ οὐκ ἤθελεν ἵνα τις γνοῖ. 30. ἐδίδασκεν γὰρ τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, καὶ ἔλεγεν Ὅτι ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτόν· καὶ ἀποκτανθεὶς, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστήσεται. 31. Οἱ δὲ ἠγνόουν τὸ ῥῆμα, καὶ ἐφοβοῦντο αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

32. Καὶ ἦλθον εἰς Καφαρναούμ· καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος ἐπηρώτα αὐτούς, Τί ἐν τῇ ὁδῷ διελογίζεσθε; 33. οἱ δὲ ἐσιώπων· πρὸς ἀλλήλους γὰρ διελέχθησαν ἐν τῇ ὁδῷ, τίς μείζων. 34. καὶ καθίσας ἐφώνησεν τοὺς δώδεκα, καὶ λέγει αὐτοῖς, Εἴ τις θέλει

Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister.

35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum; quem quum complexus esset, ait illis : 36. Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit : et quicumque me susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me.

πρῶτος εἶναι, ἔσται πάντων ἔσχατος, καὶ πάντων διάκονος. 35. Καὶ λαβὼν παιδίον, ἔστησεν αὐτὸ ἐν μέσῳ αὐτῶν· καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ, εἶπεν αὐτοῖς, 36. Ὃς ἂν ἓν τῶν τοιούτων παιδίων δέξηται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται, καὶ ὃς ἂν ἐμὲ δέχηται, οὐκ ἐμὲ δέχεται, ἀλλὰ τὸν ἀποστείλαντά με.

In v. 29 παρεπορευοντο ℵ A B^3 C L N X Γ Δ unc 9 al certe pler. In v. 30 μετα τρεις ημερας ℵ B C* D L Δ it pl ev hier; τη τριτη ημερα A C^3 N X Γ Π unc 9 al pler et verss. In v. 32 cum domi *esset* (uti graece) in am fuld hub* car med mt ox val corp harl hent. In v. 34 lich *fiat* omnium novissimus.

Etiam hic nobis ostenditur Christus maxime occupatus in erudiendis apostolis. Immo quo quietius eos doceret, iter suum Capharnaum versus voluit latere, v. 29 *et inde profecti* a loco sanationis qui erat ad radices montis transfigurationis *praetergrediebantur Galilaeam*, graece transibant per Galilaeam, in voce παραπορεύεσθαι notio exhibetur proficiscendi obiter, in transcursu, ita ut nullibi longior fiat mora (cf. *Ians. Schanz, Weiss*); alii : ad latus transire, clam transire (*Mald. Schegg*); verum vox apud LXX ponitur etiam pro עבר (uti *Lamy*, notat) et pro הלך. Cum dicatur eos transisse per Galilaeam, aliqui contendunt extra Galilaeam reversionem fuisse coeptam, eosque ex loco extra Galilaeam esse profectos (*Lamy, Schegg*). Id utique sequeretur, si Marcus scriberet pro iis qui regionem Galilaeae optime haberent perspectam, neque tamen, si Romanis indicare voluit quo in Palaestinae tractu versatus sit; *nec volebat quemquam scire*, ut in secreto docere posset apostolos, quemadmodum *Alb.* dicit. Idque recte, nam sequitur ἐδίδασκεν γάρ v. 30 *docebat autem discipulos suos et dicebat illis : quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum et occident eum et occisus tertia die resurget;* per illud iter saepius eos docebat, saepius de passione sermonem inferebat, uti ἐδίδασκεν, ἔλεγεν indicat; quare apte redditur ratio, cur occulte fecerit iter, neque dicendum est cum *Mald.* quod Christus tunc dicebat apostolis, uno aut plurimum tribus dixisse verbis; quare in v. 30 non posse reddi causam itineris occulti, sed quaerendam esse aliam, « quia tempus passionis appropinquabat volebatque patiendi causa contendere Ierosolymam verebaturque ne si agnitus fuisset omnes ad eum undique ut solebant incolae concurrerent et aut habendis concionibus aut daemonibus eiiciendis aut curandis aegrotis sese detinerent ». At de hac causa nihil dicitur; ergo retineamus eam quae exprimitur.

Miraculo patrato iterum sermonem infert de passione, ut ne putent

propter impotentiam ipsum pati (*Theoph. Vict.*); v. 31 *at illi ignorabant verbum;* significationem quidem verborum poterant assequi, utpote quae erant teste *Ians.* apertissima. Quare dicendum erit cum *Alb.* verbum hic denotare *rem;* rem scil. ipsam ignorabant, neque enim mente assequebantur quomodo fieri posset, ut is quem Christum esse Filiumque Dei pro certo habebant adeo indigna se pati compelleretur (*Patr.*); rationem itaque passionis et ad quid tenderet et quomodo haec passio cum eius dignitate congrueret non intellexerunt (cf. *Ians. Fil.*), sed cum Dominum saepius de sua passione et morte disserentem audirent, contristati sunt vehementer de sermone adeo lugubri et qui adeo a dignitate eius et potentia abhorrere videbatur (cf. Matth. 17,23). Censet *Beda* apostolos quia Dominum per figuras saepe loquentem audivissent, existimasse horrentes eventum mortis eius etiam in eis quae de traditione et morte diceret figurate aliquid significari; unde itaque quid illis verbis dicere vellet eos non intellexisse vel verba illa sensu proprio esse accipienda non sibi potuisse persuadere existimandum erit (cf. *Calm.*); *et timebant interrogare eum;* optime describitur anceps animorum status; suspicantur subesse verbis Domini quidquam acerbi et molesti et simul verentur ne triste illud et obscurum sibi pandatur; fortasse etiam timebant ne parem Petro repulsam referrent, vel ne audirent quod nollent : etiam vos sine intellectu estis (*Ians. Calm.*) vel eos esse tardos ad credendum, cum tamen vaticinia messiana iam passionem clare annuntiassent (cf. Luc. 24,25 seq.).

Iesus saepius locutus est de regno Dei appropinquante; insuper quod dixit de resurrectione iis in mentem reducere debuit instare regnum neque improbabile est Christum cum eo in itinere Capharnaum versus suos doceret v. 30, etiam sermonem miscuisse de regno suo. Quare occasio erat, ut inter se disceptarent, quis maior esset. Adde quod tres a Domino praeferri saepius adverterant, quod Petro adeo magnifica promissa dari audierant (Matth. 16,17-19; *Bed. Alb.*). Rem accuratius narrat Marcus quam Matthaeus qui breviter solum rei summam attigit v. 32 *et venerunt Capharnaum; qui cum domi essent,* ἐν τῇ οἰκίᾳ γενόμενος qui cum in domo esset, probabilissime in domo Petri (*Mald.* cf. 1,29), *interrogabat eos : quid in via tractabatis?* verum pudore suffusi v. 33 *illi tacebant; siquidem in via inter se disputaverant quis eorum maior esset,* τίς μείζων breviter et nervose; conscii sibi erant contentionis quae Domino placere non posset; unde deprehensi quasi in delicto tacent ipso silentio fatentes se eius rei et contentionis pudere coram Domino; v. 34 *et residens vocavit duodecim,* ipsa sessione declarans se rem seriam traditurum (*Ians.*), se agere animo quieto et non ex commotione animi (*Alb.*), sedet quasi de tribunali iudicaturus, quasi docturus rem maxime

necessariam quae non obiter, non stando (ut Horatius dicit, pede in uno), sed sedendo, otiose, accurate et suscepto consilio explicanda erat; solebat Christus ad docendum sedere (4,1. Matth. 5,1; 13,2. *Mald.*); *et ait illis : si quis vult primus esse, erit omnium novissimus et omnium minister;* dicit quidem *Patr.* non satis clarere utrum haec sint reprehensio poenamque significent superbiae qua quis aliis praeferri flagitet (qui se exaltat, humiliabitur!), an doctrina qua via Christi discipulus ire debeat, ut omnium primus habeatur; at merito existimant proponi doctrinam, id quod non solum eruitur ex locis Matthaei et Lucae, in quibus docet quid quemque praestare oporteat, ut evadat maior in regno coelorum (Matth. 18,4. Luc. 9,48), verum hic quoque satis indicatur membro ultimo : omnium minister erit; quomodo enim id si poena esset vel his in terris vel post mortem exsecutioni mandaretur? Curat itaque Dominus desiderium gloriae humilitatis contentione sanare (*Beda*). Quo quis igitur altior esse cupit in meritis apud Deum et consequenter in gloria, eo magis se submittat aliorumque se exhibeat ministrum. Ex verbis patet agi de primo loco in regno Dei quem non qui primus in potestate, sed qui primus in humilitate et meritis in aliorum servitio comparatis esset, consecuturus dicitur (*Mald.*). Possunt tamen verba apte extendi ad eum qui primus est dignitate et potestate; dein significatur quomodo se gerere debeat qui eiusmodi primatum adeptus est (*Ians.*).

Quam animorum simplicitatem et ab ambitione alienationem in suis postulet, declarat exemplo v. 35 *et accipiens puerum*, παιδίον, puellulum, *statuit eum in medio eorum;* vide Matth. 18,2. 3; eo ipso monet, ut malitia sint parvuli (1 Cor. 14,20; *Vict.*) visu docens ut sint parvuli instar humiles et demissi, sine ulla fictione, alieni ab ambitione, invidia, vindicta (*Theoph.*); *quem cum complexus esset*, ἐναγκαλισάμενος in ulnas recepisset, ut scil. hac amoris significatione demonstraret quantopere sibi placeret humilitas, simplicitas, innocentia; nam dum puerulum complectitur, humilitatem ipsam simplicitatemque complectitur et solemus arctissime complecti quae maxime probamus (*Mald.*); pariter ostendit quam singulari affectu eos amaret qui innocentiam parvulorum imitarentur. Nam, ut *Beda* ait, quod autem complectitur puerum, significat humiles suo dignos esse complexu ac dilectione, *ait illis :* v. 36 *quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo* ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ita scil. ut nomen Iesu sit ratio et causa cui illa receptio quasi superstruitur et innititur. Nomen autem significat ipsam Iesu personam quatenus se nobis manifestare dignabatur; proinde *re* bene explicant διὰ Χριστόν propter me (*Vict. Theoph.*). Ex doctrina de humilitate Iesus statim unam applicationem apostolis proponit, scil. ut tenera

cura parvulos prosequantur eorumque saluti prospiciant propter Iesum et omnia ea quae de Iesu eis innotuerant. Si consideraverimus quam parum vitae et innocentiae parvulorum consultum fuerit generatim apud gentes et quantum fastidii et molestiae cura et sollicitudo eorum multis afferre videatur, etiam deprehendemus quanti momenti sit hoc documentum. Dum autem proxime de uno genere loquitur, omnes sedulo commendat qui simili conditione inopes sunt et cura et auxilio indigent et apud homines contemptui habentur et fere negliguntur. Atque id quidem satis indicatur, cum *huiusmodi* τῶν τοιούτων dicat.

Et quo ad eiusmodi curam alacri animo suscipiendam eos exstimulet, exponit quam praeclara sit et quantum in se honoris ac praemii concludat : *me recipit ;* cf. Matth. 25,40 quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis; neque hic sistit gradum, verum sublimius quidquam enuntiat : *et quicumque me susceperit, non me suscipit,* loquitur Dominus secundum morem communem quo dicere solemus : quod mihi facis, non mihi facis, sed Deo, volentes significare non tantum nobis id fieri, sed Deo quoque, aut non tam nobis quam Deo qui scil. illud sit remuneraturus aut vindicaturus quasi sibi factum (*Ians.*), *sed eum qui misit me,* hoc est, id Deo Patri tam gratum est ac si ipsi impenderetur. Vides, inquit *Theoph.,* quanta possit humilitas, quanta mores simplices et ab omni dolo alieni ; Filium enim et Patrem in nobis habitare faciunt; manifestum autem quod et Spiritum sanctum.

m) De imprudenti zelo et scandalo 9,37-49.

9,37. Respondit illi Ioannes dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo eiicientem daemonia, qui non sequitur nos; et prohibuimus eum. 38. Iesus autem ait : Nolite prohibere eum. Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me. 39. Qui enim non est adversum vos, pro vobis est. 40. Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo, quia Christi estis : amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo eius, et in mare mitteretur.

42. Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus

9,37. Ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰωάννης, Διδάσκαλε, εἴδομέν τινα ἐν τῷ ὀνόματί σου ἐκβάλλοντα δαιμόνια, καὶ ἐκωλύομεν αὐτὸν, ὅτι οὐκ ἠκολούθει ἡμῖν· 38. Ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν, Μὴ κωλύετε αὐτόν· οὐδεὶς γάρ ἐστιν ὃς ποιήσει δύναμιν ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, καὶ δυνήσεται ταχὺ κακολογῆσαί με. 39. ὃς γὰρ οὐκ ἔστιν καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστίν. 40. ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς ποτήριον ὕδατος ἐν ὀνόματι ὅτι Χριστοῦ ἐστὲ, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν αὐτοῦ. 41. Καὶ ὃς ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον, εἰ περίκειται μύλος ὀνικὸς περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ βέβληται εἰς τὴν θάλασσαν. 42. Καὶ ἐὰν σκανδαλίσῃ σε ἡ χείρ σου, ἀπόκοψον αὐτήν· καλόν ἐστίν σε κυλλὸν εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν, ἢ τὰς δύο χεῖρας ἔχοντα ἀπελθεῖν εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ

habentem ire in gehennam, in ignem inexstinguibilem. 43. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. 44. Et si pes tuus te scandalizat, amputa illum; bonum est tibi claudum introire in vitam aeternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inexstinguibilis. 45. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur. 46. Quod si oculus tuus scandalizat te, eiice eum; bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.

47. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.

48. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur.

49. Bonum est sal: quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

πῦρ τὸ ἄσβεστον, 43. [ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.] 44. καὶ ἐὰν ὁ ποῦς σου σκανδαλίζῃ σε, ἀπόκοψον αὐτόν· καλόν ἐστίν σε εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλόν, ἢ τοὺς δύο πόδας ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν, [εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον] 45. [ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται.] 46. καὶ ἐὰν ὁ ὀφθαλμός σου σκανδαλίζῃ σε, ἔκβαλε αὐτόν· καλόν σε ἐστὶν μονόφθαλμον εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, ἢ δύο ὀφθαλμοὺς ἔχοντα βληθῆναι εἰς τὴν γέενναν, 47. ὅπου ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. 48. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, [καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται]. 49. καλὸν τὸ ἅλας· ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλα, καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις.

In v. 37 εφη ℵ B Δ cop syr (sch); alii testes et verss απεκριθη δε vel similiter; add λεγων in A L N X Γ Π unc 9 al pler f l q vulg (excipe wil) go arm; ος ουκ ακολουθει non legitur in ℵ B C L Δ aliq minusc f cop syr (sch) aeth W H; in aliis habetur, ut etiam apud Ti; οτι ουκ ηκολουθει ημιν habetur in pler; om D X pl minusc it (excipe f) vulg arm; sed utraque sententia videtur retinenda, quia habet emphasin neque explicari posset unde prior desumpta sit, altera autem maximo testium numero defenditur et cum aliquatenus recedat a Luc. 9, 49, non potest dici inde esse desumpta: εκωλυομεν in ℵ B D L Δ 1. 209. In v. 39 ημων ℵ B C D mu minusc k cop arm ev hier; alii testes υμων, uti vulg, quod ex v. 40 et Luc. 9, 50 ortum esse videtur. In v. 40 wil om enim. In v. 41 πιστευοντων sine additamento in ℵ Δ C* D ff² Ti W H; μυλος ονικος ℵ B C D L Δ al 10 fere it vulg syr (sch) go arm aeth; alii testes λιθος μυλικος. Illud v. 43 et v. 45 οπου ο σκωληξ... ubi vermis eorum... non habetur in ℵ B C L Δ aliq minusc k cop; in aliis testibus legitur, ut in A D N X Γ Π unc 9 al pler it pler vulg syr (utr) go aeth Aug; quae repetitio ad emphasin permultum confert et a multis testibus fulcitur; om Ti W H; retinuit Lachmann. In v. 44 εις την ζωην αιωνιον D vulg arm it pler; εις την γεενναν sine add ℵ B C L Δ aliq minusc b k cop syr (sch); F add του πυρος; it pler vulg inextinguibilis; add εις το πυρ το ασβεστον A D N X Γ Π unc 9 al pler a f ff² i go aeth. In v. 46 μονοφθαλμον, d cum uno oculo; f unum oculum habentem; a b c ff² g¹ ² i vulg luscum; l q rush caecum; k quacumque parte corporis debilem (postea *integrum* pro δυο οφθ. εχ.); γεενναν sine add ℵ B D L Δ aliq minusc a b c ff² k cop arm; al add του πυρος. In v. 48 g¹ omnes... examinantur; k omnia autem substantia consumitur; πασα θυσια etc. haec pars non legitur in ℵ B L Δ mu minusc k Ti W H; alii testes habent nec dici potest ea verba esse desumpta ex Lev. 2, 13 qui locus satis discrepat; pler codd vulg et omnis victima salietur; *sale* add fuld wil Ambr. In v. 49 codd pler αρτυσετε; A C D Π L N mu min αρτυσεται; k aliq minusc αρτυθησεται; unde d f med *condietur*, item cop syr (sch) arm go aeth.

Cum videri possit egisse et loqui Ioannem ex quadam aemulatione,

invidia, indignatione, quod qui Iesum non ut discipulus sequeretur nihilominus ausus esset uti Iesu nomine ad pellendos daemones, haec quoque pars et institutio a Christo tradita non est aliena a doctrina de humilitate. Quare nexus cum antecedentibus non deest. Alii quandoque opinantur Marcum quia de Christi nomine mentio facta sit etiam hanc Ioannis orationem, in qua de Christi nomine similiter agatur adnectere (*Mald. Schanz*), ita ut totus nexus verteretur in verbis *in nomine tuo*. Sed cum Luc. 9,48-50 eandem rem legamus, dicendum erit id referri hoc loco quia revera Ioannes Dominum in oratione interpellavit eo modo quo hic refertur. Interpellandi autem occasionem Ioannem sumpsisse ex v. 36 *recipere in nomine meo* probabile est, sive quia hisce Christi verbis ei eventus ille in memoriam revocabatur, sive quia interrogare voluit, postquam audivit esse tanti pretii in nomine Iesu aliquod praestare beneficium, quid esset sentiendum de sua agendi ratione (cf. *Cai. Ians. Lap. Patr. Schegg, Fil.*); immo *Calm.* censet Ioannem ex verbis Christi in v. 36 iam esse veritum ne hominem illum prohibens errasset, ideoque rem fassum esse ingenue. Quod apud testes sat multos habetur v. 37 *respondit*, utique indicat dicendi occasionem esse desumptam ex antecedentibus, *illi Ioannes dicens : magister vidimus quendam in nomine tuo* ἐν, ita scil. ut nomen Iesu fuerit quasi instrumentum quo pelleretur daemon, ergo in virtute nominis, vel nomine invocato, adhibito (*Theoph. Euth. Cai. Ians. Patr.*), *eiicientem daemonia, qui non sequitur nos et prohibuimus eum,* ἐκωλύομεν vix quod *Fil.* censet, volebamus prohibere (imperfectum de conatu), sed saepius prohibebamus, et cur prohibuerint, ratio additur : quia non sequebatur nos, quia non pertinebat ad Christi discipulos. Hi enim soli iussi erant daemones eiicere; quare ille alienam sibi auctoritatem arrogare et munus sibi non demandatum exercere videbatur.

Veteres quidam eo utuntur exemplo, ut ostendant indignis etiam quandoque gratiam gratis datam miraculorum conferri (cf. *Vict. Theoph. Bed. Alb. Ians.*). At illum hominem fuisse improbum, perperam assumitur, cum ex verbis Christi potius commendetur; quare alii recte dicunt eum fuisse probum et bona fide, ut aiunt, egisse (*Mald. Lap. Schanz, Fil.*). Apostolos eum prohibuisse non ex aemulatione vel invidia, sed ex zelo pro Christo, quem ut quam plurimi tamquam discipuli sequerentur desiderassent docent *Vict. Theoph. Bed. Mald. Lap.;* et cum Christus eos non reprehendat, certe assumendum erit eos non egisse ex aliqua vitiosa animi affectione; v. 38 *Iesus autem ait : nolite prohibere eum; nemo est enim qui faciat virtutem* δύναμιν, miraculum, rem cui praestandae altior requiratur virtus, *in nomine meo et possit cito male loqui de me;* i. e. talis nullatenus mihi est

inimicus neque ita est comparatus, ut mox ad inimicorum partes transeat; quomodo enim illi nomini malediceret quod tam efficax et salutare esse expertus est? nonne apud ipsos homines incurreret reprehensionem, si illi detraheret nomini, per quod antea signa edidit et beneficia praestitit? Etsi ille non est discipulus, tamen quia in nomine Iesu daemonia expellit, honor Iesu promovetur eiusque doctrinae panditur via. Unde docet apostolos id cumprimis spectandum esse, ut bonum fiat, non tam per quos fiat. Quare respondet simili modo, ut olim Moyses cum nuntiatum ei esset alios quoque in populo prophetare : quis tribuat ut omnis populus prophetet et det eis Dominus spiritum suum (Num. 11,29) et illam mentem induere apostolos vult quam exhibet Paulus Phil. 1,18 (*Mald.*).

Immo, ait, iste homo non modo non est contrarius nobis, sed est fautor et adiutor (*Ians.*) v. 39 *qui enim non est adversum vos, pro vobis est;* « si enim qui non est cum Christo, contra Christum est (Matth. 12,30), ergo per locum a contrario, qui non est adversus Christum, pro Christo et cum Christo est; significatur enim utraque sententia non esse medium inter esse cum Christo et adversari ei » (*Ians.*). Cum ille nomine Iesu utatur ad daemones pellendos, lectio graeca meliorum codicum ἡμῶν melius congruere videtur; eadem ad v. 38 quoque apta est. Dein alia additur ratio ex qua pateat cur ille non sit prohibendus; nullum enim beneficium quantumvis exiguum si in nomine Iesu praestetur carebit mercede; iam vero daemones expellere in maximi beneficii loco habendum est; ergo ille minime est prohibendus; ita nexum adstruunt *Theoph. Ians. Lap. Patr. Fil.;* secundum quem nexum v. 40 *quisquis enim* refertur ad v. 38, *potum dederit vobis calicem aquae in nomine meo quia Christi estis* ἐν ὀνόματι ὅτι i. e. propterea quia Christi estis, eius discipuli et asseclae (cf. Matth. 10,41), *amen dico vobis, non perdet mercedem suam;* si is mercede dignus est, quanto magis ille qui hominem a daemone liberat multo insignius beneficium exhibens. Ceterum adverte in regionibus orientalibus calicem aquae esse reputandum opus maioris pretii ac beneficii plerumque quam in nostris quippe quae aquis abundent, dum in illis haud raro penuria aquae incolae vel qui iter faciunt laborant.

Quomodo haec sententia in hunc contextum conveniat aut num omnino conveniat disceptatur. Et *Mald.* quidem existimat frustra quaeri in dissoluto corpore iuncturam; « neque enim hoc loco Christum id dixisse arbitror »; ipsa enim varietate interpretationum opinionumque ostendi non bene cum superioribus sententiis cohaerere neque esse credendum Christum parum congruenter et apte esse locutum; verum apud Matthaeum 10,42 sententiam bene haerere; unde eo loco eam a Christo esse dictam; « cur ergo alieno

loco Marcus recensuit? respondeo, quia v. 36 simile quiddam commemoraverat ». Ad eundem v. 36 hanc adnectunt sententiam *Bed. Alb. Calm. Lamy, Bisp. Reischl, Schegg*, ita ut Christus interpellatione Ioannis finita ad argumentum v. 35 inceptum redeat; quare aliqui v. 37-39 parenthesi includi volunt (*Calm. Lamy*). Cui acceptioni particula *enim* non favet; hac enim particula non fit transitus ad aliud, neque argumentum antea tractatum iterum assumi significatur; illud praestatur particula δέ, hoc particula οὖν, neque tamen (quod *Schegg* arbitratur) particula γάρ. Alii demum ipsum v. 39 probari ac fulciri hac sententia in v. 40 enuntiata censent. Ita utique et particulae γάρ et ipsi verborum collocationi maxime consulitur. Eo modo *Cai.* : manifestat quod dixerat scil. eiicientem daemonia in nomine Iesu esse pro eis, argumento a minore, quia quisquis dederit vobis etc., ut per hoc intelligant quod multo magis mercedem suam recipient, qui vobis hoc praestant quod nomen meum invocant ad pellendos daemones; aliter *Keil* : ne minimum quidem quod discipulis praestetur carere mercede; iam vero si discipuli tanti apud Deum aestimentur, fore ut quisquis in nomine Iesu agat mercedem recipiat. Verum mihi quidem utraque haec coniunctio videtur neque facilis neque obvia. Neque enim inter se cohaeret dicere : qui non est adversum nos, pro nobis est, quia quisquis in nomine Iesu beneficium praestat mercedem habebit, nisi dixeris : et nos et illum merces manet, ergo ille a nostris stat partibus. Nonne id subtilius erit?

Qui itaque alteri Christi causa beneficium praestat, habebit mercedem. Iam a contrario v. 41 *et quisquis scandalizaverit,* causam praebet ruinae spiritualis, ad peccatum pellicit et ita alteri est offendiculo, *unum ex his pusillis credentibus in me,* dicuntur pusilli qui vel aetate vel fide et animo sunt infirmi, ideoque periculis et seductioni expositi (*Bed. Alb.*), fortes et magni in fide et virtute per aliorum nequitiam vel mala exempla non ad peccatum pertrahuntur, *bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo eius et in mare mitteretur;* cum scandalum iam datum esse dicatur, erit supplendum : quam ut ulterius vivat et scandalizet alios quoque (*Schanz*). Dein utique consequens est quod alii explicant, satius esse ut tali morte abripiatur quam ut innocentem seducat, ut ante scandalum e vivis abripiatur (cf. *Bed. Alb.*). Hic autem poena significatur et quidem eo modo ut indicetur multo graviorem esse secuturam (*Vict.*); « piscatoribus et iuxta mare conversatis discipulis poenam a submersione violenta describit, ut intelligant peius morte violenta et inevasibili malum paratum scandalizanti unum parvulum » (*Cai.*). Ceterum vide ad Matth. 18,6. Dixit autem sensibile supplicium terrens nos per hoc sensibile exemplum (*Theoph.*).

Plerique statuunt Christum in v. 41 redire ad sermonem quem v. 36 inceperat sed quem Ioannes sua interpellatione interruperat, ita ut hunc

v. 41 adnectendum esse dicant ad v. 36 (*Cai. Ians. Mald. Lap. Patr. Schanz, Fil.*). Christum doctrinam tradere quae cum illa in v. 36 expressa cohaereat, utique clarum est. At propterea nexus cum antecedentibus non oportet abrumpatur. Duo enim obstant. Particula quippe καὶ sane indicatur nexus propinquior et cum interpellatio Ioannis v. 38 grammatice proponatur sine ulla cum antecedentibus coniunctione, sermo grammatice non potest nunc referri ad v. 36. Nexum propiorem iam indicarunt *Vict. Theoph.*: quemadmodum autem si unum ex parvis honoraveris gratus eris Deo, sic si unum scandalizaveris, expediret tibi etc.; et ut sermonem magis reddat acceptum, eum non solum ab honore, sed etiam a poena commendat. Aliam connexionem reperit *Weiss*, afferri scil. aliam rationem, cur ille, de quo Ioannes v. 38, non sit prohibendus; prohibitionem enim cessuram esse in scandalum et scandali poena esse coercendam. Verum id perperam dici videtur. Nam apostoli iam prohibuerant eum, Christum autem eos accusare voluisse scandali dati et ita quidem ut iis satius fuisset in profundum demergi, quis credet? Insuper alium prohibere ab usu auctoritatis quam ab eo male usurpatam existimas non potest censeri scandalum vel offendiculum ei obiicere et peccandi occasionem et ruinam ei afferre. Nam ut hoc fieret, deberet supponi eum prohibitione illa revera putare se agere illicitum et nihilominus pergere; porro si prohibitio illa facta est *bona fide*, uti apostoli certe fecerunt, illi nullo modo scandali possunt esse rei. Quare etiam abs re est *unum* v. 41 cum *Vict. Weiss* intelligere de illo quem apostoli prohibuerint, non quidem propterea quia esset incertum pertineretne ad credentes, uti opinatur *Schanz* — at quomodo sine fide pelleret daemones in nomine Iesu? eo quod hoc nomine utitur, potestatem in Iesu residere agnoscit — sed quia iam a v. 39 et 40 oratio evasit magis generalis et ipse modus loquendi quoque in v. 41 eandem formam generalem prae se fert.

Quantum mali insit scandalo et quanta fortitudine omnia etiam carissima quaeque removenda sint et spernenda, si occasiones et incitamenta evaserint peccatorum, declarat Christus in exemplum assumens corporis membra prae aliis necessaria, quae abscindere maximo cum dolore et damno satius esse affirmat quam iis in peccatum adduci et aeternis obiici tormentis. Sermonem esse metaphoricum patet, neque enim membrorum abscissione pericula peccandi removentur, removentur autem firma voluntatis a malo aversione et sui abnegatione opem ferente Dei gratia; v. 42 *et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam*, si quid sit adeo carum ac necessarium ut manus quo ad peccatum inductus fueris, remove illud ne iterum tibi fiat occasio ruinae (attende *scandalizaverit*, σκανδαλίσῃ; cf. v. 41); *bonum tibi est debilem introire in vitam quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem;* cf. Matth. 2,29-30; 18,8. 9. Nomen gehenna olim significabat vallem Hinnom vel vallem filiorum Hinnom, quae infra urbem

Ierusalem prope montis latera australe et orientale protendebatur, infamis religione caerimoniaque Molochi, cui in ea valle Israelitae aliquamdiu humanis hostiis sacra litabant, donec Iosias rex eam pollui iussit (4 Reg. 23, 10); ex nefariis illis sacris quibus homines vivi comburebantur repetendus est huius nominis usus translatus ad locum sempiternis sontium suppliciis destinatum significandum (*Patr.*), qui usus apud Iudaeos invaluit. Nota declarari aeterna supplicia, declarari cruciatus qui igne fiant.

Denuo horrendi cruciatus iique aeterni describuntur v. 43 *ubi vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur;* vide ad Is. 66,24, unde verba deprompta sunt. Dum scil. cultores Dei sicut coeli novi et terra nova assistunt coram facie Domini, cadavera impiorum iacent prostrata, ardent tamquam cadavera viva neque comburuntur, continuo roduntur vermibus neque absumuntur. Prophetam non adumbrare poenam temporalem vel in terris subeundam, ipsis verbis apparet, sed symbolo noto exhibet ad duos tandem ordines redactum iri homines; alterum fore in Dei habitaculo coram facie eius, alterum extra regnum Dei in conditione miserrima et suppliciis aeternis (cf. meum Comment. in Is. II p. 521 seq.). Si hunc solum haberemus locum, intelligeremus utique fore cruciatus, sed fore cruciatus ignis ex eo ostendere non possemus; esse autem supplicia igne infligenda ex aliis Domini verbis certo elucet. Vermibus et igne declarari dolores internos, morsus conscientiae, et poenas extrinsecus saevientes (*Beda*) plerumque explicant. Verme autem et igne non poenas diversas nec diversarum hominis partium, sed totius hominis poenam unam eandem totamque significari *Mald.* indicat; unum scil. idemque supplicium dici ignem vere quo anima et corpus crucientur, et vermem metaphorice. Aliis placuit vermem et ignem de conscientia et memoria peccatorum quae quasi vermis absumat et quasi ignis ardeat accipere (*Vict. Theoph.* et aliqui apud *Euth.*), dum e contra *Lap.* non solum ignem vere adesse docet, sed etiam horrendis vermibus damnatos cruciari explicat. Varia de verme et igne lege apud S. Augustinum de civ. Dei 21,9. 10.

Et quanti momenti Christus hanc esse doctrinam ducat et quam serio illius necessitatem inculcare velit, nobis eo patefacit quod tanto verborum apparatu eandem proponit iterum iterumque neque a repetitionibus abstinet; ita in v. 44-47 idem dicit ex pede sumpto exemplo, dein ex membro etiam magis caro, ex oculo atque toties quoque poenam gehennae aeternam in memoriam revocat. Demum concludit v. 48 *omnis enim igne salietur et omnis victima sale salietur,* quae sententia apud solum Marcum legitur. Ultimis verbis alluditur ad Lev. 2,13; quidquid obtuleris sacrificii sale condies nec auferes sal foederis Dei tui de sacri-

ficio tuo, in omni oblatione tua offeres sal; cf. Ez. 43,24. Ut itaque sacrificium Deo sit gratum et acceptum, sale condiatur oportet; vocatur sal foederis Dei; sal incorruptionis est symbolum et qui foedus et amicitiam inter se inibant, pactum comestione salis firmabant. Cum duae sententiae in v. 48 sola particula *et* iungantur, oppositio inter eas non adesse videtur; erit itaque prior sententia declaranda ex posteriore: uti omnis victima salitur sale et ita firmi et incorrupti cum Deo foederis symbolum prae se fert, sic unusquisque ut fiat oblatio Deo grata et foedus ineat cum Deo stabile salitur igne. Iam quo igne? ut ignem illum inexstinguibilem vitet, alio igne eum oportet indui et penetrari, illo scil. quo malae animi affectiones et concupiscentiae purgantur et absumuntur, qui ignis varie concipi potest. Hic vero ignis illud idem significare videtur quod abscissione manus et pedis et eiectione oculi in v. 42. 44. 46 declaratum est. Eo itaque igne quo animus a maculis purgatur unusquisque fit oblatio Deo accepta. Ignis eiusmodi sunt tribulationes, abnegatio sui et lucta constans adversus malas concupiscentias. Hoc itaque versu ratio affertur (*enim*) cur oporteat vim sibi illam inferre ad peccatum vitandum de qua in v. 42. 44. 46 mentio facta est vel declaratur symbolo a sacrificio desumpto necessitas eius abnegationis quae in antecedentibus est descripta. Neque enim probabile est illud *enim* in v. 48 referri ad v. 47; nam ut alia omittamus, illa sententia non eget explicatione et insuper mirum esset, si declaratio vel comprobatio tum demum adderetur postquam sententia ter est recitata.

Iam *Mald.* scribit: huius obscuritas loci magnam interpretationum peperit varietatem. Quae varietas ex tempore *Mald.* non imminuta sed aucta est. Praecipua quae in quaestionem vocantur haec sunt: dicaturne sententia de bonis, an de malis, an de utrisque simul; sitne alterum de sacrificio membrum priori parallelum, an oppositum sitne sensu proprio explicandum an translato. Secundum diversas acceptiones etiam ignis, sal, victima varias recipiunt declarationes et applicationes.

Sententiam dici de bonis explicant *Theoph. Euth. Bed. Alb. Cai. Ians. Dion.*; generatim dicit *Mald.* esse sententiam receptissimam et neminem non recentiorum interpretum ita explicare, cui expositioni ex recentissimis subscribunt *Schanz*, *Keil*, *Weiss*, *Ed.*; quae explicatio mihi maxime commendari videtur ex sententia addita de victima. Ignem accipiunt *Viet. Theoph.* de illo igne quo secundum apostolum uniuscuiusque opus probabitur (1 Cor. 3,13), *Euth.* de igne fidei et dilectionis, *Ps. Hier. Beda* de Spiritus sancti gratia; *Alb.* autem ignem quadruplicem nobis proponit: ignem Spiritus sancti, ignem fervoris caritatis, ignem devotionis, ignem irae per zelum bonum vindicantem et urentem in se quod dolet admisisse; alii accipiunt de igne tribulationum et afflictionum, uti *Cai. Ians. Schanz*, *Keil*, *Weiss*, ita ut ignis quo quis purgetur, probetur, sicut aurum in for-

nace intelligatur. Bene rem declarare mihi videtur *Cai.* : « quia per abscissionem huiusmodi non significabantur ipsae abscissiones membrorum, sed abdicatio commodorum utilium ac delectabilium quae afflictio est ac per hoc nonnullus ignis est, ideo sub specie ignis genus totum afflictionum ac tribulationum voluntariarum comprehendit; et docet quod omnis electus igne tribulationis saliendus est, hoc est, igne huiusmodi utetur ad servandum seipsum a malo, igne enim saliri est igne uti ad servandum ne putrescat ». Non defuerunt qui πυρί acciperent : pro igne; omnis salietur pro igne i. e. omnis sale sapientiae vel doctrinae Christi saliri debet ut fiat sacrificium Deo gratum, ita ut *pro igne* de igne sacrificii, de oblatione Deo accepta exponatur (cf. Studien und Kritiken 1859 p. 515; sim. *Ed.* II p. 121).

Alii ignem quo quisque est saliendus accipiunt de igne inferni; dici autem saliri, quia sicut sal incorruptionem impertiat corporibus quibus aspersus sit, ita ignis gehennae servet integra corpora damnatorum ac si his ne putrescerent ac dissolverentur pro sale esset adhibitus, vel quia torreantur ac condiantur igne, veluti carnes (cf. *Mald. Lamy, Calm. Patr. Schegg, Fil. Cook*). Ii sententiam alteram de victima vel explicant sensu eodem, de victimis scil. irae Dei, quae pariter sint corpora damnatorum quae Deo scelerum vindici mactentur; ita *Mald. Calm. Patr.;* vel solum comparationis causa addi censent : sicut sal sacrificia et carnes tuetur a corruptione, ita etiam impii igne salientur ut in aeternum durent torquendi; sicut omnis victima sale salitur, ita omnis homo victima irae Dei ob impietatem igne salietur (*Lamy*); vel demum ea sententia sortem bonorum describi existimant, ita ut habeatur oppositio ad membrum antecedens; dum scil. impii igne salientur, sacrificium illud quod boni sui abnegatione fecerunt manebit coram Deo et habebit mercedem (*Schegg*, sale enim nihil aliud significari nisi incorruptionem, permanentiam, et sacrificium non destrui, sed servari, manere et ad Deum ascendere). Aut aliter, bonos sale gratiae iri conditum ad incorruptionem gloriae (*Lightfoot*, Horae hebr. ad h. l. *Fil. Cook*).

Alii quoque sententiam de victima sensu translato interpretantur; omnem actum bonum esse sale fidei et dilectionis condiendum (*Euth. Vict.*), nos debere Deo offerre victimas vegetas et gratas (*Theoph.*), quemquam qui velit esse victima Domini spiritualis Deo grata, sale sapientiae evangelicae esse condiendum, ut ab omni corruptione vitiorum expurgetur (*Bed. Alb. Cai. Ians.*). Quae quidem applicationis causa sensu accommodato dici possunt. At verba ea sensu proprio retinenda sunt. Affertur enim legis praeceptum, ut eo praecepto sententia antecedens illustretur ac declaretur; ergo praeceptum legis hoc loco ut tale retineatur oportet. Quare multum aberrant qui explicent de victimis irae Domini. Neque sufficit monere cum *Mald.* eos qui a Deo punientur saepius vocari victimas (Is. 34,6. Ier. 12,3; 46,10; 51,40. Ez. 21,9. 10; 39,17); nostro quippe loco nihil aliud affertur nisi illud legis praeceptum Lev. 2,13; ergo victima eo sensu retineri debet quo ibi ponitur. Unde multo minus explicari potest sensu translato qui simul sit oppositus sententiae priori.

Alii denique v. 48 accipiunt de utrisque simul, de bonis et malis, ita ut di-

catur: unusquisque igne salietur, aut igne purgante abnegationis et afflictionis et tum erit victima Deo grata: aut igne gehennae puniente, tum erit victima irae Domini (*Fab. Bisp. Reischl*). Qua in explicatione πᾶς *omnis* quidem sensu maxime proprio retinetur; at cum membrum alterum ex Lev. 2,13 neque in sensum malum neque in sensum metaphoricum capi possit, interpretatio erit relinquenda. Insuper durum videtur sententiae uni imponere sensum duplicem contrarium.

Ex significatione salis in sacrificio transitus fit ad v. 49 *bonum est sal; quodsi sal insulsum fuerit,* si insipidum factum fuerit et suam vim et acrimoniam amiserit, *in quo illud condietis?* nulla iam re sanari et pristino sapori restitui potest. Quare monet apostolos *habete in vobis sal,* habete illud quo alios efficere potestis gratam Dei hostiam, eos a corruptione peccati servare; ceterum vide Matth. 5,13 : vos estis sal terrae. Simul monet ne se indignos reddant vocatione sua et ineptos ad alios erudiendos et ad vitae sanctitatem adducendos. Qualis ruina ipsorum futura esset quale aliorum damnum, satis declaratur exemplo salis insulsi cui nulla re iam restitui possit sapor et vigor; cf. Luc. 14,35. Notio itaque salis non est ad unum restringenda, verum omnia illa complectitur quibus apti fiunt ad alios condiendos i. e. Deo gratos et acceptos reddendos, ut scil. oblatio gentium fiat accepta et sanctificata in Spiritu sancto (Rom. 15,16). Si itaque explicant de sapientia (*Bed. Alb. Lap. Calm. Bisp.*), vel de vi verbi Dei et efficacia (*Bed. Keil*), de incorruptione vitae et doctrinae (*Ians.*), de ratione prudenter exercendi officii (*Cai.*), de fide et dilectione (*Euth.*), de sermone acri reprehensionis (*Theoph.*), de discretione et prudentia (*Dion.*), de memoria et cogitatione ignis aeterni (*Patr.*) etc., haec omnia utique utilia vel necessaria sunt ad aliorum salutem procurandam; verum notionem salis ad unum eorum velle arctare nequit probari. Iam vero ut digne sua vocatione ambulent opus est quoque pace mutua et concordia *et pacem habete inter vos,* qua admonitione Iesus redit ad initium et occasionem totius sermonis (cf. v. 33), pacem habete, ne hominum more inter vos contendatis; « si vos delecti in sal terrae pergatis humano isto ambitionis affectu inter vos de primatu contendere, efficiemini plane insulsum sal nec spes poterit esse vestrae restitutionis » (*Ians.*).

Cum teste presbytero Ioanne apud Papiam Marcus οὐ τάξει scripserit et aliqua (ἔνια) ita retulerit prout eorum sit recordatus vel prout Petrus retulerit (cf. *Eusebius,* h. e. 3,39), dici etiam posset a Marco in hac parte aliquas sententias esse insertas quas Christus alio loco aliave occasione dixerit. Haec est opinio quam *Mald.* haud semel in huius sermonis explicatione propugnat; ita ad v. 40 et ad v. 41 haec adnotat : « haec coniungi debent

cum iis quae v. 36 dicta sunt; Marcus vero non servato ordine narrationis inter haec duo quae coniuncta esse debuerunt longo hyperbato hiatuque sententiae multa interseruit quae quia loco posita non sunt minus facile intelliguntur et hominum ubi non est cohaerentiam quaerentium exercent ingenia ». Pariter scribit ad v. 49 : « abhorrere haec sententia a superiore videtur... ; mihi suspicio est Christum non hoc sed alio loco hanc dixisse sententiam, cum multo ante apostolos exhortaretur ut bono omnibus essent exemplo (Matth. 5,13). Sed nimirum Marcus, ut multa alia, alieno loco posuit, non alia occasione quam quod salis mentionem intulisset, quemadmodum solemus in subitis colloquiis unius occasione verbi in alios labi sermones ». Hoc utique canone nos possemus liberare ab investigatione cohaerentiae nexusque sententiarum. Attamen non erit putandum Marcum adeo parum sollicitum fuisse, et praesertim ibi ubi particula quadam nexus designatur, uti v. g. in v. 40, interpreti munus incumbit eum nexum demonstrandi neque licet evangelistae tam negligens imputare scribendi genus, ut cohaerentiam indicarit ubi nulla est. Ceterum illud οὐ τάξει non est nimium extendendum et statim restringitur vocula ἕνια ; vide *Cornely*, Introd. III p. 86. Neque facile concederem v. 49 abhorrere ab antecedentibus. Cum enim sermo in fine : habete pacem inter vos, aperte redeat ad id unde exorsus est, aegre mihi persuadeo nullam exsistere cohaerentiam et Marcum sententias aliunde arreptas sine ordine inter se iunxisse. Potius dicerem interpretes non satis esse et fuisse sagaces ad ordinem nexumque deprehendendum.

ALTERA PARS 10,1-15,47.

In hac altera parte quam secundum adumbrationem Petri in Act. 10,39 statuimus recoluntur ea quae Iesus in regione Iudaeorum docuit, gessit, passus est; cf. Proleg. p. 14.

1. *Aliqua doctrinae capita* 10,1-45.

a) **Matrimonium esse indissolubile 10,1-12.**

10,1. Et inde exsurgens venit in fines Iudaeae ultra Iordanem; et conveniunt iterum turbae ad eum; et sicut consueverat, iterum docebat illos. 2. Et accedentes pharisaei interrogabant eum : Si licet viro uxorem dimittere; tentantes eum.

3. At ille respondens, dixit eis : Quid vobis praecepit Moyses? 4. Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. 5. Quibus respondens Iesus, ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud.

10,1. Καὶ ἐκεῖθεν ἀναστὰς ἔρχεται εἰς τὰ ὅρια τῆς Ἰουδαίας, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου· καὶ συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι πρὸς αὐτόν· καὶ, ὡς εἰώθει, πάλιν ἐδίδασκεν αὐτούς. 2. Καὶ προσελθόντες Φαρισαῖοι ἐπηρώτων αὐτὸν, εἰ ἔξεστιν ἀνδρὶ γυναῖκα ἀπολῦσαι, πειράζοντες αὐτόν. 3. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτοῖς, Τί ὑμῖν ἐνετείλατο Μωυσῆς; 4. οἱ δὲ εἶπαν, Ἐπέτρεψεν Μωυσῆς βιβλίον ἀποστασίου γράψαι, καὶ ἀπολῦσαι. 5. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, Πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ὑμῶν ἔγραψεν ὑμῖν τὴν ἐντολὴν ταύτην· 6. ἀπὸ

6. Ab initio autem creaturae, masculum et feminam fecit eos Deus. 7. Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit ad uxorem suam;

8. Et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro.

9. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. 10. Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt eum.

11. Et ait illis: Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. 12. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mocchatur.

ὲὲ ἀρχῆς κτίσεως, ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς. 7. ἕνεκεν τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα αὐτοῦ καὶ τὴν μητέρα· [καὶ προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ]. 8. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. ὥστε οὐκέτι εἰσὶν δύο, ἀλλὰ μία σάρξ. 9. ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν, ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω.

10. Καὶ εἰς τὴν οἰκίαν πάλιν οἱ μαθηταὶ περὶ τούτου ἐπηρώτων αὐτόν. 11. καὶ λέγει αὐτοῖς, Ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν· 12. καὶ ἐὰν αὐτὴ ἀπολύσασα τὸν ἄνδρα αὐτῆς γαμήσῃ ἄλλον, μοιχᾶται.

In v. 1 και περαν ℵ B C* L cop Ti W H; C² Δ G mu minusc it vulg syr (sch) go περαν; δια του περαν A N X Γ Π unc 8 al pl. In v. 5 και αποκριθεις ο ις A D N X Γ Π unc 9 al pler it vulg syr (sch, p) go arm aeth; ο δε Ιησους ℵ B C L Δ cop, c ipse vero. In v. 6 add ο θεος A D N X Γ Π unc 9 al pler it pler vulg go syr (utr) arm aeth; non add ℵ B C L Δ c ff² cop Ti W H. In v. 7 praemittitur και ειπεν D N mu minusc, *et dixit* propter hoc big theod car lich mt ox wil corp harl b c d ff² q r gat *et bene dixit* propter hoc g¹; in fine add και προσκολληθησεται etc. in A C D L N X Γ Π Δ unc 9 al omn fere it vulg cop syr (utr) arm aeth; non add in ℵ B 48 ev go Ti W H. In v. 9 codd pler vulg *iunxit*. In v. 12 εαν αυτη απολυσασα ℵ B C L Δ cop aeth; εαν γυνη απολυση και A N X Γ Π unc 9 al pler f g¹ l vulg syr (utr) go; D pl minusc εαν γυνη εξελθη απο του ανδρος και, b d exiet (similiter ff² exeat, q exierit) a discesserit, c reliquerit; γαμηθη αλλω A C² N X Γ Π unc 9 al pler ad indolem linguae graecae correctum videtur pro γαμηση αλλον in ℵ B C* D L Δ pl minusc. In fine add a b f ff² g² l *similiter* (ff² g² om) *et qui dimissam* (a *a viro*) *ducit moechatur*, ex Matth depromptum.

Uti Matth. 19,1, ita hic quoque indicatur Iesum praedicatione in Galilaea ad finem perducta iter in Peraeam et Iudaeam instituisse; v. 1 *et inde exsurgens*, ex Capharnaum (9,32), vel generatim ex Galilaea (9,29), ἀναστάς explica, uti 7,24, per hebraismum, sicut קם saepius ponitur; nam quod aliquibus placuit id referre ad 9,34 (et residens), nimis tenue et putidum videtur, *venit in fines Iudaeae*, traditur ultimus itineris terminus; qua autem via tetenderit in regionem Iudaeae, enuntiatur *ultra Iordanem* καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου et in Peraeam; nam per Peraeam eum profectum esse, etiam infra v. 46 patefit; quare quod textus receptus habet διὰ τοῦ πέραν, rectum est interpretamentum; ceterum vide ad Matth. 19,1; *et conveniunt iterum turbae ad eum*, iterum (cf. 9,14), nam 9,29 se turbis subtraxerat; nunc iterum eos admittit, *et sicut consueverat docebat illos*, eorumque aegrotos sanabat, ut Matth. refert. Et hic notanda est, ut *Beda* dicit, mentium distantia in turbis et pharisaeis; hae conveniunt ut doceantur et sui sanentur infirmi; aliter illi v. 2 *et accedentes pharisaei interrogabant eum: si licet*,

licetne, uti saepius εἰ, *si* eo modo adhibetur; cf. Matth. 12,10, *viro uxorem dimittere;* Matthaeus pro contribulibus Iudaeis scribens quaestionem ita ponit uti apud rabbinos agitabatur et prout certe pharisaei quoque Christo proponebant quaerentes liceatne quacumque ex causa. Marcus Romanis scribens illam disputationem rabbinicam omittit et quaestionem ponit prout pro gentibus apta erat et prout Christus quoque ad eam respondet scil. matrimonium solvi non posse; *tentantes eum,* o stultitiam, exclamat *Vict.,* arbitrabantur ei os occludere quaestionibus quamvis iam documentum huius virtutis experti essent, quando de sabbato multa disceptabant, quando dicebant eum blasphemare, habere daemonium etc.; tentabant i. e. « experiri cupiebant numquid dicturus esset quod in calumniam rapere possent. Putabant utrumvis responderet habituros se quod calumniarentur; si enim diceret non licere, accusari illum posse tamquam legi contrarium; si vero diceret licere, accusari posse illius doctrinam tamquam imperfectam, cum perfectionis videretur esse magister » (*Ians.*). Verum fatendum erit illud *tentantes* plene explicari ex modo quo pharisaei revera quaestionem ponebant apud Matthaeum. Marcus malam eorum mentem significare voluit, quo cuperent Iesum in sermone capere.

« Igitur Dominus sic responsum temperat, ut decipulam transeat, Scripturam sanctam adducens in testimonium et naturalem legem primamque Dei sententiam » (*Beda*) v. 3 *at ille respondens dixit eis : quid vobis praecepit Moyses?* illi recurrunt ad Deut. 24,1 et cum emphasi dicunt ἐπέτρεψεν Μωυσῆς *concessit* Moyses v. 4 *Moyses permisit libellum repudii scribere et dimittere;* quod attinet verba praecipiendi et permittendi quae hic aliquibus videntur promiscue adhiberi, bene notat *Ians. :* « constitutio enim Moysis divortium spectans habebat aliquid permissionis et aliquid praecepti; nam permissionis fuit quod non prohiberet divortium facere et libellum repudii scribere; praecepti vero quod constitutum fuit non posse divortium fieri nisi maritus uxori scriberet et traderet libellum repudii. Itaque praeceptum hoc permissionem includit et permissio praeceptum ». Eo ipso quod divortium certis conditionibus alligaretur, iam etiam prospiciebatur ne primo aestu ac fervore irae neque ad libitum pro arbitrio ac libidine fieri posset. Verum eam quoque permissionem deficere ab illa perfectione quae ipsa rei natura et ordinatione Dei exigitur Iesus docet a modo creationis et a Dei praecepto (*Vict.*); v.5 *quibus respondens Iesus ait : ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud,* σκληροκαρδία apud LXX quandoque dicitur pro ערלת לבב (praeputium cordis) Deut. 10,16. Ier. 4,4, cor veluti incircumcisum, adeoque impurum, pervicax, obstinatum, malis concupiscentiis subiectum. Neque haec durities cordis aliud est ac

durities cervicis quae toties in Scriptura populo exprobratur. Moyses itaque permisit, non sponte, sed coactus quo mala vitarentur maiora, verum divortium illis circumdedit praeceptis quibus sanctitati matrimonii pro ratione temporis consuleretur; ita v. g. mulier dimissa iam non poterat ad virum dimittentem revertere. Uti bene explicat *Vict.*, permissio haec consequitur naturam et indolem veteris foederis imperfectam; lex enim non afferebat veram animi sanctitatem nec praestabat remedia illa potentia quibus in novo foedere perturbationes animorum ac libidines coercentur et superantur.

Dein docet in ipsa iam creatione expressam esse voluntatem et ordinationem Dei de unitate ac indissolubilitate matrimonii v. 6 *ab initio autem creaturae masculum et feminam fecit eos* (*Deus*) Gen. 1,27; viro unam adductam esse mulierem notant, non complures; quare matrimonium cum una esse ineundum designari. Hanc autem unionem debere esse perpetuam neque arbitrio hominis solvi declaratur v. 7 *propter hoc,* potest quidem referri ad v. 6, quia Deus ita hominem creavit, ut ex unione sexuum genus humanum propagaretur; verum satius erit nexum explicari ex loco unde verba deprompta sunt Gen. 2,24, *relinquet homo patrem suum et matrem et adhaerebit ad uxorem suam* (vide lect. var.; videtur ultimum membrum additum ex Matth. et LXX) v. 8 *et erunt duo in carne una* εἰς σάρκα μίαν in carnem unam, est hebraica phrasi dictum pro eo quod est erunt duo una caro, sicut v. g. dicitur: factus est Adam in animam viventem (*Ians.*) et in dub legitur eo modo: erunt duo una caro. Quare sequitur: *itaque iam non sunt duo sed una caro*, unum scil. principium completum ad finem a Deo institutum, ad propagandum genus. Iam si sint una caro, una quasi natura a Deo in eam unitatem condita, etiam sequitur v. 9 *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet;* matrimonium hominis arbitrio subtractum est; si instituto naturae sunt una caro, cum homo non sit dominus institutionis ab ipsa natura factae, etiam unionem illam non potest solvere. Id ipsi naturae conditori relinquendum est.

Revocat itaque Christus matrimonium ad pristinam illam in creatione expressam notionem unitatis et indissolubilitatis. Hac doctrina admirationem discipulorum esse vehementer excitatam quippe quae iis nimis dura videretur, clare docetur apud Matth. 19,10 cum discipuli dicant: si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Eandem discipulorum admirationem etiam Marcus perspicue indicat eo ipso quia quando erant soli cum Domino denuo de hac re Dominum interrogant, unde satis patet eam doctrinam esse propositam illis minime tale aliquid opinantibus v. 10 *et in domo* εἰς τὴν οἰκίαν in domum scil. cum venissent; cf. 7,4; similia eiusmodi brachylogiae

exempla habes Matth. 10,9. 27. Luc. 7,1. Ioan. 16,21 (cf. *Buttmann* l. c. p. 282. 338; *Winer* § 50,4 b) *iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt eum;* res itaque iis videbatur adeo nova et difficilis, ut de vero sensu sermonis adeo plani nihilominus dubitarent et quid rei esset iterum quaererent; v. 11 *et ait illis : quicumque dimiserit uxorem suam et aliam duxerit, adulterium committit super eam* ἐπ'αὐτήν in eam, adversus eam, in iniuriam eius (*Erasmus*), adulterat ratione eius, scil. quia etsi eam dimiserit, tamen est et manet eius uxor. Aliqui ἐπ' αὐτήν spectare volunt ad *aliam* ἄλλην (*Vict. Theoph. Euth.* et ex recentioribus *Lange, Ewald, Bleek, Schegg*); proinde adulterium committit cum ea. Sensus manet idem; sed cum de uxore sermo sit et potius iniuria illi illata novo matrimonio attentato efferatur, prior explicatio cum plerisque est retinenda. Simul evincitur duas pluresve eodem tempore habere uxores non licere.

Denuo manere matrimonii vinculum affirmatur v. 12 *et si uxor dimiserit virum suum et alii nupserit moechatur,* adulterium committit. Eadem doctrina traditur Luc. 16,18. 1 Cor. 7,10. 11; de Matth. 5,32 et 19,9 vide quae notavi in Comment. I p. 225 seq. II p. 143 seq. Etiam hic adnotant aliqui protestantes adulterio commisso dirimi matrimonium idque a Marco non notari quia id ex rei natura intelligatur (cf. *Weiss, Keil*). Illi plane verba Christi pervertunt : quod Deus coniunxit, homo non separet! Ergo secundum eos homo separat, homo solvit vinculum et quidem ille qui in matrimonio adulterium committit. Ergo peccato commisso posset quis licite aliud contrahere matrimonium et quod in vetere lege non licebat nisi variis illis de libello repudii observatis, in novo foedere homo peccato admisso multo facilius perficeret! Alii saltem illi qui non commisit adulterium ius novi matrimonii servari volunt parte adultera eiecta; ita v. g. docet *Cook* partem innocentem nullibi in s. litteris reprehendi de altero matrimonio inito, vituperium et poenam soli parti noxiae imputari. Sed quid dicit Christus? quicumque dimittit etc. *adulterium committit;* sed si adulterium committit, si moechatur, quomodo a peccato et poena immunis esse potest? nonne praeceptum est : non moechaberis? Ceterum si adulterio solveretur vinculum ex mente Christi, quomodo Marcus, Lucas, Paulus id potuissent omittere? alia quibus ea explicatio exploditur et quomodo antiquitus verba Christi sint intellecta, vide in Comment. Matth. l. c.

Quaerunt, cur v. 12 additum sit de muliere dimittente et utrum haec a Christo dicta sint an ab evangelista ex doctrina Christi conclusa et addita. Opinantur enim aliqui quia apud Iudaeos soli viro competebat potestas di-

mittendi uxorem, non autem uxori dimittendi virum, Christum ea verba non dixisse, sed Marcum ea adiunxisse ratione habita legis romanae qua mulieri quoque facta erat potestas virum dimittendi (cf. *Weiss*, idemque innuere videntur *Bisp. Schanz*). Verum est tum temporis licentia supra modum grassante, ut *Wetstein* ad h. l. scribit, familiare erat Romanis (ut vir a muliere desereretur) postquam Messallina Claudii imperatoris uxor, Claudio vivente, Silio publice nupserat et ipse Claudius Octaviam Caesaris filiam L. Silano a patre desponsatam Neroni collocaverat (*Tacitus*, Annal. 11,27; 12,3. 9); *Seneca*, de Benef. 3,16 : numquid iam ulla repudio erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles feminae non consulum numero, sed maritorum, annos suos computant et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? tamdiu istuc timebatur, quamdiu rarum erat. *Iuvenalis* VI 226 : ornatas paullo ante fores, pendentia linquit Vela domus et adhuc virides in limine ramos; Sic crescit numerus, sic fiunt octo mariti Quinque per autumnos. *Martialis* VI 7 : aut minus aut certe non plus tricesima lux est, Et nubit decimo iam Thelesina viro (*Wetstein*). Unde erat cur ea lex Domini graviter et clare gentibus promulgaretur.

Verum inde minime sequitur Christum non etiam hanc partem de muliere distincte enuntiasse. Christus enim apostolos edocuit non modo de iis quae apud Iudaeos scitu erant necessaria, sed cum suos destinaret omnibus, quae omnibus erant necessaria et utilia tradere non omisit. Nonne eodem modo Matth. 10,17 seq. eos edocuit de iis quae apud gentes essent subituri? et regnum Dei ad gentes esse transiturum quoties indicavit? Praeterea ne apud Iudaeos quidem deerat cur istud de muliere moneretur. Herodias eo tempore recessit a viro suo; Salome soror Herodis I orto dissidio inter se et Costobarum virum continuo misit libellum ad solvendum matrimonium (*Iosephus*, Antiq. 15,7. 10); porro etiam secundum rabbinos variis in conditionibus licebat mulieri postulare, ut vir scriberet libellum repudii (cf. *Ugolini*, Thes. 27 p. 1087; 30 p. 92. 118). Quare etsi de solis ageretur Iudaeis, ea monitio non erat abs re. Nihil itaque suadet cur negetur eam a Christo esse dictam. Insuper cum Marcus scripserit quae Petrus praedicavit, puto audacius esse asserere Petrum sententias quas Christus non enuntiasset promulgasse quasi totidem verbis a Domino propositas. Et S. Paulus quidem accurate distinguit inter ea quae ex Domini verbis praescribit et ea quae ipse praecipit (1 Cor. 7,12. 25). Quare non idem dicendum esset de aliis apostolis?

b) **Iesus benedicit parvulos 10,13-16.**

10,13. Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. 14. Quos quum videret Iesus indigne tulit, et ait illis : Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos : talium enim est re-

10,13. Καὶ προσέφερον αὐτῷ παιδία, ἵνα αὐτῶν ἅψηται· οἱ δὲ μαθηταὶ ἐπετίμησαν αὐτοῖς. 14. ἰδὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς ἠγανάκτησεν καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρὸς μέ, μὴ κωλύετε αὐτά· τῶν γὰρ τοιούτων ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ· 15.

gnum Dei. 15. Amen dico vobis : Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. 16. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Ὃς ἂν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν. 16. καὶ ἐναγκαλισάμενος αὐτὰ, κατευλόγει τιθεὶς τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτά.

In v. 13 αυτοις ℵ B C L Δ c k cop W H; τοις προσφερουσιν A D N X Γ Π unc 9 al fere omn it pler vulg syr (utr) go arm aeth Ti; sed *offerentibus* videtur esse emendatio vel interpretamentum, ne αυτοις referatur ad παιδια. In v. 14 μη B M* N X Γ Δ Π unc 8 al 80 fere cop W H Ti; alii testes pler και μη. In v. 16 κατευλογει τιθεις ℵ B C L Δ cop aeth Ti W H; alii τιθεις.... ηυλογει αυτα.

Moris erat apud Iudaeos puerulos adducere ad rabbinos, ut bene illis precarentur. Quare mirum non est etiam Domino parvulos esse oblatos, praesertim cum turbae essent experientia edoctae Dominum manuum impositione a multis repulisse mala; proinde merito sperabant fore ut eius benedictione infantes praemunirentur a malis et a diaboli potestate. Qua in re *Theoph.* magnam turbarum fidem laudat, et cum Iesus tot miraculis famam et celebritatem haberet, addi potest quod *Calm.* existimat : omnino non minima solatii et felicitatis pars futura illis erat gloriari olim et meminisse Iesum Davidis filium sibi benedicere; v. 13 *et offerebant illi parvulos, ut tangeret illos,* scil. ut manus eis imponeret (Matth. 19,13) et tali impositione illis benediceret; cf. Gen. 48,14. 15; *discipuli autem comminabantur offerentibus,* eos arcere et cum aliqua reprehensione eos repellere studebant; aliqui censent id fecisse eos quia a dignitate Domini alienum putaverint parvulis tempus et curam impendere (cf. *Vict. Theoph.*), alii, ne Dominus illorum importunitate lassaretur (*Bed. Alb.*). Cum Christus modum agendi eorum indigne ferret et doctrinam subiungeret de humilitate, discipuli ex aliqua superbia eos reiecisse videntur quasi indignum esset tali matrum petitioni accedere; v. 14 *quos cum videret Iesus, indigne tulit,* vultu et habitu aliquam prae se tulit indignationem ostendens quantopere improbaret fastum illum discipulorum eorumque contemptum quem parvulis et piae matrum petitioni exhibebant; hac voce solus utitur Marcus; Petrus eius rei testis bene retulit quid Iesus oculis, vultu, gestu, sono vocis exprimeret; *et ait illis : sinite parvulos venire ad me, (et) ne prohibueritis eos,* omissa particula καί sermo fit magis concitatus, *talium enim est regnum Dei;* cum hac sententia ratio reddatur, cur velit parvulos ad se venire, manifestum est *talium* debere spectare parvulos, et bene notat *Ians. :* « cum hoc occasione parvulorum sibi oblatorum Dominus dixerit, nequaquam parvuli aetate ab hoc dicto et proinde nec a participatione regni coelorum possunt excludi ».

Sed verum est etiam quod plerique adnotant non sine causa dici *talium* i. e. eorum qui sint eiusmodi, qui itaque similes sint parvulis iis in modis qui hic solum in considerationem venire possunt. Voce enim hac *talium* est regnum coelorum, et parvuli designantur (cum sane sibimet ipsis sunt similes) et ii qui ad eorum accedunt similitudinem in ea utique re de qua agitur. Quare falso explicant et ii qui hic de parvulis non esse mentionem dicunt et ii qui solum de parvulis sermonem esse volunt (illud v. g. *Patr.*, hoc *Schegg*). Sed si dico : eorum qui sunt huiusmodi est regnum coelorum, profecto ii a quibus exemplum vel similitudo sumitur nequeunt excludi, neque omitti possunt ii qui sint *eiusmodi*, illis scil. a quibus exemplum petitur *similes*. Atque hoc statim Dominus ipse explanat dicens v. 15 *amen dico vobis : quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud;* idem monet apostolus : si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc saeculo stultus fiat ut sit sapiens (1 Cor. 3,18). Doctrinam evangelii sicuti parvuli accipere iubemur, inquit *Beda*, quia quomodo parvulus in discendo non contradicit doctoribus neque rationes et verba componit adversus eos resistens, sed fideliter suscipit quod docetur et cum metu obtemperat et quiescit, ita et nos in obediendo simpliciter et sine ulla retractatione verbis Domini facere debemus; similiter *Theoph. Euth.* praedicationem accipiendam esse non diiudicando aut haesitando (μηδὲν διακρινόμενος ἢ ἀπιστῶν, μηδὲ ἀμφιβάλλων). Valet itaque idem quod Matth. 18,3 dicitur : nisi efficiamini sicuti parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Laudant autem et commendant in parvulis humilitatem, simplicitatem, innocentiam; non eos perseverare in iracundia, non esse memores iniuriarum, esse puros animis et castos (cf. *Vict. Theoph. Bed. Alb.* qui novem bonas proprietates in puerulis recenset).

Solum bis legimus Dominum amplexu tenerum declarasse amorem et in utroque casu parvulis eiusmodi blandimenta impendit, supra 9,35 et hic v. 16 *et complexans eos* ἐναγκαλισάμενος eos in ulnas suscipiens (*Erasm. Cai.*) *et imponens manus super illos benedicebat eos* κατευλόγει qua compositione vis et notio benedicendi augetur; itaque instanter quasi et magno cum affectu illis benedixit. Hac amoris exhibitione docet discipulos mundanum fastum calcare (*Vict. Theoph.*), parvulos magni aestimare, eos tenero amore prosequi. Pariter autem significat quod *Beda* adnotat : « complexus benedicit parvulos, ut humiles spiritu sua benedictione, gratia et dilectione dignos esse significet ».

c) De divitiarum periculis et mercede paupertatis 10,17-31.

10,17. Et quum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam ut vitam aeternam percipiam ?

18. Iesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. 19. Praecepta nosti : Ne adulteres; ne occidas; ne fureris; ne falsum testimonium dixeris; ne fraudem feceris; honora patrem tuum et matrem.

20. At ille respondens, ait illi : Magister haec omnia observavi a iuventute mea. 21. Iesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei : Unum tibi deest : vade quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me. 22. Qui contristatus in verbo, abiit moerens : erat enim habens multas possessiones. 23. Et circumspiciens Iesus, ait discipulis suis : Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! 24. Discipuli autem obstupescebant in verbis eius. At Iesus rursus respondens, ait illis : Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire!

25. Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum Dei.

26. Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri? 27. Et intuens illos Iesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum.

28. Et coepit ei Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.

29. Respondens Iesus, ait : Amen dico vobis : Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me et propter Evangelium.

30. Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in saeculo fu-

10,17. Καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ εἰς ὁδὸν προσδραμὼν εἷς καὶ γονυπετήσας αὐτὸν ἐπηρώτα αὐτὸν, Διδάσκαλε ἀγαθὲ, τί ποιήσω ἵνα ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; 18. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός. 19. τὰς ἐντολὰς οἶδας, Μὴ φονεύσῃς· μὴ μοιχεύσῃς· μὴ κλέψῃς· μὴ ψευδομαρτυρήσῃς· μὴ ἀποστερήσῃς· τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα. 20. ὁ δὲ ἔφη αὐτῷ, Διδάσκαλε, ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μου. 21. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ ἠγάπησεν αὐτὸν, καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἕν σε ὑστερεῖ· ὕπαγε, ὅσα ἔχεις πώλησον, καὶ δὸς πτωχοῖς, καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ· καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοι. 22. ὁ δὲ στυγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ ἀπῆλθεν λυπούμενος· ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά. 23. Καὶ περιβλεψάμενος ὁ Ἰησοῦς λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, Πῶς δυσκόλως οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελεύσονται. 24. οἱ δὲ μαθηταὶ ἐθαμβοῦντο ἐπὶ τοῖς λόγοις αὐτοῦ. ὁ δὲ Ἰησοῦς πάλιν ἀποκριθεὶς λέγει αὐτοῖς, Τέκνα, πῶς δύσκολόν ἐστιν [τοὺς πεποιθότας ἐπὶ χρήμασιν] εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν.

25. εὐκοπώτερόν ἐστιν κάμηλον διὰ τῆς τρυμαλιᾶς τῆς ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ εἰσελθεῖν.

26. οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο, λέγοντες πρὸς αὐτόν· Καὶ τίς δύναται σωθῆναι; 27. ἐμβλέψας αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς λέγει, Παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατον, ἀλλ' οὐ παρὰ Θεῷ· πάντα γὰρ δυνατὰ παρὰ Θεῷ.

28. Ἤρξατο λέγειν ὁ Πέτρος αὐτῷ, Ἰδοὺ, ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήκαμέν σοι.

29. ἔφη ὁ Ἰησοῦς, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐδείς ἐστιν ὃς ἀφῆκεν οἰκίαν, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ ἀδελφὰς, ἢ μητέρα, ἢ πατέρα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς, ἕνεκεν ἐμοῦ καὶ τοῦ εὐαγγελίου, 30. ἐὰν μὴ λάβῃ ἑκατονταπλασίονα νῦν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, οἰκίας καὶ ἀδελφοὺς καὶ ἀδελφὰς καὶ μητέρας καὶ τέκνα καὶ ἀγροὺς, μετὰ διωγμῶν, καὶ ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ ζωὴν αἰώνιον. 31.

turo vitam aeternam. 31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. | πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ οἱ ἔσχατοι πρῶτοι.

In v. 17 c d l ff² adgeniculans, k genibus obsecrans, a genibus prostratus, q ad genuam eius se volvens; add mu codd vulg *dicens*, uti it pl et aliq minusc gr. In v. 18 l μονος εις θεος, b unus ac solus Deus, d solus unus, c ff² gat solus Deus. In v. 19 primo loco μη μοιχευσης in A N X Π unc 9 al pler it vulg syr (p) go arm aeth Clem Ti; ponitur prius μη φονευσης in ℵ* B C Δ al plus 5 c cop W H. In v. 20 magister *bone* car mt ox harl; add in fine τι ετι υστερω K M N Π mu minusc a c arm (ex Matth); uti iidem fere add in v. 21 ει θελεις τελειος ειναι. In v. 21 pro dilexit praebent b q osculatus est eum; add in fine αρας τον σταυρον A N X Γ Π unc 8 al pler q syr (p) go (arm aeth Ir tollens crucem sequere me) uti similiter a syr (sch). In v. 22 b d ff² multas pecunias (b addit *et agros*), a multam pecuniam, f q divitias multas, k multas divitias et agros. In v. 24 codd longe pler τεκνα, praebent τεκνια A N pauc minusc Clem; item filioli it (excipe q) vulg; add τους πεποιθοτας επι χρημασιν A C D N X Γ Π unc 9 al pler it vulg syr (utr) go arm Clem; a qui pecũnias habent vel confidentes in eis, c ff² divitem, aeth illis qui habent opes. Quod additamentum ex oratione contexta utique facile eruitur; non add ℵ B Δ k. Inter v. 23 et 24 ponunt v. 25 D a b d ff². In v. 25 ept facilius est *enim*. In v. 26 προς αυτον ℵ B C Δ cop; at rell codd et verss προς εαυτους (it inter se, ad invicem). In v. 28 και ηρξατο D al vix mu it pler dub theod car lich val wil syr (sch) aeth; K N Π al 45 fere f go ηρξ δε; add in fine τι αρα εσται ημιν ℵ 51. 20 ev b gat ken (e Matth. 19, 27). In v. 29 μητερα η πατ B C Δ c f q go pler codd vulg (patrem aut matrem in big dub ept mt ox wil); inserunt η γυναικα A C N X Γ Π unc 9 al pler f q syr (utr) go aeth. In v. 30 D ος αν, item it vulg go syr (p) aeth *qui*; aliqua omittunt ℵ* c k (c centies tantum nunc in hoc saeculo, in futuro autem saeculo vitam aeternam accipit; k centumplicia cum persecutionibus in isto saeculo, in saec. autem fut. vit. aet. consequetur).

Cum in v. 10 dictum sit Christum morari in domo, iam sequitur v. 17 *et cum egressus esset in viam, procurrens quidam* (ita εἷς bene redditur; vide ad Matth. 19,16) *genu flexo ante eum*, quibus verbis Marcus eius desiderium et magnam in Iesum reverentiam describit. *rogabat eum : magister bone*, ex fervore quo accurrit et ex honore quem coram Iesu se prosternens exhibet manifesto sequitur eum hanc appellationem proferre animo sincero et maxima cum veneratione, nequaquam autem tamquam verba nuda solius urbanitatis gratia neque velut adulatoria (uti aliqui volunt; illud *Bleek, Klostermann*, hoc *Ewald*), *quid faciam ut vitam aeternam percipiam?* bene dicit *Theoph.* se iuvenem hunc in admiratione habere quia cum alii plerique beneficiorum temporalium causa accesserint, ut v. g. sanationem impetrarent, ille hereditatem quaesierit vitae aeternae (sim. *Vict.*). Adolescens Iesum salutat magistrum bonum; eum existimat eximium quendam doctorem, attamen in censu et ordine doctorum hominum constitutum. Certe hanc appellationem ei indit quia ex operibus et doctrina Iesu cognovit eum eminenti quadam ratione munus magistri exercere; v. 18 *Iesus*

autem dixit ei : quid me dicis bonum? cur me eo salutas nomine? qua interrogatione eum monet, ut apud se deliberet an ex iis quae noverit et propter quae *bonum* salutaverit non maius quidquam ac sublimius concludendum sit; *nemo bonus nisi unus Deus;* hanc appellationem sensu plenissimo ac perfectissimo uni Deo convenire adolescens profecto non ignorabat; itaque Christus occasionem in illius verbis nactus eum oblique monere voluit maiora de se esse cogitanda quam humana ipsius species ac figura praeferret : me bonum appellans fac consideres quam bonitatem mihi tribuas, quamne homo participat an infinitam illam qua nemo bonus nisi unus Deus (*Patr.*); atque Christum voluisse iuvenem ad veram suae naturae divinae cognitionem evehere *Bed. Vict. Theoph. Mald. Lap.* etc. docent; alii pro moribus colligunt laudem omnem quae nobis tribuatur ad Deum esse referendam et vertendam in Dei laudem (*Cai. Ians.*). Quod habetur Matth. 19,17 : quid me interrogas de bono? non adeo differt, ut primo aspectu videtur. Nam quemadmodum is qui de doctrina quadam interrogatur, in ea versatus esse censetur, ita is existimatur et re ipsa vocatur bonus qui de bono et de modo bene agendi interrogatur. Ceterum vide ad Matth. 19,16 seq.

Postquam fidem adolescentis provocavit, iam ei exponit quaenam opera necessaria sint ad vitam aeternam consequendam v. 19 *praecepta nosti;* et quaenam intelligi velit scil. decalogum exemplis prolatis manifestat : *ne adulteres, ne occidas, ne fureris* etc. addit quoque μὴ ἀποστερήσῃς i. e. ne quemquam spolies re debita, v. g. operarios mercede, vel depositum negando, vel retinendo commodatum; qua voce utuntur LXX Ex. 21,10 τὰ δέοντα καὶ τὸν ἱματισμὸν καὶ τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς οὐκ ἀποστερήσει (vulg. non negabit) et Deut. 24,14 οὐκ ἀποστερήσεις μισθόν non negabis mercedem, pariter Mal. 3,5 et Eccli. 4,1 et 31, 27 et similiter usus vocis colligitur ex 1 Cor. 7,5. Vocem eam aliqui spectare opinantur ad decalogi praeceptum nonum et decimum, alii colligi ex praecepto septimo et octavo esseque eorum consectarium; ad hominem divitem accommodari eiusmodi monitionem patet. Addi potest cum *Schegg* spectare *ne fureris* ad ea quae quis de facto ut aiunt habet, μὴ ἀποστ. ad ea quae de iure alicuius sunt. Praecepta recitantur quae ad proximum pertinent fortasse ideo quia in istis facilius vera deprehendi potest pietas, cum Deum a se diligi ac coli quis mentiri possit, non item se officiis erga alios satisfacere.

Bonae conscientiae testimonium adolescens candide prodit v. 20 *haec omnia observavi a iuventute mea*, ἐφυλαξάμην apud Graecos quidem communiter sensum habet : vitavi, abstinui, mihi cavi; at apud LXX ea forma reperitur in significatione custodiendi, observandi (Lev. 18,4 seq. 20,8. 22; 26,3 etc. *Schanz;* praeterea Ex. 12,24. 25; 13,10; 23,13.

15; 13,13 etc. Deut. 4,2. 6; 5,1; 6,2. 25 etc. 1 Par. 28,7 et alibi); quare merito eam notionem hic quoque retinent; insuper cum praecedat *honora patrem tuum et matrem*, id quod *Weiss* vult : ab his omnibus sedulo cavi, nullatenus aptum est. Iuvenem autem verum de se fassum esse vitamque egisse bonam sanctamque sequitur ex v. 21 *Iesus autem intuitus eum dilexit eum*, oculis vultuque dilectionem prodit, id quod unus nobis refert Marcus a Petro qui aderat edoctus; quare veterum quidam putantes iuvenem subdole ex Iesu quaesivisse luculenter refutantur; Iesus enim sciebat quid esset in homine (Ioan. 2,25); *et dixit ei : unum tibi deest;* ad quid istud ei desit, clare docetur Matth. 19,20. 21; ipse enim adolescens se sentit impelli et invitari, ut aliquid praestet quod in mandatis quibus tenentur omnes non contineatur et Iesus dicit : si vis perfectus esse, cum antea dixisset : si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Quid itaque perfectionis sit ad quam tendant qui se invitari a Deo et incitari persentiscunt declarat Christus hisce : *vade* (est sicut rabbinicum לֵךְ veluti particula exhortationis) *quaecumque habes vende et da pauperibus et habebis thesaurum in coelo;* meminit thesauri, ut *Vict.* notat, agit enim cum divite qui opes amat; quare ei ostendit divitias veras atque perennes eumque monet ut relictis fluxis illis ac fugacibus mentem convertat ad aeternas easque longe maiores; ita renuntiationem ei facilem reddere studet. Abiectis itaque impedimentis quibus animus terrae quasi adhaerere et agglutinari solet, *veni, sequere me* « evangelizantem regnum Dei, sequere vita, moribus et officiis; in hac enim sequela perfectionem assequeris et in imitatione mei implebitur desiderium quo vis perfectus esse » (*Cai.*). Eum itaque ad discipulatum invitat, ut relictis omnibus continuo et arcte sibi adhaereat. Porro Dominum sequi est, ut *Beda* dicit, eius esse imitatorem et per vestigia illius gradi, est voluntatem suam plane in omnibus ei subiicere; « facilius sacculus contemnitur quam voluntas; multi divitias relinquentes Dominum non sequuntur » (*Beda*).

Quod Christus in parabola dixit divitias esse spinas quae sementem dominicam suffocent (*Vict. Beda*), iam cernitur impleri in adolescente v. 22 *qui contristatus in verbo* ἐπὶ τῷ λόγῳ propter sermonem illum *abiit moerens* et dolens, *erat enim habens multas possessiones;* desiderat quidem perfectionem; at luget quod tali pretio sit emenda quale solvere propter amorem divitiarum non vult. Unde eius animus quasi inter duo desideria discerpitur et inter duo bona haeret et quod utrumque non potest simul habere tristitia afficitur et dolore. Verum accidit quod plerumque fieri solet : praevalet illud quod praesens est sensusque maxime percellit prae praemio futuro quod sola apprehenditur fide. Amore divitiarum irretitus Christi invitationem repudiaverat adole-

scens et desiderium perfectionis ad quam se incitari sensit abiecerat; inde Iesus occasionem capit graviter monendi eodem amore divitiarum multos in periculum adduci perdendae salutis. Sicut enim ille a perfectione sequenda retrahebatur, ita alii abundantia opum variis implicantur vitiis; unde v. 23 *et circumspiciens Iesus,* discipulos scil. circa se aspiciens, ut aspicere solet qui aliis rem seriam communicare vult eosque attendere iubet, *ait discipulis suis : quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt!* plurimis eos periculis et impedimentis distineri ipsa exclamatione *quam* etc. indicatur; notat *Euth.* esse πῶς βεβαιωτικόν, confirmativum, et poni pro ἀληθῶς vere. Divitiae enim et facillime animum captant blandis voluptatibus et ad superbiam, avaritiam, contemptum Dei et hominum propellunt. Quare sapiens, beatus dives, inquit, qui inventus est sine macula; quis est hic et laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua (Eccli. 31,8. 9); hac ipsa laude et admiratione satis docet quam raro eiusmodi reperiatur. Unde idem insinuat quod Christus profitetur.

Discipuli autem in quorum animis exspectatio regni messiani gloria et opibus insignis alte erat infixa et qui insuper ex norma veteris testamenti bona temporalia tamquam virtutis praemium suspicere solebant v. 24 *obstupescebant in verbis eius* ἐθαμβοῦντο, diu multumque mirabantur de tali doctrina quod scil. qui hominum sententia ter quaterque beati praedicantur, in regnum Dei non sint intraturi nisi difficillime. Quae res cum iis videatur incredibilis adeo ut quasi attoniti haererent, Iesus iterato affirmat, immo sermonem auget, uti fieri solet, si cui res plane mira persuaderi debet; *at Iesus rursus respondens ait illis : filioli* (vide lect. var.), blande eos alloquens et tali amoris significatione simul declarans se nullo modo eos decipere nec vane et inutiliter terrere, verum doctrinam maximi momenti ad eorum bonum proponere, *quam difficile est confidentes in pecuniis* (si glossa est, apte et opportune addebatur; neque enim opes incusat, sed eos qui ultra modum iis inhaerent, ut *Vict.* ait) *in regnum Dei introire!* dantur quippe divitiae, ut sint adminicula ad regnum coelorum; sed affectus hominis minus ordinatus ad divitias qui valde frequens est difficilem reddit aditum divitis ad regnum coelorum (*Cai.*). Quare sapiens sapienter rogat: mendicitatem et divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo necessaria (Prov. 30,8). Immo v. 25 *facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum Dei;* locutio est proverbialis ad rem valde difficilem designandam; vide ad Matth. 19,24. Dicit quidem *Theoph.* camelum intelligi vel animal vel crassum funem qui in maximis navigiis adhibeatur; verum hoc ultimum omittendum est, quia κάμηλος ea notione nunquam invenitur idque solum excogitatum videtur, ut locutio

magis ad foramen acus aptaretur. Sed eiusmodi locutiones proverbiales de elephante v. g. apud Iudaeos in usu erant.

Etiam magis obstupescunt discipuli v. 26 *qui magis admirabantur*, περισσῶς supra modum ἐξεπλήσσοντο quasi ictu percellebantur, *dicentes ad semetipsos* (vide lect. var.); cum apud Marcum nunquam dicatur λέγειν πρός τινα, nisi ubi sit πρὸς ἑαυτούς, πρὸς ἀλλήλους (4,41 ; 8,16 ; 11,31), lectio vulg. videtur genuina ; *et quis potest salvus fieri?* illud καί et in initio interrogationis « cum vi auctiva ita ponitur, ut is qui interrogat cum admiratione quadam alterius orationem excipere ex eaque conclusionem ducere significetur qua alterius sententia confutetur » (*Kühner* ad Xen. Mem. 1,3. 10 apud *Weiss*). Verba Iesu secum recolentes et bene perspicientes quantopere homines divitias ament, immo ii quoque eas desiderent qui eas nequeant adipisci (*Beda*), exclamant *et quis* etc. neminem posse, si res ita se habeat, ut Iesus dicit, salvum fieri. Qua animadversione simul explicationem rogant, cum fieri nequeat ut omnes a regno Dei excludantur quod tamen e verbis Christi sequi videbatur. Notant *Vict. Theoph.* discipulos, utpote pauperes non pro se, sed pro omnibus hominibus fuisse anxios misericordia eorum motos.

Et explicationem quam illa exclamatione tacite petunt Iesus subiungit v. 27 *et intuens illos* et aspectu suo eos iam erigens et consolans *Iesus ait : apud homines impossibile est, sed non apud Deum ; omnia enim possibilia sunt apud Deum ;* i. e. homo suis viribus relictus utique illecebris divitiarum et vitiis ad quae illae blande invitant resistere non potest, quia pondere naturae corruptae ad ima fertur ; sed Deus sua gratia animum potest ita sanare et confortare ut generose calcatis ac superatis concupiscentiis inter medias opes unice ad Deum aspiret earumque usu recto gloriam Dei et suam procuret salutem. Docet itaque Christus gratia Dei omne salutis impedimentum removeri et ea hominem omnino indigere ut pericula evitet quae ex bonis terrestribus orta animos obsident et oppugnant. Sola itaque gratia divina tollitur ab hominibus inordinatus affectus et usus divitiarum.

Qualis sit ille thesaurus in coelo repositus, Petrus accuratius scire velle videtur ; quare Domino dicit : fecimus id quod adolescenti suasisti ; v. 28 *et coepit ei Petrus dicere : ecce nos dimisimus omnia et secuti sumus te !* quid ergo erit nobis? id quod apud Matth. additur, hic quoque ex oratione contexta et responsione Iesu per se intelligitur ; v. 29 *respondens Iesus ait : amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut filios aut agros propter me et propter evangelium*, ut scil. mihi adhaereat doctrinamque meam sequatur et in eam aliis annuntiandam suam conferat operam. Cum Christus dixisset : veni enim separare hominem adversus patrem

suum et filiam adversus matrem suam etc. (Matth. 10,35 ; *Vict. Theoph.*) i. e. cum praedixisset suis instare multas persecutiones et cum postulasset ut prae carissimis quibusque ipse amaretur, intelligitur quoque quomodo haud pauci si ei fideles esse velint vel cognatos relinquere vel spoliationem bonorum tolerare debeant. Praeterea hac promissione etiam invitat ut quamvis talis non adsit relinquendi necessitas tamen ultro rebus istis se exuant quo expeditius et arctius sibi adhaereant et opus evangelii promoveant in se ipsis et in aliis.

Deus liberalitate non vincitur, verum magnifice remuneratur v. 30 *qui non accipiat* ἐὰν μὴ λάβῃ si non recipiat i. e. nemo relinquit ita ut non accipiat ; certissime accipiet et si non accipit, sequitur eum vere non reliquisse, *centies tantum nunc in tempore hoc domos et fratres et sorores et matres et filios et agros;* promissio haec mutua illa Christianorum caritate implebatur ; ubicumque terrarum qui a suis erat eiectus et spoliatus excipiebatur et fovebatur a fidelibus, ita ut ei essent loco fratrum et sororum et matris eique suas domos et opes liberaliter offerrent ; vide Act. 2,44 omnes qui credebant habebant omnia communia, et 4,32 et 16,15 ; porro omnes Christifideles appellantur *fratres* in epistolis ; S. Paulus ut matrem suam salutat matrem Rufi (Rom. 16,13), ut filios suos carissimos alloquitur Corinthios (1 Cor. 14,14), Galatas (4,19) etc. Eandem promissionem quoque cerni in iis qui sacculo relicto in monasteriis degunt manifestum est ; nam ii quoque pro una domo quam reliquerunt tot quasi domicilia habent quot monasteria etc. Opportune monet *Patr.* hunc sensum proprium esse retinendum ; « nam si in translatum haec essent accipienda, quorsum repetita haec enumeratio rerum relictarum aut recipiendarum? nonne illud *centies tantum* rei significandae satis fuisset? attamen id genus *fratres et sorores et matres et filios* Christus promittit, non qui nobis consanguinitate, sed qui horum loco multoque excellentius sint caritate coniuncti ». Porro adverte Christum in enumeratione eorum quae relinquenda sint uti disiunctione ; proin indicari praemium etiam iis pro sua parte promitti qui unum aliquid Christi causa reliquerint. Ut verbis additis significatur, dimissio debet esse necessaria aut expediens ad honorem Dei, non stulta, non irrationalis, non contra aut praeter caritatem Dei aut proximi (*Cai.*).

Additur *cum persecutionibus,* i. e. haec omnia accipient inter persecutiones, quamvis persecutiones patiantur et affligantur ; proinde eos consolatur praedicens ac promittens fore, ut ipsae persecutiones nullo modo impediant quominus ea illis fiant quae pollicitus sit. Id simul auget, ut *Ians.* notat, admirationem, quod etiam in mediis ipsis persecutionibus haec sint habituri quando metuere possent, ne omnibus

destituerentur auxiliis et solatiis. Sunt tamen, ut idem advertit aliqui qui additum hoc *cum persecutionibus* velut partem beneficii quod promittatur explicent; esse scil. inter dona Dei posse pati pro Christo et eos dici beatos a Christo qui varia hominum malitia perpetiantur (Matth. 5,11. 12). Pia quidem explicatio, sed quae ipsa enumerationis serie ac ratione non commendatur; quare in priore acceptione quam *Cassianus, Theoph. Sa, Estius, Menochius, Lamy* et recentiores sequuntur sistendum erit. Nuperrime quidam pro persecutionibus hoc loco ponere voluit vestimenta pretiosa, quippe quae ad seriem rerum melius convenirent[1]. Sed coniectura est plane inutilis, ne dicam frivola et ridicula; utramcumque explicationem elegeris, *persecutiones* eo loco sensum praebent omnino ad rem aptum et Christi promissione dignum. Iis itaque Dominus in hoc tempore pollicetur centuplum *et in saeculo futuro vitam aeternam*.

Apud *Cassianum* in collatione 24 cap. 26 (*M.* 49, 1325 seq.) haec leguntur: « centuplam fratrum parentumve recipiet quantitatem, quisquis patris unius vel matris seu filii pro Christi nomine caritate contempta in omnium qui Christo deserviunt dilectionem sincerissimam transit, pro uno scilicet tot inveniens patres fratresque ferventiore ac praestantiore sibi affectione devinctos. Multiplicata etiam domorum atque agrorum possessione ditabitur, quisquis una domo pro Christi dilectione reiecta innumera monachorum habitacula tamquam propria possidebit, in quacumque orbis parte velut in suae domus iure succedens. Quomodo enim non centuplum, et si Domini nostri sententiae superadiici aliquid fas est, plus quam centuplum recipit, qui decem vel viginti servorum ministeria infida et coacticia derelinquens tot ingenuorum ac nobilium spontaneo fulcitur obsequio? Quod ita esse etiam vestris experimentis probare potuistis, qui singulis patribus matribusque ac domibus derelictis, quamlibet mundi partem fueritis ingressi patres, matres fratresque innumeros, domos quoque et agros servosque fidelissimos absque ullo sollicitudinis labore conquiritis, qui vos ut proprios dominos submisse suscipiunt, amplectuntur, fovent, venerantur officiis ».

Sunt qui haec Christi verba impleri dicant modo spirituali, ita ut pro temporalibus dentur gratiae spirituales. Eo modo scribit *S. Hieronymus*: « qui carnalia pro Salvatore dimiserit spiritualia recipiet, quae comparatione ac merito sui ita erunt quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur » (*M.* 26,139), et eadem repetit *Beda* hic. Simili modo *S. Ambrosius* per centuplum ipsum Deum accipit qui ab iis possideatur qui omnia reli-

1. Ita *Marshall* in periodico anglico The Expositor, 1892 mense august. p. 91. Putat enim pleraque in evangeliis esse translata ex aramaico et eum qui transtulerit perperam legisse רדידא pro רדיבא. Ceterum haec vox significat non vestem pretiosam, sed velum, peplum, tegumentum capitis expansum; cf. *Buxtorf*, Lex. chald. p. 2211.

querint (in Ps. 118, serm. 8 n. 7. 10; *M.* 15,1296 seq.) et *S. Gregorius* per centenarium numerum perfectionem designari mentis dicit, ut iam non ea appetat quae contemnit; « neque enim sanctus quisque ideo terrena deserit, ut haec possidere in hoc mundo multiplicius possit, quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit sed appetit » (homil. in Ez. 2,6. 16; *M.* 76,1007). Pariter de spiritualibus donis accipiunt *Alb. Cai.; Mald.* vero centuplum exponit de Christo « qui instar est omnium, quique nobis et pater et mater et frater et soror et uxor et liberi et domus et possessio esse debet, sicut ipsemet docuit Matth. 12,49. 50 »; similiter *Menochius.* Verum bene advertit *Ians.* : « haec tamen declaratio non sufficit huic loco; nam Marcus explicaturus quomodo centies tantum in hoc tempore sint accepturi, subiicit domos et fratres et sorores et matres et filios et agros. Id quam sit verum patet et in apostolis et in omnibus qui propter Christum sua sincere relinquunt etiam hodie. Apostolis enim omnium fidelium domus erant apertae eorumque agri eis fructum ferebant ». Atque hac ratione plerique explicant; cf. *Vict. Theoph. Euth. Sylv.* lib. 6 cap. 33 qu. 17; *Lap. Estius, Lamy, Calm.* et recentiores. — Quanta autem caritate prisci Christiani inter se iuverint egentesque amplexi sint, legere potes inter alia apud Baronium, anno Chr. 75 n. 9-15.

Concluditur sententia v. 31 *multi autem erunt primi novissimi et novissimi primi;* sententia quidem est generalis : multi ex iis qui sunt primi vel tempore in regno Dei vel auctoritate, vel opibus et honoribus apud homines erunt collocandi ultimo loco, utique in saeculo futuro; dum e contra qui hisce in terris *ultimi* habentur vel quia haud diu laborarunt pro Deo vel quia pauperes erant et contempti et ignoti, tum primas occupabunt sedes et eximia gloria fruentur. At quo sensu hic dicatur, determinandum erit ex antecedentibus. Explicant aliqui : multi qui sunt primi habebuntur ultimo loco quia divitias suas non pro Christo reliquerint et ii qui omnibus relictis facti sunt ultimi erunt primi. At tum merito exspectaretur ut diceretur *multi enim.* Cum vero dicatur *multi autem*, πολλοὶ δέ, potius exponendum erit, ut ii qui omnia reliquerint moneantur ne eo ipso sibi primas sedes et maximam in saeculo futuro beatitatem promittant neve sola temporis longitudine mercedem summam constitui arbitrentur; fieri enim posse ut qui primi sunt tempore vel habentur primi in Christi sequela quia omnia reliquerint, nihilominus evadant in saeculo futuro ultimi, dum alii qui brevi tempore laborabant vel qui ultimo loco collocati esse videbantur quia opes suas retinuerint, propter maiores virtutes et ampliores gratias quibus fervore maximo cooperabantur excellentiore praemio donabuntur. Illustratur sententia haec apud Matth. 20,1-16 parabola illa de operariis in vinea. In eundem sensum etiam scribit *Beda* : « vide enim Iudam de apostolo in apostatam versum et dicito, quod multi erunt primi

novissimi; vide latronem in cruce factum confessorem eodemque die quo pro suis crucifixus est peccatis, gratia fidei cum Christo in paradiso gaudentem et dicito, quod et novissimi erunt primi. Sed et quotidie videmus multos in laico habitu constitutos magnis vitae meritis excellere et alios a prima aetate spiritali studio ferventes ad extremum otio torpentes flaccescere atque inerti stultitia quod spiritu coeperant carne consummare ». Atque opportune quoque *Cai.* advertit haec addi ne quis putet eum qui plus reliquerit etiam eo ipso plus esse accepturum in saeculo futuro; « multi novissimi in hac vita quoad res, honores et reliqua temporalia erunt primi in alia vita; et e converso multi primi hic in honoribus, rebus et reliquis temporalibus erunt novissimi in alia vita, quia non censum sed affectum, non quantum sed ex quanto offertur pensat Deus ».

d) Iesus docet de sua passione et de humilitate 10,32-45.

10,32. Erant autem in via ascendentes Ierosolymam; et praecedebat illos Iesus, et stupebant, et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, coepit illis dicere quae essent ei eventura. 33. Quia ecce ascendimus Ierosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus; 34. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum, et tertia die resurget.

35. Et accedunt ad eum Iacobus et Ioannes, filii Zebedaei, dicentes: Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. 36. At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? 37. Et dixerunt: Da nobis ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. 38. Iesus autem ait eis: Nescitis quid petatis: potestis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? 39. At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus autem ait eis: Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis: et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini: 40. Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. 41. Et audientes decem coeperunt indignari de Iacobo et Ioanne.

10,32. Ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντες εἰς Ἰεροσόλυμα· καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐθαμβοῦντο, οἱ δὲ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο. καὶ παραλαβὼν πάλιν τοὺς δώδεκα, ἤρξατο αὐτοῖς λέγειν τὰ μέλλοντα αὐτῷ συμβαίνειν· 33. Ὅτι, ἰδοὺ, ἀναβαίνομεν εἰς Ἰεροσόλυμα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσιν καὶ τοῖς γραμματεῦσιν καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ, καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσι, 34. καὶ ἐμπαίξουσιν αὐτῷ, καὶ ἐμπτύσουσιν αὐτῷ, καὶ μαστιγώσουσιν αὐτὸν, καὶ ἀποκτενοῦσιν καὶ μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστήσεται.

35. Καὶ προσπορεύονται αὐτῷ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης, οἱ δύο υἱοὶ Ζεβεδαίου, λέγοντες αὐτῷ, Διδάσκαλε, θέλομεν ἵνα ὃ ἐὰν αἰτήσωμέν σε ποιήσῃς ἡμῖν. 36. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Τί θέλετέ με ποιήσω ὑμῖν; 37. οἱ δὲ εἶπαν αὐτῷ, Δὸς ἡμῖν, ἵνα εἷς σου ἐκ δεξιῶν καὶ εἷς ἐξ ἀριστερῶν καθίσωμεν ἐν τῇ δόξῃ σου. 38. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, Οὐκ οἴδατε τί αἰτεῖσθε. δύνασθε πιεῖν τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ πίνω, ἢ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι; 39. οἱ δὲ εἶπαν αὐτῷ, Δυνάμεθα. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, Τὸ ποτήριον ὃ ἐγὼ πίνω, πίεσθε· καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθήσεσθε· 40. τὸ δὲ καθίσαι ἐκ δεξιῶν μου καὶ ἐξ εὐωνύμων μου οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται. 41. Καὶ ἀκούσαντες

42. Iesus autem vocans eos, ait illis : Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. 43. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri maior, erit vester minister;

44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus.

45. Nam et filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

οἱ δέκα ἤρξαντο ἀγανακτεῖν περὶ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου. 42. καὶ προσκαλεσάμενος αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς, Οἴδατε ὅτι οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν· καὶ οἱ μεγάλοι αὐτῶν κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. 43. οὐχ οὕτως δέ ἐστιν ἐν ὑμῖν· ἀλλ' ὃς ἂν θέλῃ μέγας γενέσθαι ἐν ὑμῖν, ἔσται ὑμῶν διάκονος· 44. καὶ ὃς ἂν θέλῃ ἐν ὑμῖν εἶναι πρῶτος, ἔσται πάντων δοῦλος· 45. καὶ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθεν διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν.

In v. 32 οι δε ακολουθ. ℵ B C*L Δ cop arm Ti W H; και ακολουθ A N X Γ Π unc 8 al pler f $g^{1\,2}$ l q vulg go syr (utr); timebant *eum* big theod mt ox. In v. 33 add *senioribus* in cav theod ing car lich mt ox ken tol val wil harl; in aliis non legitur; dub gentibus *ad deludendum*. In v. 34 μετα τρεις ημερας ℵ B C D L Δ it pler cop; τη τριτη ημ. A N X Γ Π unc 9 al pler f g^{2} vulg go syr (sch) ev hier arm aeth Or. In v. 35 οι δυο B C cop; λεγοντες αυτω ℵ B C D L Δ a cop syr (sch) ev hier arm aeth Or. In v. 37 αριστερων B L Δ Ti W H. In v. 38 και το βαπτισμα A C^{3} X Γ Π unc 9 al pler syr (sch, p) ev hier go aeth; baptismo in ept (marg) theod med mt ken rush; al *baptismum* uti edidit *Wordsworth* (uti etiam in v. 39). In v. 40 dare *vobis* in c f k l pler codd vulg aeth; non add *vobis* in am hub* med lind harl a b d ff^{2} i q. In v. 43 ουτως εστιν ℵ B C* D L Δ it vulg Ti W H; al εσται. In v. 44 εν υμιν ειναι πρωτος ℵ B C* L Δ aliq minusc it vulg cop W H; rell υμων γενεσθαι πρωτος, ut etiam Ti.

Iam tertia vice Iesus apostolis passionem suam praedicit; v. 32 *erant autem in via ascendentes Ierosolymam;* cf. v. 17; disceptant sitne interpretandum *erant ascendentes* i. e. ascendebant necne. Sed cum inepte diceretur : in via ascendebant Ierosolymam, explicandum erit : erant in via i. e. iter faciebant, et quo iter dirigatur adiungitur *ascendentes* etc. *et praecedebat illos Iesus* ἦν προάγων erat praecedens, rem ea dictione Marcus quasi depingit. Quid Iesum in urbe maneret ex iis quae 8,31 et 9,31 dicta sunt et quae narrantur Ioan. 11,47-54 dubium esse non poterat; praeterea discipuli iam saepius experti erant quibus inimicitiis atque insidiis Iesus in urbe impeteretur (cf. Ioan. 7,12 seq. 8,59; 9,22; 10,20. 31). Quare mirum non est discipulos non sine timore ac trepidatione iter illud in urbem suscepisse; Iesus autem erat praecedens; per hoc ostendit se ad passionem accurrere (*Theoph.*), ostendit ipso gestu corporis se non metuere aut declinare mortem, sed promptum esse et alacrem ad perficiendam Patris voluntatem; praecedit, ut suo facto discipulis animum adderet metumque eis excuteret (*Ians.*). At hi cum eum tanta animi constantia et promptitudine viderent pergere versus urbem, tot insidiarum sedem, *stupebant*, valde mirabantur; *et sequen-*

tes timebant, cum secundum testes meliores legendum sit οἱ δὲ ἀκολουθοῦντες, hi qui sequuntur alii sunt ab apostolis, proinde ii qui ex turba Iesum et apostolos comitabantur. Isti timebant, probabiliter quia in ipsis apostolis aliquam deprehendebant trepidationem. Qui legunt *et sequentes*, ad apostolos referunt, qui quamvis ex humana infirmitate timerent, tamen constanti dilectione Dominum praeeuntem sint secuti (cf. *Ians.*). Solus Marcus hanc itineris scenam nobis descripsit, in Iesu qui erat praecedens adumbrat ipsa re quae Iesus dixit : baptismo habeo baptizari et quomodo *coarctor*, usquedum perficiatur (Luc. 12,50).

In illo itinere Iesus iterum seorsim a turba apostolos docet : *et assumens iterum duodecim*, sicut scil. iam antea illis solis, non turbis, de passione locutus erat 8,31 et 9,29. 23; alii *assumens* etiam ex eo explicant quod Iesu praecedente discipuli aliquo intervallo ab eo erant separati, quos iterum sibi sociasset, *coepit illis dicere quae essent ei eventura* v. 33 *quia ecce ascendimus Ierosolymam*, in ipsa urbe sibi esse passionem subeundam, nunc demum clare significat, *et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum*, per quem tradendus sit, nondum aperit; id faciet inter coenam paschalem, *et scribis et senioribus* (vide lect. var.) *et damnabunt eum morte et tradent eum gentibus*, hoc et sequentia quoque nunc modo adeo determinato praedicit v. 34 *et illudent ei et conspuent eum et flagellabunt eum et interficient eum et tertia die resurget;* varia itaque quae passurus est accurate enarrat, ostendens se cuncta praescire et manifestans se *velle* pati et voluntarie ea subire; singula enumerat ne quidquam nescisse videatur et ut apostoli minus perturbentur si ea fieri videant quae adeo aliena esse a Messiae dignitate arbitrantur (cf. *Vict. Theoph.*). Sed simul aperit quem exitum gloriosum ac triumphum haec omnia habitura sint; quare merito dicit *Vict.* : ἴασις δὲ τούτων ἁπάντων τὸ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.

Quamvis teste Luca (18,34) quid hi Domini sermones sibi vellent non intelligerent, tamen mentione resurrectionis facta id saltem percepisse videntur fore ut Dominus insidiis inimicorum superatis regnum messianum condat triumphum agens de suis persecutoribus (vide quae dixi ad Matth. 18,1; Comment. II p. 107). Praeterea narrante Matthaeo (19,28) Christus antea apostolis dixerat : cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim etc. — quem sermonem utpote qui proxime de duodecim tribubus Israel proferebatur Marcus non retulit; — inde itaque filii Zebedaei occasionem captant petendi sibi primas sedes (*Vict. Euth. Cai.*) existimantes regnum temporale gloriosum mox iri conditum. Cum filii tonitrui (3,17) indolis essent ferventioris, etiam summa quaeque studio ardenti appetebant v. 35 *et accedunt ad eum Iacobus et Ioannes, filii Zebedaei;* ea in nar-

ratione S. Matthaeus (quod alias vix reperies) rem accuratius refert, dum S. Marcus eam brevius perstringit; vide ad Matth. 20,20; quod filii per matrem petierunt, merito ipsi postulasse dicuntur (cf. Matth. 8,5 et Luc. 7,3); *dicentes : magister, volumus ut quodcumque petierimus facias nobis,* quasi vererentur statim petere quod volunt idque immediate enuntiare, prius postulant ut exaudiantur in re aliqua quam erant rogaturi, sicut qui particulare aliquid, praesertim si magnum fuerit, impetrare desiderant praemittere solent petitionem generalem qua animum alterius captent eiusque fidem sibi obstringant ne postea fas sit negare (*Ians.*); cf. 3 Reg. 2,20; v. 36 *at ille dixit eis : quid vultis ut faciam vobis?* « ipsa interrogatione particularem extorquens petitionis explicationem quam deinde redarguere posset, suo nos exemplo docens ne ob familiaritatem aut carnalem affectum nostram fidem roganti amico obstringamus, priusquam in specie petitionis qualitatem intellexerimus et iustane an iniusta sit didicerimus » (*Ians.*); v. 37 *et dixerunt : da nobis ut unus ad dexteram tuam et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua* i. e. simul ac regnum tuum (quod gloriosum hisce in terris fore putabant) institueris; primas itaque dignitates eo in regno sibi petunt.

Quid et qua mente petunt? fuerunt quidem qui putarent eos spiritualia postulasse vel petiisse ut ceteris apostolis virtute ac meritis antecellerent, vel petiisse bonum, sed non bene intellectum, quia putarent id occupari precibus posse, cum tamen non petentibus sed merentibus dari posset, quae ultima sententia a *Mald.* probabilissima habetur. Etiam e recentioribus *Schegg* in ea petitione cernit « heroicum voluntatis propositum » quo flagitent a Domino, ut nunc sibi concedat eos labores quibus digni reddantur qui olim sedeant ad eius dexteram et sinistram. Verum alii eos arguunt ambitionis; « amore praeeminentiae (προεδρίας) capti sunt; nam se prae ceteris honorari sciebant, sed Petrum timebant (vel Petro subinvidebant) » (*Euth.*; cf. *Vict. Cai.*) et *Ians.* eam postulationem appellat crassam, carnalem, ambitiosam; *Alb.* quoque eos accusat elationis et stultitiae, *Lap.* scribit : « disce hic quam audax, caeca et insatiabilis sit ambitio et ambitiosa petitio, ad quam duos hosce apostolos incitavit quod ipsi se ceteris apostolis a Christo antepositos vidissent in transfiguratione »; eodemque modo ait *Dion.* eos videri petiisse ex quadam praesumptione et elatione et similiter loquuntur *Lamy, Calm. Reischl, Bisp. Schanz, Fil.* et *Patr.* quoque dicit eos honores dignitatesque imaginatos esse et expetiisse. Et certe aliquid ambitionis et affectus inordinati in ea petitione adfuisse satis liquet ex admonitione v. 42 seq. qua Christus omnem honoris appetentiam contentione humilitatis vincendam esse docet. Quid mirum apostolis id

imperfectionis adhaesisse, cum nondum virtute Spiritus sancti essent innovati?

Iesus pro sua mansuetudine illorum imperfectionem tolerans nihil aliud quam ignorantiam iis obiicit (*Ians.*) v. 38 *Iesus autem ait eis: nescitis quid petatis;* regnum enim temporale imaginabantur in eoque summos sibi deferri honores cupiebant, ut proxime assiderent Messiae regi. Sed cum talis rerum conditio non esset instituenda, merito iis dicitur : nescitis ad quid tendat petitio vestra. Aeque eorum ignorantia accusari potest, si verba accipiuntur de summo quodam in coelo beatitudinis gradu quo quam proximi fierent Christo in gloria, de quo illi ne cogitabant quidem; proinde minime intelligebant quae esset vera petitionis notio ac significatio. Insuper in praesenti ordine providentiae supernaturalis nequit fieri ad Deum postulatio : iube me collocari in summo gloriae gradu. Ut igitur eos doceat ad consortium regni non perveniri posse simplici petitione, Iesus pergit : *potestis bibere calicem quam ego bibo aut baptismo quo ego baptizor baptizari?* potestis eandem mecum sortem subire? metaphora enim calicis designatur portio et sors alicui a Deo attributa. Modus loquendi depromptus est a ritu quo convivii praeses seu paterfamilias suam cuique vini portionem statuebat et frequenter in s. litteris adhibetur; cf. Ps. 10,6; 15,5; 22,5; 74,9. Is. 51,17. Ier. 25,15 etc.; unde Christus quoque orat Patrem, ut si velit transferat calicem istum a se. Metaphora *baptismi* pariter declarat multitudinem tribulationum et perpessionum quibus quasi immergendus sit. Solent enim magnae afflictiones comparari in s. litteris inundationi aquarum; cf. Ps. 68,2 quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam, 68,16 non me demergat tempestas aquae; Ps. 17,17; 31,6; 65, 12; 87,18. Iob 22,11 etc. Ceterum apud Graecos quoque καταδύειν et βαπτίζειν tropice adhibetur eadem notione immergendi aliquem afflictionibus, aerumnis obruendi, onerandi debitis etc. Vide praeterea Luc. 12,50.

Quam fervide desiderent filii tonitrui id quod petierant etiam appareat ex v. 39 *at illi dixerunt ei: possumus;* respondent pro ferventi sua et audace indole, temere et ambitiose, ut sat multi existimant, vel certe non satis percipientes quid polliceantur. Verum cum ignorare non possent Christum, uti praedixerat, obviam ire magnis afflictionibus et calicem et baptismum designare perpessiones, potius dicendum erit eos attestari se velle omni fidelitate et constantia Christo adhaerere, etsi cum ipso magnos oporteat subire labores; respondent itaque simili modo quo postea Petrus : Domine paratus sum tecum et in carcerem et in mortem ire (Luc. 22,32). Quare illo *possumus* suam testantur promptitudinem, alacritatem gravissima quaeque cum Iesu tolerandi et

simul suum in Iesum declarant amorem, quia quamvis plurima perpetienda sint, tamen nullo pacto ab eo recedere, sed omnia cum ipso perferre magna animorum fortitudine apud se statutum esse profitentur. Ita revera illud *possumus* longo intervallo superare videtur modum agendi Petri Matth. 16,22 : absit a te Domine; non erit tibi hoc; iam enim se paratos declarant cum Iesu maximas subire aerumnas eiusque esse in perpessionibus socios atque omnino confidunt fore ut nullatenus sibi desint vires. Grandis utique fiducia et propositum magnanimum in illo *possumus* continetur.

Dominus pro solita sua clementia non obiicit eis sibi cognitam eorum infirmitatem, sed amplectitur eorum promptitudinem quae etsi necdum in iis erat vera qualem illi de se pollicebantur, tamen suo tempore vera erat futura (*Ians.*); *calicem quidem quem ego bibo bibetis et baptismo quo ego baptizor baptizabimini,* Iacobus propter fidem Christi gladio occisus est ab Herode (Act. 12,2), Ioannes autem particeps in tribulatione et regno et patientia in Christo relegatus fuit in insulam quae appellatur Patmos propter verbum Dei et testimonium Iesu (Apoc. 1,9); Tertullianus aliique auctores sunt eum in ferventis olei dolium esse missum (cf. de praescr. 36; *M.* 2,49; S. Hier. c. Iovin. 1,26; in Matth. 20,23; *M.* 23,259; 26,143); immo Georgius hamartolus, saec. 9 chronographus, ex Papiae libris testimonium affert eum a Iudaeis esse occisum (cf. *Cornely,* Introd. III p. 212. 213); v. 40 *sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram non est meum dare (vobis), sed quibus paratum est,* scil. quibus praedestinatum est; indicat Christus non sufficere meram petitionem, ut quis ad excellentissimos et altissimos dignitatis, honoris, beatitudinis gradus evehatur neque labores pro regno Dei susceptos neque mortem eius causa toleratam iam tantum valere, ut quis ad summum prae omnibus apicem gloriae perveniat; verum Deum Patrem pro liberrimo suo beneplacito excellentissimas quasque gratias praedestinare cui voluerit. Dantur quidem, cum Deus omnes homines velit salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire (1 Tim. 2,4), omnibus gratiae ad salutem attingendam sufficientes atque unusquisque eum nanciscetur gloriae gradum qui meritis suis respondet; at in liberrima divina electione ac praedestinatione positum est, an Deus gratias quam maxime amplas et eminentes largiri velit quibus opera eius excellentem quendam dignitatis gradum attingant et proinde ius acquirant ad sublimiorem in coelesti patria gloriam. Talis autem liberrima Dei praedestinatio facta est ab aeterno neque Messias in terra versans primas in coelo sedes nunc petentibus quibusque assignare potest ac si vellet Patris aeterni decretum mutare vel abrogare.

Hisce verbis Christi *non est meum dare* etc. abusi sunt Ariani (cf. *S. Ambrosius*, de fide 5,5. 55; *M.* 16,660 : « hoc igitur vestrum divinae ut vultis inaequalitatis est argumentum »; *S. Cyrillus* alex. Thes. assert. 26; *M.* 75, 413). Illis vario modo occurrebant; et primo quidem iis solebant opponere alios textus quibus Christus honorem divinum et aequalitatem cum Patre sibi attribuit : omnia mihi tradita sunt a Patre; ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Deinde monent, sicut verbis illis : Pater non iudicat quemquam, Patri non denegetur potestas, ita neque hic Filium sibi potestatem esse ademptam affirmare (cf. *S. Ambr. Cyr.* l. c.). Dein alii Iesum id dicere in forma servi adnotant, sicut etiam dixerit : Pater maior me est; vel : non humana potestate ista do (*S. Augustinus*, de Trinitate 1,12; *M.* 42,838). Frequens est explicatio id dici eodem sensu quo agonotheta diceret se non posse coronas dare quibus velit vel qui petant, sed merentibus; « sum iustus iudex et pro dignitate uniuscuiusque laboribus praemia veluti ex debito persolvo » (*S. Cyr.* l. c.) et similiter *S. Ambr.* : « non sibi deesse potestatem asserens, sed meritum creaturis » et *Basilius* seleuciensis (orat. 24; *M.* 85,285) : « non est meum dare; cur? quia remuneratio accipientis meritum consequitur, non solum facultatem donantis ». Et eodem modo ad meriti rationem recurrunt *S. Hieronymus* (ad Matth. 20,23) *Bed. Vict. Theoph. Alb. Ians. Mald. Lap. Calm. Lamy, Fil.* At dubito num haec explicatio sufficiat. Dicitur enim : quibus *paratum est;* ergo maximi illi gloriae gradus iam certis quibusdam destinati sunt. Porro merita, de quibus hi loquuntur, supponunt gratiarum praedefinitionem. Alii : non est meum dare vobis superbis, sed si vultis accipere illud, nolite esse quod estis (*Beda*) et : non est meum dare ambitiosis quales vos estis (*Innocentius* III, de contemptu mundi 2,35; *M.* 217,731). Vim quoque ponunt in voce *vobis Mald. Patr. Reischl*, ita ut comparatio non fiat inter Christum et Patrem, sed inter personas quibus eiusmodi honor dari potest : non est meum dare vobis, propterea quia petitis vel mei familiares estis, vobis qui nondum meruistis (*Mald.*) et *Patr.* ita verba disponenda esse docet : est meum dare non vobis sed quibus paratum est. At cum illud *vobis* in textu graeco non legatur et etiam non habeatur in sat multis codd it et vulg., nemo non videt explicationem tali lectioni incertae (ne dicam falsae) superstrui non posse. Alii demum verba Christi ex eo declarant quod quamvis omnia opera ad extra tribus sanctissimae Trinitatis personis sint communia, tamen praedestinatio Patri appropriatur (*Bisp. Schanz*); sed haec sola consideratio non videtur sufficere ut dicatur *non est meum dare.*

Discipuli adhuc humanis affectionibus et invidia laborabant (*Theoph.*); unde v. 41 *et audientes decem coeperunt indignari de Iacobo et Ioanne,* quippe qui ignorantes mensuram suam immodica cupiditate exarserint (*Beda*). Aegre ferebant quod hi duo primas prae omnibus sedes sibi vindicare volebant. Horum vero indignatio ex eodem ambitionis malo originem duxit, ex quo illorum postulatio; unde Iesus utrisque eandem

medicinam applicat iterum doctrinam illam inculcans pernecessariam de animo demisso ; v. 42 *Iesus autem vocans eos* προσκαλεσάμενος ad se advocans quippe qui paululum elongati erant a duobus fratribus qui seorsim ad Dominum accesserant, *ait illis : scitis quia hi qui videntur principari gentibus* οἱ δοκοῦντες ἄρχειν in quibus honor est imperandi gentibus, qui ut principes habentur et agnoscuntur, de qua notione verbi δοκεῖν vide Dan. 13,6. Gal. 2,6, *dominantur eis*, dominationem et imperium in eas exercent se gerentes ut dominos earum *et principes eorum potestatem habent ipsorum*, in eos exercent potestatem et haud raro tyrannidem superbia et arrogantia elati. A tali vero ambitione suos longissime abesse vult; unde v. 43 *non ita est autem in vobis;* cum emphasi dicitur : non ita *est* apud vos; quasi dicat : plane alia est conditio regni mei adeo ut eiusmodi dominandi ambitio non modo non debeat esse, verum plane exsistere nequeat. Quid vero apud suos sit et valeat explicat : *sed quicumque voluerit fieri maior, erit vester minister* v. 44 *et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus;* « humilis magister et mitis nec cupiditatis immodicae arguit duos postulantes nec decem reliquos indignationis increpat et livoris, sed tale ponit exemplum quo doceat eum esse maiorem qui minor fuerit et illum dominum fieri qui omnium servus sit. Frustra igitur aut illi immoderata quaesierunt aut isti dolent super maiorum desiderio, cum ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate veniatur » (*S. Hier. Beda*). Ergo qui vult esse magnus, ministret et serviat omnibus et qui summum honoris gradum desiderat, sciat ad illum pervenire eum solummodo posse qui omnium se servum reputet et faciat. Hac itaque ratione docet unumquemque humilitatis contentione efficere posse ut ceteris praecellat; vide Matth. 20,25-28 et Luc. 22,25.

Denique sui proponit exemplum, ut si dicta parvipenderent, erubescerent ad opera (*S. Hier. Beda*) v. 45 *nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei sed ut ministraret et daret animam suam;* vitam suam, *redemptionem,* λύτρον pretium redemptionis *pro multis;* ab iis, *Vict.* scribit, quae ego facio et patior exemplum discite eorum quae dicta sunt; cum enim sim rex supernarum virtutum, tamen homo fieri volui et illudi et ad mortem venire et vitam meam pretium dare redemptionis, et pro quibus? pro inimicis; ne igitur timeas quasi tuus tibi periret honor; quantumcumque te humiliaveris, non poteris tantum descendere quantum Dominus tuus. Quando enim quis, ut *Theoph.* ait, non solum ministraverit, sed et mortuus fuerit pro eo cui ministrat, quid illo maius et admirabilius? « Frustra sunt qui verbis *pro multis* abutuntur ut vincere conentur non pro omnibus ho-

minibus Christum mortuum esse. Mitto quod id necessario consequatur e quamplurimis locis novi testamenti (Ioan. 1,9. 16; 17,2. Act. 17,30. Rom. 5,18; 11,32. 1 Tim. 2,4; 4,10. Tit. 2,11. Hebr. 12,8. 2 Petr. 3,9), mitto quod Paulus id apertissimis verbis affirmaverit (Rom. 8,32. 2 Cor. 5,14. 15. 1 Tim. 2,6); illud satis sit animadvertere nomina *multos* et *omnes* contraria non esse neque inter se pugnare neque alterum altero excludi, quasi vero cum *multos* dicimus hoc ipso negemus esse *omnes*. Dic ita : multi conflagrante Pentapoli perierunt; num sequitur, ut non omnes illius regionis incolae?... itaque Christus mortem oppetiturus pro omnibus hominibus qui numero multi utique sunt, omnino ad veritatem locutus est cum praedixit daturum se animam suam redemptionem pro multis » (*Patr.*). Atque *Euth.* simpliciter dicit πολλοὺς δὲ νῦν τοὺς πάντας λέγει et saepe Scripturam dicere πολλοὺς τοὺς πάντας. Alii dicere malunt nominari multos quia efficaciae mortis Christi et fructus non omnes futuri sunt participes (cf. *Alb. Cai. Ians. Mald. Lap.* etc.). Ceterum quo quis magis se animo et ministerio demiserit eum magis quoque honore et gloria iri exaltatum, in ipso quoque Christo, auctore fidei et consummatore, cernitur, qui scil. se ipsum exinanivit et humiliavit factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; *propter quod* et Deus exaltavit illum et donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur etc. Phil. 2,7-11.

2. *Iesus in Ierusalem ante passionem* 10,46-12,44.

Iesus a Peraea tendit in urbem. Quod a caeco prope Iericho salutatur filius David turbis undique eum stipantibus, est quasi prooemium quoddam et quaedam praeparatio eiusdem acclamationis qua in sollemni in urbem ingressu a turbis excipitur. Uti alias quoque, ita cumprimis in hac parte adverti potest Marci evangelium non destinari iisdem quibus suum Matthaeus scripsit, vel potius Petrum Romae aliter praedicasse, aliter Matthaeum in Iudaea. Matthaeus enim ex hac ultima Iesu in urbe commoratione multa affert quae ratione prorsus singulari Iudaeos tangunt, vitia principum perstringunt, sortem populi infidelis adumbrant (cf. Matth. 21,28-32; 22,1-14; 23,1-39). Marcus pauca refert, ea scil. quae necessaria sunt ut ostendatur cur principes odio letali Dominum persecuti sint et merito a Deo reprobati; ita v. g. quae Matthaeus per totum fere caput 23 prosequitur, brevissime apud Marcum 12,38-40 proponuntur.

a) Caecus prope Iericho 10,46-52.

10,46. Et veniunt Iericho; et proficiscente eo de Iericho, et discipulis eius, et plurima multitudine, filius Timaei Bartimaeus, caecus, sedebat iuxta viam mendicans.

47. Qui quum audisset quia Iesus Nazarenus est, coepit clamare et dicere: Iesu, fili David, miserere mei.

48. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. 49. Et stans Iesus praecepit illum vocari. Et vocant caecum, dicentes ei: Animaequior esto: surge, vocat te.

50. Qui proiecto vestimento suo exsiliens, venit ad eum. 51. Et respondens Iesus, dixit illi: Quid tibi vis faciam? Caecus autem dixit ei: Rabboni, ut videam. 52. Iesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.

10,46. Καὶ ἔρχονται εἰς Ἰερειχώ. καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ ἀπὸ Ἰερειχὼ καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ καὶ ὄχλου ἱκανοῦ ὁ υἱὸς Τιμαίου Βαρτίμαιος τυφλὸς προσαίτης ἐκάθητο παρὰ τὴν ὁδόν. 47. καὶ ἀκούσας ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ Ναζαρηνός, ἤρξατο κράζειν καὶ λέγειν· Υἱὲ Δαυεὶδ Ἰησοῦ, ἐλέησόν με. 48. καὶ ἐπετίμων αὐτῷ πολλοὶ ἵνα σιωπήσῃ. ὁ δὲ πολλῷ μᾶλλον ἔκραζεν· Υἱὲ Δαυεὶδ, ἐλέησόν με. 49. καὶ στὰς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν· φωνήσατε αὐτόν. καὶ φωνοῦσιν τὸν τυφλὸν, λέγοντες αὐτῷ, Θάρσει· ἔγειρε, φωνεῖ σε. 50. ὁ δὲ ἀποβαλὼν τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ ἀναπηδήσας ἦλθεν πρὸς τὸν Ἰησοῦν· 51. καὶ ἀποκριθεὶς αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Τί σοι θέλεις ποιήσω; ὁ δὲ τυφλὸς εἶπεν αὐτῷ, Ῥαββουνεί, ἵνα ἀναβλέψω. 52. καὶ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Ὕπαγε· ἡ πίστις σου σέσωκέν σε. καὶ εὐθὺς ἀνέβλεψεν, καὶ ἠκολούθει αὐτῷ ἐν τῇ ὁδῷ.

In v. 46 ιερειχω cum ℵ B C L Ti W H; al ιεριχω; τυφλος προσαιτης ℵ B L Δ cop Ti W H; o τυφλος et προσαιτων post οδον A C X Γ Π unc 9 al pler it vulg syr (utr) go aeth. In v. 47. ναζαρηνος B L Δ it vulg Or; al pler ναζωραιος. In v. 49 φωνησατε αυτον ℵ B C L Δ 7. 299. k cop syr (p) Ti W H; al αυτον φωνηθηναι; prius ad modum narrandi quo Marcus utitur magis accommodatum est. In v. 51 D κυριε ραββει, unde a b d ff² i domine rabbi. In v. 52 pler o δε ιησους; και ο ις ℵ^{ca} B L Δ al pauc q cop syr (sch) aeth W H.

Iesus ex Peraea (10,1) in urbem iter faciens (10,32) transito Iordane Iericho ingreditur; v. 46 *et veniunt Iericho;* urbs ea et regio tempore Christi florentissima erat, ita ut, qui divinum dixerit, inquit *Iosephus* (bell. iud. 4,8. 3), illum terrae tractum, non aberraverit, utpote quae alibi sunt pretiosissima et rarissima copiose istic nascantur; fert enim regio opobalsamum, cyprum item et myrobalanum, palmarum item varia sapore et appellatione genera; sed neque aliorum fructuum respectu tellus ulla per orbem universum ei fuerit facile comparanda; adeo quod satum est multiplicatum reddit. Causa autem huius mihi videtur esse aeris calor et aquarum fecunditas. Et crebro quidem *Iosephus* praeterea eius regionis urbisque laudes celebrat, eam vocans pinguissimam Iudaeae regionem palmas plurimas et balsamum nutrientem (bell. iud. 1,6. 6; Antiq. 14,4. 1; 15,4. 2). In ipsa urbe Herodes castella exstruxerat (bell. iud. 1,21. 4; Antiq. 16,5. 2); celebratur eius amphitheatrum, arx regia (βασίλειον; Antiq. 17,8. 2;

17,10. 6). Distat autem Ierosolymis eodem Iosepho teste 150 stadiis, a Iordane vero 60 (bell. iud. 4,8. 3), vel, uti *Patr.* habet, ab urbe 18 millia passuum, a flumine fere 8. Hodiedum vero vicus est misellus. Putant aliqui urbem vocatam esse suaveolentem (ita exponunt יריחו vel יריחו) propter palmas arboresque odoriferas; *Iosephus* sane vocat eam εὐδαιμονεστάτην et tantam ibi esse affirmat aeris temperiem, ut cum in aliis Iudaeae partibus ningat, ibi linea veste utantur indigenae. Quid Iesus in urbe egerit, narrat Lucas 19,1-27.

Cum festum paschale esset proximum, turbae multae iter in urbem aggrediebantur et Iesum eiusque discipulos comitabantur, *et proficiscente eo de Iericho et discipulis eius plurima multitudine filius Timaei, Bartimaeus caecus sedebat iuxta viam mendicans;* nomen mendici Marcus refert quia, uti plerique opinantur, inter Christianos valde notus erat (cf. *Bed. Euth. Vict. Ians. Schegg;* addit *Cai.* quia altero mendico fortius clamabat). Sed dubitare licet num fideles Romae degentes eum noverint; sufficiet nomen ex Petri narratione derivare qui quo magis rei veritas pateret eum qui sanatus erat nomine designare solebat. Bartimaeus (filius Timaei; cf. Bartholomaeus, Bariesu, Barnabas) nomen patronymicum hic ut nomen proprium ponitur; additur nominis proprii explicatio, uti similiter 3,17 et Act. 4,36. Cum in targum ad Esth. 3,8 nomen reperiatur טִימַי vel טימאי (cf. *Lightfoot, Schanz*), non opus est ad graecum nomen (ex Platone notum) recurrere et de compositione tamquam hybrida mirari[1]; multo minus licet cum *Volkmar* (p. 503) quia nomen derivari posset a טמא (immundus fuit) asserere totam narrationem non rem vere gestam exhibere, sed solum symbolice efferre filium immundi i. e. gentilem quoque gratia Christi lumine fidei illustrari; v. 47 *qui cum audisset quia Iesus Nazarenus est coepit clamare et dicere : Iesu, fili David, miserere mei;* salutatione filii David eum profitetur Messiam; qua appellatione et imploratione auxilii etiam ostendit se iam multa de Iesu miraculis et benignitate audivisse indeque fidem concepisse.

Quo magis eius fides nota fieret, Iesus non continuo clamori eius animum intendere videbatur; v. 48 *et comminabantur ei multi,* ἐπετίμων, increpabant eum, *ut taceret;* id eos fecisse reverentia ductos in Iesum et rem indignam reputantes ut homines abiecti obstrependo ei essent molesti, multi existimant (cf. *Vict. Theoph. Euth. Alb. Dion. Mald.;* sim. *Cai.*); alii, ne iter retardaretur (*Schanz*); *at ille,* desiderio

1. In libro interpretationis hebraicorum nominum scribit *S. Hier.* : Barsemia filius caecus, quod et ipsum corrupte quidam Bartimaeum legunt (cf. *de Lagarde*, Onom. s. 66,11). Etiam *Lightfoot* censet « ex usu ת pro ס apud Chaldaeos » nomen explicare posse ex סוביא; cf. סמי caecus *Buxtorf*, Lex. chald. p. 1494.

et spe beneficii magnopere actus tanto valentius insistit, *multo magis clamabat: fili David miserere mei!* exemplum praebens perseverandum esse in oratione et si moram facere videatur Dominus, eo ardentius preces esse fundendas. Neque frustra id fieri discimus; v. 49 *et stans Iesus praecepit illum vocari;* ad vividam narrationem plane consentaneum est quod meliores codices praebent : et stans dixit Iesus : vocate eum. Et en, simul ac Iesum ei favere vident qui modo caecum increpabant iam blande ei loquuntur, *et vocant caecum dicentes : animaequior esto,* θάρσει, esto bono animo, confide, *surge, vocat te;* asyndetis oratio redditur vivida et nativa simplicitate conspicua. Quanto vero gaudio pauper ille exsultaverit, ad verum exprimitur v. 50 *qui proiecto vestimento suo,* pallio, extimo amictu, ut citius ac expeditius accurreret et prae gaudio *exsiliens venit ad eum;* « quo facto docemur quid faciendum nobis, quoties a Christo nos vocari sentimus; nimirum non haesitandum nec differendum de die in diem, sed reiectis omnibus quae nostrum ad ipsum cursum impedire aut remorari possent properandum ad illum » (*Ians.*).

Benigne eum excipit Iesus v. 51 *et respondens Iesus dixit illi,* respondens scil. clamoribus : miserere mei, *quid tibi vis faciam?* amice eum alloquitur, ut qua fide miraculum a se speret omnibus prodat; *caecus autem dixit ei : rabboni* (ὃ λέγεται διδάσκαλε, quod dicitur magister, Ioan. 20,16), quam formam רבוני maiorem reverentiam exprimere dicunt quam רבי (cf. *Weiss*), *ut videam;* Iesus « peti vult id quod et nos petere et se concedere praenoscit; ad hoc requirit ut cor ad orationem excitet » (*S. Gregorius,* hom. in evang. 1,2. 7; *M.* 76,1084); v. 52 *Iesus autem ait illi : vade, fides tua te salvum fecit;* en qualem fidei vim praedicet; *et confestim vidit et sequebatur eum in via;* gratum animum demonstrat (*Vict.*). Atque ut vivum Iesu benignitatis et potentiae testimonium simul cum turbis Iesum comitatur; neque improbabile est eius praesentiam et narrationem auxisse turbarum in Iesum studium, ita ut mox sollemni pompa filium David quem caecus salutaverat in urbem introducerent. In populo enim magnam excitatam esse admirationem, narrat Lucas : et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo (18,43).

Cum Matth. 20,33 et Luc. 18,41 legatur κύριε, rabboni referri posse quis facile crediderit ad רִבּוֹנָא, רִבּוֹן dominus, herus; cf. *Buxtorf* p. 2178. Sed cum Ioan. 20,16 vertatur διδάσκαλε, melius videtur dictionem explicare a רַבָּן qui erat titulus honorificentissimus doctorum. Nam, uti *Buxtorf* dicit p. 2176 : titulus רבי rabbi excellentior est quam רב rab, et his duobus praestantior est רַבָּן; alteram vocalem in sonum transiisse obscuriorem non est quod mireris.

Disceptant etiam utrum י sit paragogicum an suffixum pronominis. Illud affirmant

Meyer, Weiss, Bisp., hoc *Patr. Schegg, Schanz, Keil* idque probabilius videtur, cum facile intelligatur in salutatione dici domine mi etc. et ipso usu hanc loquendi consuetudinem retineri, etsi illud *mi* iam non explicite in sua significatione nativa a loquentibus percipiatur; cf. et אדוני אדון.

In apocrypho, cui titulus est evangelium Nicodemi sive gesta Pilati, inter eos qui coram Pilato testes exsistunt pro Iesu etiam iste recensetur caecus; « et alius quidam Iudaeus exsiliens dixit : caecus natus sum, vocem audiebam et neminem videbam. Et transeunte Iesu clamavi voce magna : miserere mei fili David. Et misertus est mei et posuit manus suas super oculos meos et vidi statim » (pars 1 cap. 6; *Tischendorf*, Evangelia apocrypha, Lipsiae 1853 p. 226. 331; de evangelio Nicodemi vide *Cornely*. Introd. I p. 222).

Monet *S. Gregorius* (hom. in evang. 1,2. 1; *M.* 76,1082) : « miracula Domini et Salvatoris nostri sic accipienda sunt, ut et in veritate credantur facta et tamen per significationem nobis aliquid innuant; opera quippe eius et per potentiam aliud ostendunt et per mysterium aliud loquuntur ». Atque merito considerari potest caecus ille tamquam typus quidam cuiusvis hominis cognitione veri destituti; cui imprimis opus est ut caecitatem cordis sui et inopiam agnoscat et sanationem exoptet. Porro ei nuntiare oportet Iesum transire; qui nuntius ei affertur vel praedicatione vel internis inspirationibus. Ea autem opportunitate uti debet et Iesu opem ac misericordiam constanter implorare neque ulla re vel difficultate vel timore hominum ab ea orationis constantia deficere. Nam, ut *S. Greg.* dicit : « quanto graviore tumultu cogitationum carnalium premimur, tanto orationi insistere ardentius debemus » et quod ille de uno genere obstrepentium monet, id in universum valere manifestum est. Multa quippe sunt quibus pium desiderium impediri aut exstingui possit. Verum si quis perseverantia magna opem Domini efflagitat, Iesus stat ut lumen restituat. Blande ad se vocat petentem; quaerit : quid tibi vis faciam, quia etsi sciat Pater coelestis quo indigeamus et quid exoptemus, tamen nostras necessitates sibi exponi a nobis vult, ut scil. ipsa oratione animus fiat aptior ad accipiendum quod petit. Caecus vero non aurum efflagitat nec vitae commoda, sed lucem; « non falsas divitias, non terrena dona, non fugitivos honores a Domino sed lucem quaeramus, lucem quam videre cum solis angelis possimus, quam nec initium inchoat nec finis angustat; ad quam profecto lucem via fides est » (*S. Greg.*). Ubi vero homo impetravit gratiam Dei et illustrationem, opus est Iesum sequi. Videt et sequitur qui bonum quod intelligit operatur: « aspiciamus qua graditur et eius vestigia imitando teneamus » (*S. Greg.*; cf. *Ians.* cap. 105 et 108).

b) Sollemnis in urbem ingressus 11,1-11.

11,1. Et quum appropinquarent Ierosolymae et Bethaniae ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis.

2. Et ait illis : Ite in castellum quod

11,1. Καὶ ὅτε ἐγγίζουσιν εἰς Ἱεροσόλυμα, εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν πρὸς τὸ ὄρος τὸ ἐλαιῶν, ἀποστέλλει δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτοῖς, Ὑπάγετε εἰς τὴν κώμην

contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit : solvite illum, et adducite. 3. Et si quis vobis dixerit : Quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est; et continuo illum dimittet huc.

4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in bivio; et solvunt eum.

5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis : Quid facitis solventes pullum? 6. Qui dixerunt eis sicut praeceperat illis Iesus, et dimiserunt eis.

7. Et duxerunt pullum ad Iesum; et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum. 8. Multi autem vestimenta sua straverunt in via; alii autem frondes caedebant de arboribus, et sternebant in via. 9. Et qui praeibant, et qui sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna :

10. Benedictus, qui venit in nomine Domini : benedictum quod venit regnum patris nostri David : hosanna in excelsis. 11. Et introivit Ierosolymam in templum; et circumspectis omnibus, quum iam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim.

τὴν κατέναντι ὑμῶν· καὶ εὐθὺς εἰσπορευόμενοι εἰς αὐτὴν εὑρήσετε πῶλον δεδεμένον ἐφ' ὃν οὐδεὶς οὔπω ἀνθρώπων ἐκάθισεν· λύσατε αὐτὸν καὶ φέρετε. 3. καὶ ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, Τί ποιεῖτε τοῦτο; εἴπατε, Ὁ Κύριος αὐτοῦ χρείαν ἔχει· καὶ εὐθὺς αὐτὸν ἀποστέλλει πάλιν ὧδε. 4. καὶ ἀπῆλθον καὶ εὗρον πῶλον δεδεμένον πρὸς θύραν ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου, καὶ λύουσιν αὐτόν. 5. καί τινες τῶν ἐκεῖ ἑστηκότων ἔλεγον αὐτοῖς, Τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον; 6. οἱ δὲ εἶπον αὐτοῖς καθὼς εἶπεν ὁ Ἰησοῦς· καὶ ἀφῆκαν αὐτούς. 7. καὶ φέρουσιν τὸν πῶλον πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐπιβάλλουσιν αὐτῷ τὰ ἱμάτια αὐτῶν, καὶ ἐκάθισεν ἐπ' αὐτόν. 8. καὶ πολλοὶ τὰ ἱμάτια αὐτῶν ἔστρωσαν εἰς τὴν ὁδόν· ἄλλοι δὲ στιβάδας κόψαντες ἐκ τῶν ἀγρῶν [ἐστρώννυον εἰς τὴν ὁδόν]. 9. καὶ οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες ἔκραζον, Ὡσαννά· εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου. 10. εὐλογημένη ἡ ἐρχομένη βασιλεία τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαυεὶδ· ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. 11. Καὶ εἰσῆλθεν εἰς Ἱεροσόλυμα εἰς τὸ ἱερόν· καὶ περιβλεψάμενος πάντα, ὀψίας ἤδη οὔσης [τῆς ὥρας] ἐξῆλθεν εἰς Βηθανίαν μετὰ τῶν δώδεκα.

In v. 1 εις Βηθφαγη και Βηθανιαν ℵ A B C L X Γ Δ Π unc 9 al omn fere f g^2 q l syr (utr) cop go arm aeth big ox (wil solum Bethphage) W H; solum Ιεροσ και εις Βηθανιαν D a b c ff^2 i k vulg Or Ti; B το ελαιων; rell των ελαιων; k ad montem eleon; oliveti lich ken. In v. 2 λυσατε και φερ ℵ B C L Δ it vulg sah cop arm aeth syr (utr) Or Ti W H; λυσαντες αυτον αγαγετε A D X Γ Π unc 9 al pler go. In v. 3 αποστελλει longe pler codd b c g^1 l syr (utr) go ken; αποστελει G U Π 1. al mu a d ff^2 g^2 q vulg sah cop arm aeth Or; παλιν habent ℵ B C* D L Δ al plus 10 Or Ti W H; *remittet* a c q. In v. 6 pro altero ειπεν praebent ενετειλατο A X Γ Π unc 8 al pler syr (utr) go; *praeceperat* a d f l vulg. In v. 8 κοψαντες εκ των αγρων ℵ B L Δ sah Or Ti W H; rell εκοπτον εκ των δενδρων και εστρ etc. In v. 10 βασιλεια εν ονοματι κυριου A N X Γ Π unc 7 al pler q go aeth Hier cat oxon Euth; sed rell id additum non habent; k benedictus qui venit in regnum patris nostri David. In v. 11 addunt in marg 40 et 72 αναξιων οντων των ιουδαιων, εν αλλοις αντιγραφοις; lich ken cum duodecim discipulis suis.

Notat *Theoph.* : « saepe etiam alias venit in Ierusalem, sed nunquam cum tanta maiestate quanta nunc; prius quidem delitescebat propter invidiam illorum, nunc autem quia passionis tempus aderat quod ipse sibi praefinierat clarior venit, ut si velint gloriam eius intelligant et ex prophetiis quae in ipso impletae erant agnoscant eum esse Deum verum; sin nolint, in maiorem condemnationem eorum sit,

quod etiam tam claris miraculis non crediderint » (sim *Vict.*). Christum sabbato Bethaniae commoratum esse et inde die sequenti profectum sollemnem suum in urbem ingressum habuisse die decimo mensis nisan quo die agni paschales seligi solebant, vide ad Matth. 21,1 (Comment. II p. 198 seq.). De illa in Bethania commoratione solus narrat S. Ioannes 12,1 seq.; synoptici solum itineris a Iericho in urbem mentionem faciunt 11,1 *et cum appropinquarent Ierosolymae et Bethaniae ad montem olivarum* εἰς Ἱερ. καὶ εἰς Βηθ. πρὸς τὸ ὄρος quem textum ita explica : cum appropinquarent Ierusalem versus et quidem ad Bethaniam qui vicus est ad montem olivarum; itineris terminum primo loco positum cernis, altero qui medius est. Idemque clarius habetur in eo textu quem codices graeci plerique praebent : εἰς Ἱερ., εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθ.; qui loquendi modus illustratur et declaratur Luc. 19,28 : praecedebat ascendens Ierosolymam, et factum est cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam.

Verum difficultas in eo est quod Bethphage priore loco ponitur. Si enim talmudicis fides est adhibenda, viculus iste prope urbem situs erat, ita ut reputaretur sicut ipsa urbs quoad omnia et intra ipsos urbis muros esse diceretur; nominabatur quoque locus extimus in urbe (vice *Lightfoot*, centuria chorogr. Matthaeo praemissa cap. 37, *Wünsche* p. 240; *Ed.* II p. 364). Sententia satis pervulgata est vicum situm fuisse media via inter Bethaniam et verticem montis olivarum, vel eo loco quo euntibus in urbem a Bethania per iugum inter montem olivarum et montem scandali primus urbis aspectus offertur (cf. *Riehm*, Handwoerterbuch des bibl. Alterthums I p. 183), Bethania autem quindecim stadia ab urbe distabat.

Ad quam difficultatem removendam varia proposita sunt. Duo proponit *Patr.* Bethaniam hoc loco nominatam esse aliam ab eo vico in quo Christus pernoctaverat; esse incertum an idem utriusque Bethaniae sit nomen, cum hebraica huius forma incomperta sit. Dein aliam « fortasse probabiliorem » narrationes componendi rationem affert explicans ad Bethphage et Bethaniam i. e. ad Bethphage Bethaniae i. e. in Bethaniae agro positam. Rem parumper alio modo expedire conatus est *Lightfoot* l. c., nomina haec non designare ipsos vicos, sed regionem; ita Bethphage vocatam esse infimam partem montis olivarum quae proxime ad urbem procurrat. Unde Christum profectum a Bethania pervenisse « ad Bethphage et Bethaniam » i. e. « ad locum illum ubi se mutuo contingebant tractus isti montis his nominibus insigniti ». Verum id parum probabile videtur et modus loquendi esset satis mirus et insolitus.

Alii censent εἰς Βηθφ καὶ Βηθ significare Iesum fuisse in via inter utrumque vicum vel Iesum venisse prope Bethphage et Bethaniam (cf. *Schanz*, *Fil. Weiss*, *Keil*). Alii relicta traditione talmudicorum ex Luc. 19,29 concludunt Bethphage esse situm a Bethania orientem versus (cf. *Winer* s. v. *Kaulen* s. v. in Kirchenlexicon). Hac sententia utique facillime explicatur Marc. 11,1 et Luc. 19,29; attamen restat difficultas pro Matth. 21,1. Tum enim censendum esset Iesum qui a Bethania voluit in urbem tendere i. e. occidentem versus, prius a Bethania ivisse orientem versus in Bethphage et tum demum itinere reflexo versus urbem; proin eum tendentem in urbem prius ab urbe recessisse; immo a Bethania egressum (Ioan. 12,1 seq.) perrexisse in Bethphage et a Bethphage iterum in Bethaniam, uti statuere oportet propter Marc. 11,1

et Luc. 19,29. — Ceterum de etymologica nominum ratione recole quae dixi in Comment. Matth. II p. 200.

Cum itaque Christus venisset Bethphage (Matth. 21,1), *mittit duos ex discipulis suis,* quos miserit frustra aliqui quaerunt; missos esse Petrum et Ioannem aliqui ex Luc. 22,8 coniectant; sed ex eo quod illi ad coenam paschalem parandam missi sunt, non sequitur etiam missos esse ad pullum adducendum; v. 2 *et ait illis : ite in castellum quod contra vos est,* alii Bethphage intelligunt, alii Bethaniam (*Weiss*); sed cum Christus teste Ioanne a Bethania iter in urbem aggressus sit, Bethania nullo pacto intelligi potest. Etiam dubitari potest possitne Bethphage ad quem vicum iam venerint nunc dici κώμη ἡ κατέναντι ὑμῶν; *et statim introeuntes illuc invenietis pullum ligatum,* πῶλος apud LXX Gen. 32,16 et 49,11 et Iud. 10,4 et 12,14 dicitur de pullo asinae. Cum apud profanos scriptores πῶλος etiam de pullo equino dicatur putarunt aliqui Marcum eam vocem consulto selegisse omissa mentione asinae (Matth. 21,2) « ne Romanorum aures offenderentur » (*Wetstein;* sim. *Schanz*); id quod admitti potest[1], dummodo non dicatur apud Marcum Iesum pullo equino vectum ingressum esse in urbem; nam praeter Gen. et Iud. etiam in ipsa de eo ingressu prophetia Zach. 9,9 apud LXX legitur πῶλος; quare Marcus et Lucas merito ea voce uti poterant; *super quem nemo adhuc hominum sedit;* nam ad usus sacros adhiberi solebant iumenta quae nondum iugum portaverant; cf. Num. 19,2. Deut. 21,3. 1 Reg. 6,7; etiam Graecis et Romanis animalia quae nondum usibus humanis mancipata erant, sacra habebantur (locos lege v. g. apud *Wetstein*). Et profecto si ad quaedam sacrificia eiusmodi victimae lege requirebantur quae nulli usui profano inservierant, regis Messiae dignitatem quoque decebat ut iumentum sibi eligeret tale qualè ipsa lege et existimatione hominum quam maxime aptum esse videbatur ut rei sacrae inserviret; *solvite illum et adducite;* rex enim pacis qui ipse est mitis et humilis, etiam in hora triumphi sui indolem regni sui a fastu et tyrannide regnorum terrestrium alienissimam prae se ferre vult; vide Zach. 9,9 (Comment. in Proph. min. II p. 319 seq.).

Et simul praeoccupat et solvit difficultatem quae animos discipulorum

1. Observant Iudaei in Num. 16,15 mutatam esse lectionem apud LXX (scil. pro חמור legerunt חמוד vertentes non ὄνον, sed ἐπιθύμημα) ne gentes ex hac phrasi causam cavillandi arriperent. Et *Iosephus* quidem eadem ratione ductus videtur, cum nullam faciat mentionem asinorum quibus vecti sunt Moysis filii Ex. 4,20, Mephiboseth 2 Sam. 19,26, Abigail, Simei 1 Sam. 25,18; 3 Reg. 2,40, Sunamitis 4 Reg. 4,22; asinum quo vectus est Achitophel et asinum cui Levita imposuit uxorem mortuam vocat κτῆνος; asinos vero quibus vecti sunt iudices convertit in equos Iud. 10,4 et 12,14; Antiq. 5,7. 6 et 15; cf. Antiq. 18,9. 6 (*Wetstein* ad h. l.).

fortasse iam tetigerat dum eos iuberet solvere et adducere pullum v. 3 *et si quis vobis dixerit : quid facitis? dicite, quia Domino necessarius est; et continuo illum dimittet huc;* ultimam sententiam aliqui ita accipiunt ut ab ipsis discipulis sit dicenda ei qui eos interrogat : quid facitis; scil. Dominum statim iterum pullum esse restituturum simul atque eo usus fuerit (ita iam *Euth.* ad Matth. 21,1, *Volkmar, Keil, Weiss*). At merito plerique ea verba a Iesu addi explicant ut significet hominem illum sine ulla mora esse permissurum ut pullum solvant et abducant. Nam quod illi volunt Dominum promittere se statim pullum iterum missurum esse ad herum, quasi hac sponsione hero facilius persuaderetur ut pullum abduci sineret, satis est ieiunum ac putidum. Urgent illi dici tempore praesenti ἀποστέλλει et addi πάλιν; sed tempus praesens nequit obiici, quia in utraque explicatione necessario ita accipi debet, ut res futura modo loquendi vivido repraesentetur; immo in explicatione adversariorum tempus illud magis remotum est quam in nostra; ergo tempus praesens nequit obstare. Neque obstat πάλιν in textu graeco. Dicitur enim ratione habita prioris eius oppositionis qua eos propulsare et impedire volebat; cf. Matth. 4,7. 2 Cor. 10,7 et similiter Luc. 6,43, et adhibetur notione vicissim, e contrario. Dominus hoc loco modo eximio suam demonstrat cognitionem rerum absentium et futurarum. Bene notant *Vict. Theoph.* : vide quot sint hic miracula quae eis hoc loco dixerit, eos viculum ingressos statim inventuros esse pullum eumque alligatum; eos iri interpellatum at Domini mentione facta sine ulla mora fore ut pullum possint abducere.

Uti Dominus praedixit singula eveniunt v. 4 *et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in bivio* ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου in compito, in via illa quae domum ambit; nota quam distincte singula a Marco describantur, quae cum ad testem rei et spectatorem fere referenda esse videantur, inde haud improbabiliter concluseris Petrum unum fuisse ex duobus illis quos Christus misit; quae conclusio saltem magis suaderi potest quam illa quae quandoque ex Luc. 22,8 deducitur; *et solvunt eum;* non rogant herum, non inquirunt ab iis qui circumstant cuius sit; verum accurate agunt, ut Iesus eos v. 2 agere iusserat. Qui eos vident haud cunctanter solventes pullum, non sine admiratione de modo agendi insolito eos interpellant v. 5 *quid facitis solventes pullum?* v. 6 *qui dixerunt eis sicut praeceperat illis Iesus, et dimiserunt eis,* ἀφῆκαν αὐτούς eos, sinebant eos solvere et abducere pullum. Cum singula evenirent prout Dominus praedixerat, discipuli sane magna cum Domini reverentia et admiratione reversi sunt; v. 7 *et duxerunt pullum ad Iesum;* « nec moveat quod Matthaeus asinam dicit et pullum, ceteri autem de asina tacent... ; ubi ergo utrumque

factum potest intelligi, nulla repugnantia est, nec si alius aliud et aliud alius commemoret, quanto minus ubi alius unum, alius utrumque » (*S. Aug.* de cons. ev. 2,66. 127)? Ceterum vide quae ad Zach. 9,9 (Comment. in Proph. min. II p. 321 seq.) et ad Matth. 21,7 dicta sunt.

Quo autem Dominus commodius et honorificentius sederet (*Ians.*) super pullum, *imponunt illi vestimenta sua,* pallia scil. vel amictum extimum; *et sedit super eum.* Exemplum discipulorum turbae sequuntur et magno honore ac reverentia Christo pompam parant triumphalem. Cernuntur subito quodam instinctu et afflatu impulsae ad maximam honoris significationem Christo exhibendam; in quo studio adeo repentino et ardenti deprehendes quanta potentia Iesus valeat in animos. Vult enim semel cum festivitate quadam illam ingredi urbem cui potissimum vaticinia messiana data sunt et adversariis suis qui non alium Messiam exoptant nisi gloriosum aliquid suae maiestatis ostendere; et ecce, repentina animorum incitatione plurimae turbae ad sollemnem cultum et venerationem qualis Messiam decet conspirant. Ergo Iesus nutu voluntatis suae animos populi regit ac pro lubitu inflectit; v. 8 *multi autem vestimenta sua straverunt in via,* εἰς τὴν ὁδὸν in viam; imitantur enim et superant apostolorum devotionem (*Ians.*); honore regio viam calcandam praeparant, quod fuit, ut *Cai.* dicit, valde mirabile; nunquam Davidi triumphanti aut Salomoni talis honor exhibitus est, et tanto mirabilius quod ex improviso factum est Deo instigante turbam ad hoc.

Porro in publicis ac sollemnibus gaudiis ramos virides gestare solebant; ita 1 Mach. 13,51 mundata arce a contaminationibus intraverunt in eam cum laude et ramis palmarum et hymnis et canticis; pariter 2 Mach. 10,7 cum laetitia celebrabant purificationem templi thyrsos et ramos virides et palmas praeferentes ei qui prosperavit mundari locum suum. Quare in hac quoque sollemnitate et laetitia alii quidem acceperunt ramos palmarum (Ioan. 12,13), *alii autem frondes caedebant de arboribus et sternebant in via* στιβάδας κόψαντες ἐκ τῶν ἀγρῶν i. e. ramos et frondes ex agris et campis exciderunt; στιβὰς proprie est stragulum e foliis, arundinibus, mollibus virgultis factum; ceterum vide lect. var.; hic vero στιβάδας de ramis et virgultis intellige quibus utique tamquam stragulo usi sunt, et eum in usum ramos exciderant. Uti decet triumphatorem, Iesus in media iubilantium et exsultantium turba progreditur v. 9 *et qui praeibant et qui sequebantur clamabant dicentes : Hosanna,* v. 10 *benedictus qui venit in nomine Domini;* verba deprompta sunt ex Ps. 117,25. 26; acclamatio est exsultantium et adprecatio salutis; hosanna, codices vulg. ferunt osanna, uti quoque

in it. habetur quae pronuntiatio ad formam refertur aramaicam et certe genuina est, quia tempore Christi pro hebr. הושיעה נא apud populum modus aramaicus substituebatur, quod idem cernitur in verbis lamma sabacthani (15,34). Notio est : salvum fac, quaeso! ergo fausta acclamatio, qua exoptant ut ei cui fit acclamatio salus et prosperitas a Deo obtingat. Quod itaque iam olim vates regi Messiae laetabundus acclamavit : prospere procede (Ps. 44,5), eodem modo populus eum salutat et celebrat gaudio perfusus, quia Messias festiva pompa ad sanctam urbem accedit; unde *benedictus qui venit in nomine Domini*, cum saepius dicatur benedicere in nomine Domini (Deut. 21,5. 2 Reg. 6,18) videtur ita quoque hic iungi posse : benedictus (sit) in nomine Domini ὁ ἐρχόμενος i. e. sit benedictus per Deum qui sua manifestatione et praesentia (nomine) se potentem exhibeat (cf. de notione nominis Dei ad Matth. 18,5 et 21,9; Comment. II p. 110. 206); ea scil. significatione qua dicitur Ps. 53,4 in nomine tuo salvum me fac et Ps. 19,2; 43,6; 88,25; 123, 8 : adiutorium nostrum in nomine Domini et Is. 30,27 etc.; proinde Deus pro sua potentia, fidelitate in promissis servandis quibus sese nobis revelavit, ei benefaciat. Sed plerique iungunt *in nomine Domini* cum *qui venit* ὁ ἐρχόμενος, qui venit nomine et auctoritate Dei, a Deo missus, per quem scil. Deus se et auctoritatem suam et voluntatem manifestat.

Et quod apud Matthaeum in *filio David* profitentur, se scil. Messiam salutare, idem declaratur hic verbis : *benedictum quod venit regnum patris nostri David* regnum enim David quod exspectabatur est regnum Messiae filii David; in Messia enim impletur promissio illa throni et regni aeterni Davidi data; quare Messias appellatur germen David, rex David et David simpliciter (cf. 2 Reg. 7,16. Ps. 88,30. Ier. 23,5; 33,15. Ez. 34,23. Os. 3,5) et quantopere haec notio atque exspectatio tempore Christi propagata fuerit, vide in Comment. Matth. I p. 10. 11. Dicunt itaque *benedictum* i. e. Deus benedicat, secundet, prosperet regnum Messiae regis nostri; *hosanna in excelsis* salutem concede in coelo, in sublimi tua habitatione et sede, unde descendat ad eum quem fausta acclamatione salutamus; salutem et prosperitatem coelitus dandam et quasi e coelorum altissimo culmine descendentem, proinde eximiam ac singularem, efflagitant.

Ritus iste festus quocum turbae Christo obviam eunt eumque comitantur depromptus esse videtur a modo quo eo tempore festum agebatur tabernaculorum vel scenopegia. Nam morem esse apud Iudaeos in scenopegia Iosephus narrat, ut singuli manibus gestarent fasciculum ex myrto et salice cum spadice palmae compositum addito Perseae pomo, vel, ut alio loco dicit, ut ramos ferrent palmarum et citriorum (θύρσους ἐκ φοινίκων καὶ κιτρίων,

cf. Antiq. 3,10. 4 et 13,13. 5). Hisce consona sunt quae in tractatu mischnico de tabernaculis praescribuntur. Insuper ibi additur si canitur hosanna fasciculos illos esse agitandos et vibrandos, et singulis diebus illius festi tabernaculorum eos circumdare sollemni pompa altare et canere hosanna (cf. *Surenhusius* II p. 270. 274; *Ugolini* Thes. 18,440. 460; 28,1219; 30,1257). Quare apud rabbinos ipsum festum tabernaculorum appellatur hosanna, et hosanna rabba, hosanna magnum vocatur septimus eius festi dies et preces per illos dies fundendae nomine hosannoth designantur eodemque etiam fasciculi illi, quia in eorum circumgestatione et commotione acclamabant hosanna (cf. *Buxtorf*, Lexicon chald. p. 992).

Ipsa natura comparatum est, ut coronis, floribus, laetis acclamationibus homines animorum exsultationem prodant et exprimant. Accedit autem quod aptissime ad gaudium de ingressu Messiae demonstrandum assumunt ritus ex festo tabernaculorum. Eo enim festo iubentur laetari, quia Dominus iis benedixerit (Deut. 16,14 seq. Lev. 23,41), iubentur memores esse omnium beneficiorum quae in egressu ex Aegypto et in commoratione ac peregrinatione per desertum a Domino acceperant. Cum itaque in adventu Messiae maxima Dei benedictio et summum contineatur beneficium, ad quod reliqua omnia in vetere foedere spectabant et suo modo populum praeparabant, maxime conveniens erat et certe non sine Dei nutu factum est, ut Messiam ea laetitiae significatione salutarent qua festum tabernaculorum eo tempore celebrare solebant. Atque merito turbae acceperunt ramos palmarum (Ioan. 12,13); palma est enim symbolum victoriae et triumphi; turba illa magna quam vidit Ioannes et quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, erant stantes ante thronum et palmae in manibus eorum; hi venerunt de tribulatione magna (Apoc. 7,9. 14). Christus autem in eo est ut certamen ineat et principem huius mundi eiiciat et triumphum agat de peccato et morte. Unde merito tamquam victor ac triumphator modo sollemni deducitur. — Insuper uti eo die agnus paschalis eligebatur et ornabatur, ita Christus, verus ille Agnus Dei qui tollit peccatum mundi, non sine pompa et ornatu urbem illam ingreditur, in qua pro mundi salute immolandus erat, ut suo sanguine nos a servitute redimeret.

Quale futurum sit regnum David, Iesus ostendit dum in templum quasi in arcem suam regiam ascendit v. 11 *et introivit Ierusalem in templum;* cf. Mal. 3,1; templum erat symbolum et pignus praesentiae Dei et inhabitationis in populo; haec autem praesentia et inhabitatio ad culmen adducitur in Verbo quod caro factum est et habitavit in nobis (Ioan. 1,14), *et circumspectis omnibus,* « tamquam dominus illius habitaculi circumspicit omnia quae in templo erant et tunc quidem siluit dans tempus correctionis his qui ipsum despiciebant; postmodum vero cum rediisset austerius eos punivit tamquam incorrigibiles » (*Euth.*); similiter *Schanz, Fil.;* opinatur *Schegg* Christum ex ordine

perlustrasse templi spatia, ubi tamquam infans oblatus sit, ut puer duodecim annorum docuerit, ubi a diabolo tentatus sit, ubi saepius docuerit etc. atque singula discipulis in memoriam revocasse magisque explanasse etc. At περιβλεψάμενος non tot in se concludit significationes. Alii, uti *Schenkel,* ex voce colligunt Iesum quia omnia curiose inspiciat tum demum prima vice in templum esse ingressum; quam arbitrarie et frivole hoc statuatur elucet ex Ioan. 2,14; 5,14; 7,14. 28; 8,2 seq. 10,23; 18,20 et Matth. 23,37; *cum iam vespera esset hora exiit in Bethaniam cum duodecim;* inde erat profectus Ioan. 12,12; ibi habitabant amici Iesu, Lazarus eiusque sorores. Cur non in urbe pernoctat? censet *Cai.* quia nullus in civitate eum invitaverit; *Fil.* quia propter inimicos multos, potentes, furore et rabie incensos haud tutum fuerit in urbe commorari. Sed « quotidie eram apud vos in templo docens et non me tenuistis » (14,49). Existimat *Beda* eum ad fideles secessisse in Bethaniam, quia apud contradicentes et resistentes veritati noluerit caput reclinare; « hoc quoque intelligendum est quod tantae Dominus fuerit paupertatis et ita nulli sit adulatus, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam invenerit mansionem, sed in agro parvulo apud Lazarum sororesque eius habitaret ». Et *Ians.* putat ob metum pharisaeorum neminem ausum esse Iesum invitare, *Lamy* Iesum se clam subduxisse, ubi lateret pharisaeos quos ingressus commovisset. Quare etiam aliqui de ingratitudine et mutabilitate populi mirantur qui nunc iam Iesum deserat; ipsum autem redire Bethaniam quasi in typum futurorum, quod scil. relicta ob ingratitudinem synagoga transmigraturus sit ad gentes (*Ians. Lap.*). Cum Iesus semel hospitio exceptus esset in Bethania, illud retinuisse videtur, ut suo exemplo quoque comprobaret quod docuerat apostolos et discipulos : nolite transire de domo in domum; in eadem domo manete etc. (Luc. 10,7. Matth. 10,11).

c) De ficu sterili et profanatione templi 11,12-26.

11,12. Et alia die quum exirent a Bethania, esuriit.

13. Quumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea; et quum venisset ad eam, nihil invenit praeter folia; non enim erat tempus ficorum. 14. Et respondens, dixit ei : Iam non amplius in aeternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli eius. 15. Et veniunt Ierosolymam. Et quum introisset in tem-

11,12. Καὶ τῇ ἐπαύριον ἐξελθόντων αὐτῶν ἀπὸ Βηθανίας, ἐπείνασεν· 13. καὶ ἰδὼν συκῆν ἀπὸ μακρόθεν, ἔχουσαν φύλλα, ἦλθεν εἰ ἄρα τι εὑρήσει ἐν αὐτῇ· καὶ ἐλθὼν ἐπ' αὐτὴν, οὐδὲν εὗρεν εἰ μὴ φύλλα· ὁ γὰρ καιρὸς οὐκ ἦν σύκων. 14. καὶ ἀποκριθεὶς εἶπεν αὐτῇ, Μηκέτι εἰς τὸν αἰῶνα ἐκ σοῦ μηδεὶς καρπὸν φάγοι. καὶ ἤκουον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. 15. Καὶ ἔρχονται εἰς Ἱεροσόλυμα· καὶ εἰσελθὼν εἰς τὸ ἱερὸν ἤρξατο ἐκβάλλειν τοὺς πωλοῦντας καὶ τοὺς

plum, coepit eiicere vendentes et ementes in templo; et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit.

16. Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum;

17. Et docebat, dicens eis : Nonne scriptum est : Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum. 18. Quo audito, principes sacerdotum et scribae quaerebant quomodo eum perderent; timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina eius. 19. Et quum vespera facta esset, egrediebatur de civitate. 20. Et quum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. 21. Et recordatus Petrus, dixit ei : Rabbi ecce ficus, cui maledixisti, aruit. 22. Et respondens Iesus ait illis : Habete fidem Dei. 23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

24. Propterea dico vobis : omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis.

25. Et quum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in coelis est, dimittat vobis peccata vestra. 26. Quod si vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in coelis est, dimittet vobis peccata vestra.

ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ· καὶ τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν, καὶ τὰς καθέδρας τῶν πωλούντων τὰς περιστερὰς κατέστρεψεν. 16. καὶ οὐκ ἤφιεν ἵνα τις διενέγκῃ σκεῦος διὰ τοῦ ἱεροῦ. 17. καὶ ἐδίδασκεν καὶ ἔλεγεν, Οὐ γέγραπται, Ὅτι ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται πᾶσιν τοῖς ἔθνεσιν; ὑμεῖς δὲ πεποιήκατε αὐτὸν σπήλαιον λῃστῶν. 18. Καὶ ἤκουσαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ ἐζήτουν πῶς αὐτὸν ἀπολέσωσιν· ἐφοβοῦντο γὰρ αὐτὸν, πᾶς γὰρ ὁ ὄχλος ἐξεπλήσσετο ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ.

19. Καὶ ὅταν ὀψὲ ἐγένετο, ἐξεπορεύοντο ἔξω τῆς πόλεως. 20. Καὶ παραπορευόμενοι πρωῒ εἶδον τὴν συκῆν ἐξηραμμένην ἐκ ῥιζῶν· 21. καὶ ἀναμνησθεὶς ὁ Πέτρος λέγει αὐτῷ, Ῥαββεὶ, ἴδε, ἡ συκῆ ἣν κατηράσω ἐξήρανται. 22. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς, Ἔχετε πίστιν Θεοῦ. 23. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ, Ἄρθητι, καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ μὴ διακριθῇ ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, ἀλλὰ πιστεύῃ ὅτι ὁ λαλεῖ γίνεται, ἔσται αὐτῷ. 24. διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, Πάντα ὅσα προσεύχεσθε καὶ αἰτεῖσθε, πιστεύετε ὅτι ἐλάβετε, καὶ ἔσται ὑμῖν. 25. Καὶ ὅταν στήκητε προσευχόμενοι, ἀφίετε εἴ τι ἔχετε κατά τινος· ἵνα καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἀφῇ ὑμῖν τὰ παραπτώματα ὑμῶν. [26. εἰ δὲ ὑμεῖς οὐκ ἀφίετε, οὐδὲ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἀφήσει τὰ παραπτώματα ὑμῶν.]

In v. 12 cum *exiret* g^2 cav mt tol wil; cum exisset b c ff^2 q, D Γ εξελθοντα. In v. 13 venit ειδειν εαν τι εστιν D et similiter b c ff^2 g^2 i k gat; dub venit *videre;* fuld *nondum* enim erat, pauc minusc ουπω. In v. 14 et maledixit dicens k. In v. 15 et veniunt *iterum* big mt ox steph sixt; pariter a b f ff^2 i sax; παλιν N et aliq evang; τους αγοραζοντας ℵ A B C K L M N U Π al 20 fere. In v. 17 *non* scriptum est am cav ept* hub* ing med ken lind* harl* l; rell nonne; ff^2 scriptum est enim; ου omittunt D 1. 28. b c k q cop arm; πεποιηκατε B L Δ Or Ti W H; rell εποιησατε. In v. 19 codd pler εξεπορευετο, pariter it vulg cop go aeth; εξεπορευοντο A B K M* Δ Π aliq minusc c d syr (sch) arm. In v. 21 ραββει ℵ B C D E H X Ti W H. In v. 22 habete *in vobis* c ff^2; item ev hier; ℵ D aliq minusc ει εχετε; similiter ev hier a b i arm. In v. 23 αμην γαρ A C L X Γ Δ Π unc 8 al pler q cop go; in fine add ο εαν ειπη A N X Γ Π unc 8 al pler, a contingent illi quaecumque dixerit, q fiet illi quodcumque dixerit etc. similiter syr (utr) ev hier arm go. In v. 24 προσευχεσθε και ℵ B C D L Δ a c ff^2 k syr (sch) Cyp Ti W H; rell προσευχομενοι; ελαβετε cum ℵ B C L Δ cop Ti W H; rell λαμβανετε; D 1. λημψεσθε,

pariter it vulg aeth; pler codd vulg et *reniet* vobis; evenient ing car wil harl. Deest v. 26 in ℵ B L Ξ Δ aliq minusc g^2 k l lind tol Ti W H; sed legitur in longe pler codd et verss; quare retineatur oportet quamvis aliqui censeant ex Matth. 6,15 verba esse transsumpta.

Iam explicatur quid Christus circumspectis omnibus (v. 11) sibi faciendum esse decreverit. Et primo quidem iudicium quod in perversam et infidelem synagogam devolvendum est symbolo declarat. Quemadmodum enim prophetae interdum verbis, interdum factis prophetaverunt, sic Christus quandoque sermonibus quandoque operibus aliquid praesignavit (*Dion.*); v. 12 *et alia die cum exirent a Bethania esuriit;* opinatur *Vict.* haec scribi solum ex quadam coniectura discipulorum; cum enim viderent Christum accedere ad ficum et audirent eius verba, eos conclusisse Christum accedere ut quaereret fructum quia esuriret; scribi enim alias quoque opiniones discipulorum. Similiter videtur *Alb.* negare esuriem Christi, cum solum de esurie explicet qua Christus salutem Iudaeorum desideret. Aliis placuit esuriem non fuisse naturalem, sed voluntate et sponte accersitam (*Mald. Ians. Lap.*) ut per eam haberet occasionem maledicendi ficulneae; vel sese solum ita gessisse ac si esuriret (*Euth. Lamy*); immo *Vict.* censet neminem fore adeo imbecilli ingenii ut putet matutino tempore eum tali stimulatum esse fame, et quaerit quid eum impedire potuisset ne domum relinqueret postquam comedisset? Sed profecto non est, cur a simplice et nativa verborum notione recedamus; « esuriit in veritate, utpote tantae sobrietatis ut etiam mane esuriret » ait *Cai.* et similiter alii ex hac esurie colligunt Christum modica coenula usum esse; v. 13 *cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea* εἰ ἄρα si igitur, an igitur quid inveniret, itaque ex eo quod arbor iam eo anni tempore foliis esset vestita ficus quoque polliceri videbatur. Sed quales? ea in re alia ab aliis statuuntur. Censent aliqui potuisse exspectari ficus praecoces cum arbor loco aprico sita iam fructus maturos[1] gignere potuerit; alii id negant et solum ficus serotinas quae scil. anno praecedente ortae sint et solum hieme transacta ad maturitatem adducantur (cf. *Schegg, Schanz, Fil. Keil, Ed.* II p. 374) in arbore reperiri potuisse affirmant. Quidquid est, omnes consentire debent luxurie foliorum promitti fructum.

Sed *cum venisset ad eam, nihil invenit praeter folia;* cum, uti Plinius dicit (h. n. 16,49), fico serius folium nascatur quam pomum, si non ficus ab ultimo anno, saltem adesse debebant ficus immaturae; quia itaque nihil reperiebatur nisi folia, arbor erat plane sterilis,

1. Ficus praecoces immaturas quoque esse comestas simul ac aliquid rubri coloris assumerent in talmude refertur; cf. *Ed.* II p. 375. Ceterum vide ad Matth. 21,19.

quae tamen in frondem praemature luxurians magnam fertilitatis speciem prae se ferebat. Quod sequitur *non enim erat tempus ficorum*, multi ita explicant ut ratio afferatur, cur non invenerit nisi folia; sed designatione temporis solum significari potest alias arbores nondum maturasse fructus, cum tamen haec foliis vestita speciem fertilitatis prae se ferret; vel cur non adfuerint ficus praecoces eaeque maturae, neque tamen cur nihil invenerit nisi folia. Porro si sententia haec refertur solum ad *nihil invenit*, mirum videtur cur Iesus accesserit ad arborem quaerens fructum, cum tamen non esset tempus ficorum, et magis etiam mirum cur tandem arbori maledixerit, quae si non erat tempus ficorum etiam non potuit habere fructum. Inde occasio capta est explicandi discipulos ex accessu Christi ad arborem conclusisse eius esuriem et desiderium inveniendi fructum. Alii putabant additum esse hoc ab evangelista, ut ipsa temporis ratione admoneremur statim haec facta esse a Christo in mysterio, cum evidens esset eum non ignorasse id quod omnes sciebant et proinde etiam eum non accessisse ut fructum quaereret, sed totam actionem esse mere symbolicam (cf. *Cai. Ians.*). Alii id referunt ad totam sententiam antecedentem, ita quidem ut declaretur cur Christus cernens arborem habentem folia a via declinans ad eam accesserit; cum enim non esset tempus ficorum et arbor illa nihilominus prae aliis iam plurimum frondesceret, supponere quemque iure potuisse reperiri fructus; quare afferri rationem cur Iesus more hominum externe agens ad eam adierit (cf. *Schegg, Schanz, Fil.;* uti iam accepit rem *Lightfoot* ad Matth. 21,19).

Hisce verbis ingenia interpretum plurimum exercebantur. Quare explicationes sat multae prolatae sunt : illo anno paucas fuisse ficus, « neque enim erat tempestas illa ficubus abundans » (Hammond, Clericus, Novum Test. Francof. 1714 p. 150), ideoque nullam prorsus ficum nec maturam nec immaturam repertam esse; vel locum non fuisse aptum; vel interrogatione posita : nonne enim tempus erat ficuum? vel alia lectione adoptata : οὗ γὰρ ἦν, καιρὸς συκῶν, ubi enim fuit, h. e. iuxta Ierusalem et ad montem oliveti, tempus erat ficuum vel tempestivae ac maturae erant ficus (cf. Synopsis critic. IV p. 798); vel nondum erat messis ficorum; alii verba haec delere volebant; alii esse glossam absurdam etc. cf. *Weiss.*

Cum itaque arbor spem quam foliis suis promittebat falleret, Iesus v. 14 *respondens dixit ei : iam non amplius in aeternum ex te fructum quisquam manducet;* qui loquendi modus et ad rem et ad symbolum tum aptus est, si merito exspectari potuit ac debuit ficus repertum iri. Repraesentatur enim ea arbore ipsa synagoga vel populus Israel; arbor iis cernitur instructa quibus spem fructuum excitat atque de populo

Israel quam maxime valet : quid est quod debui ultra facere vineae meae et non feci ei (Is. 5,4)? Arbor nihil habet nisi folia ; populus habet legem, habet caerimonias, habet cultum, habet observantias et mandata hominum (*Ps. Hier.*) quibus sepes legis constituebatur ; ergo ea externe cernuntur quae subsidia sunt et adiumenta virtutum ; at Iesus apud plerosque nullum fructum religionis, pietatis, iustitiae reperit. Uti in parabola de ficu Luc. 13,6-9 populus depingitur et cura Iesu de eius salute qua ille abutitur, ita in re a Christo hoc loco gesta adumbratur idem populus sua culpa sterilis bonis operibus et contumax et adumbratur iusta poena ei debita : auferetur ab eo regnum et dabitur genti facienti fructum. Ex qua significatione etiam colligi debet quid illud *non erat tempus ficorum* designare nequeat. Si enim ratio afferretur cur nihil fructus in ea reperiret, dicendum esset quod habet *S. Paulinus* nolanus in epistola ad Desiderium (ep. 43, alias 35; *M.* 61,384) : « sine causa videtur arbor accepisse maledictum quae culpa sterilitatis carebat, si adhuc per anni tempus alienum fructus non habebat paratos, non infecunda de vitio, sed immatura de tempore ». Neque sufficit cum eodem dicere, ut nihilominus maledictum explicetur : « numquid de arboribus cura est Deo? propter nos utique scriptum est, in quibus escam suam Deus semper vult invenire ». Verum quia propter nos vel proprie propter populum Israel et synagogam actum est, necessarium est ut pro arboris natura in ipsa arbore sit vitium et quodammodo culpa. Ita quippe res gesta fit parabola apta ad populi culpam et sortem exhibendam. Cum *S. Chrysostomus* (hom. in Matth. 67 ; *M.* 58,633), *Vict.* negent Christum esuriisse et ad arborem accessisse ut fructum quaereret, in arbore hac illustrari dicunt potentiam Christi ad poenas si voluerit infligendas, ut scil. discerent apostoli, ipsum potuisse affligere et uno momento perdere adversarios suos si voluisset ; semper enim eousque Christum miracula fecisse ad beneficia praestanda ; nunc autem etiam ultricem suam potentiam voluisse manifestare eiusque exhibere exemplum non quidem in homine, sed in re inanimata, in arbore (cf. *Theoph.*). Quamvis verum sit hanc potestatem ultricem hic ostendi, tamen ea explicatio nequit sufficere, quia et negliguntur ea quae in v. 12 et 13 dicuntur et nexus cum subsequenti narratione omittitur. Additur porro *et audiebant discipuli eius*, ut doctrina discipulis tradenda significetur ; cf. v. 20 seq. In ista Christi esurie facile patet symbolice significari desiderium salutis populi sui, sicut eo quod fructum quaerit, illud in se exprimit quod legitur apud prophetam : praecoquas ficus desideravit anima mea (Mich. 7,1).

Bene notat *Beda :* « quod maledicendo ficum infructuosam per figuram fecit Dominus, hoc idem mox apertius ostendit eiiciendo improbos

e templo » v. 15 *et veniunt Ierosolymam; et cum introisset in templum*, εἰς τὸ ἱερόν, uti ex sequentibus patet, intelligendum est atrium exterius, τὸ πρῶτον ἱερόν, τὸ ἔξωθεν ἱερόν (*Iosephus*), in quod gentilibus quoque introire licebat. Ibi itaque emporium constitui solebat, in quo vendebantur ea quae ad sacrificia offerenda necessaria erant, vinum, sal, oleum, pecora, boves, columbae; et cum unusquisque Israelita singulis annis dimidium siclum pro templo persolvere deberet, etiam aderant qui lucro accepto nummum sacrum pro alterius generis pecunia darent; tributum enim Deo solvendum erat non alia pecunia quam hemisiclo; *coepit eiicere vendentes et ementes in templo*, ἐν τῷ ἱερῷ, in atrio exteriore, *et mensas nummulariorum*, τῶν κολλυβιστῶν; cf. κόλλυβος, collybus, nummus pro permutatione datus; igitur mensas eorum qui pecunias commutabant cum lucro quod lucrum etiam apud talmudistas קולבון appellabatur (cf. *Buxtorf*, Lexicon chald. p. 2032) *et cathedras vendentium columbas evertit;* columbae quippe in variis sacrificiis requirebantur v. g. puerperarum, leprosorum, nasiraeorum; quandoque ob pauperiem pro aliis victimis licebat offerre columbas; cf. Lev. 1,14; 5,7; 12,8; 14,22; 15,14. 29. Num. 6,10; v. 16 *et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum*, ne scil. in viae compendium atrium templi veluti transitus adhiberetur. Id a solo Marco refertur Christum prohibuisse. Etiam *Iosephus* scribit : ne vas quidem aliquod portari licet in templum (c. Ap. 2,7); rabbini quoque praescribunt : ne quis eat in montem domus (atrium gentium) cum baculo suo et calceis suis, crumena sua et pulvere in pedibus; non per illud faciat viam suam transitionis nec faciat locum sputationis etc. (cf. *Lightfoot* ad h. l.). Quae sunt commenta talmudistarum quibus maxima in reverentia templum habitum esse inepte fingunt. Quanta vero profanatione locum sacrum violaverint sacerdotes, luculenter evangelistae tradunt et Iesus iustissima indignatione ostendit.

Templo a profanatione purgato v. 17 *docebat dicens eis*, docebat et dicebat, uti graece habetur, i. e. cum doceret inter alia etiam haec proferebat : *nonne scriptum est : quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus?* cf. Is. 56,7; vocabitur i. e. erit et esse debet locus cultus divini, ex quo verus cultus Dei omnibus gentibus innotescat et afferatur. Verba apud Isaiam iam spectant tempus messianum (vide meum Comment. II p. 366). Ex qua conditione crimen sacerdotum qui illi profanationi favent augetur, quia cum ipsi esse debeant custodes cultus divini, istum cultum et apud Iudaeos et apud alienigenas in contemptum verti sinunt; longe itaque absunt ab eo ut sua pietate et reverentia templi alienigenas quoque ad cultum Dei alliciant. Haec verba *omnibus gentibus* solus Marcus ex vaticinio attulit; apte quidem et ad

crimen illud efferendum et propter fideles ex gentibus. Sunt qui putent ea a Marco relata esse, quia in atrio gentium in quo alienigenae adorabant illa profanatio perpetrabatur (*Fil. Weiss*); *vos autem fecistis eam speluncam latronum;* eodem vituperio Deus iam per Ieremiam (7,11) Iudaeos insectatus est; latrones Christus vocat mercatores, nummularios, qui fraude et avaritia lucrum iniustum quaerunt (*Vict. Theoph.*) vel, ut *Alb.* dicit, bursis insidiabantur simplicium. Et quia eiusmodi latrocinia in loco sacro exercent et cultum et adorationem Dei sacrilege turbant, impediunt et eo tumultu pios quoque alienigenas arcent iisque gravia praebent scandala, merito dicuntur templum convertisse in speluncam latronum. Verbis istis ex Ieremia depromptis Iesus etiam comminationem illam in memoriam revocat atque instaurat, qua ibidem praedicitur fore, ut propter profanationem templi templum ipsum a Domino abiiciatur; sequitur enim apud prophetam : ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a principio et videte quae fecerim ei propter malitiam populi mei Israel, et nunc quia fecistis omnia opera haec... faciam domui huic, sicut feci Silo et proiiciam vos a facie mea (7,12-15).

Mihi inter omnia signa quae fecit, inquit *S. Hier.* ad Matth. 21,15, hoc videtur mirabilius esse quod unus homo... scribis et pharisaeis contra se saevientibus et videntibus lucra sua destrui potuerit ad unius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem. Verum sacerdotes uti alia miracula despiciebant, ita quo magis maiestas et auctoritas Iesu eminebat eo maiore furore et insania replebantur v. 18 *quo audito* scil. quid in templo fecisset ulciscens profanationem quam ipsi lucri causa fovebant *principes sacerdotum et scribae quaerebant quomodo eum perderent;* modum inquirebant; iam enim deliberaverant perdere eum (*Cai.*); tale enim consilium ceperunt post resuscitationem Lazari Ioan. 11,47-53; et ratio redditur eadem : *timebant enim eum quoniam universa turba admirabatur* (vehementer scil. ἐξεπλήσσετο, obstupescebat) *super doctrina eius;* cf. Ioan. 11,48 si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; vident itaque se iri deiectum ab auctoritate, quare Iesum e medio tollere apud eos constitutum est. Verum simul apparet quam impotentes sint, quia hora nondum venerat qua Iesus voluit ponere animam; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso (Ioan. 10, 18). Quare Iesus, uti olim cum cives nazarethani eum de supercilio montis praecipitare vellent, transiens per medium illorum ibat (Luc. 4,29. 30), ita nunc v. 19 *cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate;* ex qua narratione clarum est Iesum templi profanationem non esse ultum ipso die sollemnis sui in urbem ingressus, uti ex Matth. 21,12 videri posset, verum die subsequente.

Altero die iterum tendit in urbem; v. 20 *et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus;* arbor scil. quam heri viderant luxurie foliorum frondescentem iam adstat omnibus foliis spoliata, ramis siccis, a radicibus usque ad cacumen arefacta. Non dissonat Marcus a Matthaeo dicente ficum aruisse statim cum Christus verba proferret; arefactio utique statim subsecuta est, sed visam eam fuisse Marcus dicit mane sequente; cum enim non statim deciderent folia, non statim apparuit arbor arida radicitus (cf. *Cai. Ians.*). Et videntes discipuli mirati sunt dicentes: quomodo continuo aruit (Matth. 21,20) et tum v. 21 *recordatus Petrus dixit ei : rabbi ecce ficus cui maledixisti aruit;* non inquirunt quid haec res sibi velit; solum admirantur quam efficacia fuerint verba Christi; « siccavi lignum viride et frondere feci lignum aridum; ego Dominus locutus sum et feci » (Ez. 17,24; *Vict. Theoph.*). Quare Christus quoque de significatione arboris sterilis et arefactae nihil dicit; fortasse etiam propterea, quia discipuli necdum eius capaces erant (*Ians.*), sed solum ex eorum admiratione captat opportunitatem ostendendi et commendandi vim et efficaciam orationis firmissima in Deum fiducia factae v. 22 *et respondens Iesus ait illis : habete fidem Dei,* fidem in Deum; haec fides, uti ex sequentibus patet, est firmissima persuasio de Dei potentia et benignitate et fidelitate, ex qua persuasione summa illa in oratione fiducia enascitur; quare aliqui hoc loco statim fidem interpretantur fiduciam (cf. *Ians.*).

Hac fide omnia impedimenta superari sollemni assertione Iesus profitetur v. 23 *amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : tollere et mittere in mare;* locutione proverbiali maximum quodvis obstaculum et impedimentum mons appellatur; ita iam Zach. 4,7 atque eam locutionem satis frequentem etiam a rabbinis usurpari vide ad Matth. 21,21; *et non haesitaverit in corde suo sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei;* cf. Iac. 1,6 postulet autem in fide nihil haesitans; qui enim haesitat similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur; non ergo aestimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. Et quanta sit vis fidei firmae ad impetrandum iterata assertione effert v. 24 *propterea dico vobis : omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis;* ὅτε ἐλάβετε quia accepistis (vide lect. var.); videtur designari fidei firmitas qua quis confidit in decreto Dei iam exauditam esse orationem; haec fides qua omnis haesitatio excluditur donum Dei est peculiare; quod donum si conceditur eo ipso manifestum est Deum petitioni accedere. Pariter evidens est istud donum Deum non largiri nisi pro re quae vere sit ad Dei gloriam et bonum eius qui petit, et petendum esse eo modo iisque conditionibus quibus opus esse ut Deo accepta esse possit oratio ex aliis normis

innotescat. Ceterum uti reliqua Dei dona, ita haec quoque fides qua impetratio apud Deum in tuto collocatur efflagitanda est oratione ferventi atque perseverante et dicendum cum illo patre : Domine, adiuva incredulitatem meam (9,23).

Ex iis quae requiruntur ut oratio Deo evadat accepta unum adhuc singulari ratione monet v. 25 *et cum stabitis ad orandum*, monent Iudaeos plerumque stetisse dum orarent (cf. Matth. 6,5 et 1 Reg. 1,26; 3 Reg. 8,22. Luc. 18,11. 13), sed etiam orabant genibus in terram fixis 3 Reg. 8,54. 2 Par. 6,13. Esdr. 9,5. Dan. 6,10. Act. 9,40, uti ipse Iesus oravit in horto Luc. 22,41, vel etiam corpore in terram prostrato Gen. 24,26, Neh. 8,6, Iudith 9,1, prout Christus quoque precatus est Matth. 26,39. Saepius adhibetur στῆναι etc. in significatione non tam standi sed potius τοῦ esse v. g. 1 Cor. 7,37. Eph. 6,14, Col. 4,12 etc.; quare mihi videtur idem hoc loco pro στήκειν verbo cognato esse assumendum neque vim ponendam in *stabitis* neque id pluribus discutiendum; *dimittite si quid habetis adversus aliquem, ut et Pater vester qui in coelis est dimittat vobis peccata vestra;* cur ex omnibus quae ad bonam orationem requiruntur id unum peculiari modo inculcet Christus, ratio erit eadem qua motus ex omnibus petitionibus orationis dominicae quam vocamus unam illam pluribus explicuit in qua dicimus : sicut et nos dimittimus Matth. 6,14. 15; ostendit scil. hanc animi dispositionem uti omnino est necessaria, ita homini esse satis difficilem, verum sibi et Patri coelesti valde acceptam, ita quidem ut contrarius affectus quam maxime obstet veniae a Deo impetrandae (cf. Comment. Matth. I p. 271); v. 26 *quodsi vos non dimiseritis, nec Pater vester qui in coelis est dimittet vobis peccata vestra;* vide lect. var.; qua sententia et monitione additur pondus gravissimum, ut omni conatu etiam levissimam vindictae cupiditatem iramque in fratres ex animis removeamus.

Quo nexu istae sententiae adiungantur disceptant. Nullum quaerendum esse nexum *Schegg* censet; verum eiusmodi sententias a Iesu et in catechesibus saepe esse repetitas, unde evenerit ut sine certa sede quasi stellis errantibus adnumerandae essent. Sed etsi in catechesibus occasione data saepe inculcabantur, nondum sequitur etiam in libro scripto ab evangelista ibi esse inserta, ubi neutiquam cum antecedentibus cohaereant neque ad illa illustranda vel confirmanda faciant. Perperam quoque alii dicunt haec addi ne quis ex maledictione ficus falso concludat veniam concedi a Deo ei qui alteri maledixerit (*Keil, Weiss*). Verum cui talis conclusio in mentem venire posset post 9,49 et Matth. 5,44-48 et 6,14 et 18,21 seq.? Assignatur itaque conditio quaedam necessaria ut oratio Deo possit accepta esse et exaudiri (*Theoph. Schanz*), vel ut alii dicere malunt : hortatur Christus eos qui aliquid Deum rogant, ut non modo credant se quod rogant exoraturos,

sed simul acceptas iniurias condonent quo et ipsis Deus dimittat peccata, quippe quae causa esse possint cur is precantium votis annuere merito ac iure recuset (*Patr.* similiter *Alb. Fil.*).

d) De perversitate synedristarum 11,27-33.

11,27. Et veniunt rursus Ierosolymam. Et quum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et scribae, et seniores, 28. Et dicunt ei : In qua potestate haec facis? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias? 29. Iesus autem respondens, ait illis : Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi; et dicam vobis in qua potestate haec faciam. 30. Baptismus Ioannis, de coelo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. 31. At illi cogitabant secum, dicentes : Si dixerimus, de coelo, dicet : Quare ergo non credidistis ei? 32. Si dixerimus, ex hominibus, timemus populum; omnes enim habebant Ioannem quia vere propheta esset.

33. Et respondentes, dicunt Iesu : Nescimus. Et respondens Iesus, ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate haec faciam.

11,27. Καὶ ἔρχονται πάλιν εἰς Ἱεροσόλυμα· καὶ ἐν τῷ ἱερῷ περιπατοῦντος αὐτοῦ, ἔρχονται πρὸς αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι, 28. καὶ ἔλεγον αὐτῷ, Ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; ἢ τίς σοι ἔδωκεν τὴν ἐξουσίαν ταύτην, ἵνα ταῦτα ποιῇς; 29. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, Ἐπερωτήσω ὑμᾶς ἕνα λόγον, καὶ ἀποκρίθητέ μοι, καὶ ἐρῶ ὑμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ· 30. Τὸ βάπτισμα τὸ Ἰωάννου ἐξ οὐρανοῦ ἦν, ἢ ἐξ ἀνθρώπων; ἀποκρίθητέ μοι. 31. καὶ διελογίζοντο πρὸς ἑαυτοὺς, λέγοντες, Ἐὰν εἴπωμεν, Ἐξ οὐρανοῦ, ἐρεῖ, Διατί οὖν οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ; 32. ἀλλὰ εἴπωμεν, Ἐξ ἀνθρώπων; ἐφοβοῦντο τὸν ὄχλον, ἅπαντες γὰρ εἶχον τὸν Ἰωάννην, ὄντως ὅτι προφήτης ἦν. 33. καὶ ἀποκριθέντες τῷ Ἰησοῦ λέγουσιν, Οὐκ οἴδαμεν. καὶ ὁ Ἰησοῦς λέγει αὐτοῖς, Οὐδὲ ἐγὼ λέγω ὑμῖν ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιῶ.

In v. 28 ελεγον ℵ B C L Δ 1. 209. dixerunt a b c f cop go aeth ; al λεγουσιν; η τις ℵ B L Δ cop; al και τις. In v. 29 υμας καγω ℵ D G M N Γ al mu, item E F H S U V X al pl και εγω it vulg syr (utr) arm; καγω υμας A K al 5 go aeth; solum υμας B C L Δ cop Ti WH. In v. 30 add dub et dicam vobis in qua potestate haec facio. In v. 31 D aliq minusc add τι ειπωμεν; sim a b c ff² i k (quid illi dicemus). In v. 32 αλλα ειπωμεν ℵ A B C L N X Γ Δ Π unc 9 al pl sah cop go; D εαν ειπωμεν al plus 15; sim it vulg arm aeth; φοβουμεθα D² N aliq minusc it sax cop arm aeth dub ept lich mt ken rush wil steph sixt; al omnes εφοβουντο timebant (etiam k l et codd vulg al) sah syr (sch) go; quae lectio utpote difficilior praeferri debet, cum altera aperte sit correctio; οχλον ℵ B C N 33. 106. W H; al λαον Ti; οντως οτι προφ ℵ^{c} B C L; al οτι οντως.

Profecti a ficu v. 27 *veniunt iterum* (cf. v. 11. 15) *Ierosolymam; et cum ambularet in templo,* Matth. 21,23 et Luc 20,1 refertur Christum populum docuisse; quare περιπατεῖν ambulare aliqui ita concipiunt ut variis in partibus atrii exterioris docuerit (*Alb. Cai. Fil.*) et aegros sanaverit (*Fab.*); *Schegg* in hac ambulatione per atrium exprimi censet Iesu potentiam et dominium in templum, alii eum obambulasse putant ne principibus synagogae occasionem daret sese interpellandi (*Weiss*), dum alii malunt in περιπατεῖν solum depingi eum commoratum esse in

templo (*Schanz*). Cum atrium exterius contineret varias partes et porticus, prior sententia videtur esse sequenda, quia aliunde scimus eum illa occasione docuisse; proinde per diem docuit neque tamen semper in eodem loco, sed ubicumque per magnum atrium turmam hominum reperit; *accedunt ad eum summi sacerdotes et scribae et seniores,* nominantur omnes tres ordines quibus synedrium, summus magistratus, componebatur, ut appareat eos qui accesserint a synedrio esse missos et deputatos et ideo eos non privata sed publica summi magistratus auctoritate inquirere et agere; v. 28 *et dicunt ei : in qua potestate haec facis et (vel) quis tibi dedit hanc potestatem ut ista facias?* in quaestione repetita bene depingitur eorum ira et excandescentia et animi impatientia; *haec* certe referunt ad expulsionem ementium et vendentium (*Theoph. Euth. Schanz, Fil.* etc.) et etiam ad sollemnem in urbem ingressum, quo totum populum ad se tanto fastu honorandum commovisse videri poterat (*Cai. Ians.*). Aliis placet eos interrogasse de potestate docendi (*Lamy, Patr.*); sed cum Iesus iam per amplius tres annos docuisset, posset videri eo minus probabilitatis hanc opinionem habere, quia docere in synagoga nullatenus ad unum hominum genus pertinebat, verum fieri poterat ab unoquoque qui satis peritus esset (cf. Act. 13,15; *Schürer,* Geschichte des jüd. Volkes II p. 381); sed attendere oportet, Christum ita docuisse ut in vitia ducum inveheretur, ut consuetudines malas prohiberet. Pertinebat porro ad synedrium, ut *Lamy* notat, veros falsosque prophetas discernere; sic per legatos quaesierant a Ioanne praecursore cur baptizaret. Verum de Iesu iam tot iis praesto erant ex miraculis patratis testimonia divina, ut si mente sincera fuissent, iam dudum cognovissent, qua potestate ageret. Iam ante duos annos illis dixerat Iesus : opera quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio testimonium perhibent de me quia Pater misit me (Ioan. 5,36). Quare evidens est eos non interrogare, ut discant sed ut ex responsione occasionem captent eum perdendi, sicuti in festo Encaeniorum cum Patrem et se unum esse professus esset, eum lapidare volebant propter blasphemiam (Ioan. 10,30. 33). Nam certe exspectabant Iesum ad Dei ut Patris sui auctoritatem esse provocaturum.

Verum hanc eorum spem struendi insidias Iesus egregie eludit eosque ad incitas cum magna eorum confusione redigit sapientia admirabili v. 29 *Iesus autem respondens ait illis : interrogabo et ego vos unum verbum,* a cuius responsione totius solutio dependet quaestionis, ut *Alb.* bene rem declarat, *et respondete mihi et dicam vobis* i. e. et si vos ea de re mihi responderitis, sed imperativo posito sermo maius habet pondus, quia non solum conditio quaedam enuntiatur, verum etiam

monentur ut illam conditionem perficiant (cf. Iac. 4,7. Eph. 5,14) *in qua potestate haec faciam;* et talis quaestio qua solutio contineatur erat de auctoritate et missione baptistae, in quam ipsi inquisierant. Ioannes enim luculentissima de Iesu quis esset testimonia ediderat et suo baptismo populum praepararat ad eum suscipiendum qui in Spiritu et igne baptizaturus esset; quare v. 30 *baptismus Ioannis de coelo erat an ex hominibus? respondete mihi!* en urget malignos illos, ut respondeant. « De Ioanne interrogat non sine causa neque sophistarum more vicissim illos capiens, sed quia Ioannes de ipso testificatus erat, idcirco de illo malevolos interrogat, ut cum receperint Ioannem a Deo esse cogantur et testimonium Ioannis quod de Christo dederat accipere » (*Theoph.* sim. *Vict.*). Interrogat quoque, ait *Alb.*, ut ex responsione illorum solutionem quaestionis contra malignantes concludat; ille enim optimus modus respondendi et concludendi contra malignantes quando ex suis propriis verbis et responsis arguuntur.

Capti suis ipsorum insidiis inter se deliberant quomodo possint evadere v. 31 *at illi cogitabant secum* διελογίζοντο deliberabant, ratiocinabantur inter se; proinde recedentes a Iesu inter se consilia agitabant, *dicentes : si dixerimus : de coelo, dicet : quare ergo non credidistis ei?* qui scil. toties tam praeclara et perspicua testimonia de Iesu reddebat; quare iam plane inutile fuit quaerere qua potestate ageret; v. 32 *si dixerimus : ex hominibus, timemus populum;* graece potius ita : at dicamus (explica coniunctivum deliberationis) : ex hominibus? et lege totum hoc per interrogationem; tum ipse evangelista subdit, cur id quoque iis valde inconveniens visum sit : timebant turbam τὸν ὄχλον, non sine contemptu dicunt; *omnes enim habebant Ioannem quia vere propheta esset* εἶχον perspectum habebant, vel uti *Euth.* εἶχον explicat ἐπεπληροφόρηντο certi erant, iis plane persuasum erat, Ἰωάννην ὄντως explica per traiectionem; unde interpretaberis εἶχον ὅτι Ἰωάννης ὄντως προφήτης ἦν; sed illa traiectione notio nominis traiecti maiore effertur pondere. Qua deliberatione proceres insignem suam pervicaciam et perversitatem luce clarius produnt. Nihil eorum interest quid sit verum; ostendunt se nosse missionem Ioannis esse a Deo; at veritati cognitae resistunt quia Iesum omni modo esse repudiandum apud se statuerant. Neque audent aperte negare divinam Ioannis missionem, quamvis hac negatione efficacissime (ad speciem saltem) auctoritatem Iesu potuissent impugnare et sibi ipsis ius vindicare in eum, utpote nulla legitima missione munitum, animadvertendi. Quod ne facerent timore et ignavia retinentur. Qua in re denuo maxime contemptibiles se praebent. Nam aut recte censebat populus de Ioanne aut perperam. Si perperam, ducum populi et doctorum erat populum ab errore revocare et omni

fortitudine contra errorem perniciosum pugnare, minime autem ut auram popularem captent agere more canum mutorum qui non valeant latrare (Is. 56,10).

Ad incitas redacti ad effugium et mendacium miserrimum recurrunt v. 33 *et respondentes dicunt Iesu : nescimus;* Iesus sua responsione indicat ipsis se eorum malitiam ac vafritiem habere perspectam : *neque ego dico vobis in qua potestate haec faciam;* bene notant Christum dicere : neque ego *dico;* « ex quo ostendit et illos scire sed respondere nolle et se nosse et ideo non dicere quia illi quod sciunt taceant » (*S. Hier.*) et *Vict. :* « non dixit : nescio, sed : non dico, quo significat : noluistis verum dicere, quare neque a me accipietis responsum » similiter *Theoph. Bed. Ians. Schanz.* « Porro ut in Christo hic observandum est quam prudenter sapientes comprehenderit in astutia eorum, ut hinc discamus in sapientia et caute respondere insidiatoribus et clavum clavo pellere, ita in interrogatoribus Christi observandum quam nihil iis fuerit curae ut verum responderent, sed quod ipsis esset commodum; si commodum illis fuisset dicere baptismum Ioannis fuisse e coelo, incunctanter dixissent, similiter dicturi illum fuisse ex hominibus, nisi et hoc illis fuisset incommodum. Quia igitur neutrum commode dicere poterant, ad id quod solum supererat confugiunt ignorantiam praetendentes, putantes se hac ratione commode elabi » (*Ians.*). Ita utique agunt illi qui caritatem veritatis non receperunt et quos propterea perituros esse apostolus docet (2 Thess. 2,10). Cum iis autem agit Christus, ut *Ps. Hier.* notat, secundum illud Ps. 17,27.

e) Parabola de vinea 12,1-12.

12,1. Et coepit illis in parabolis loqui : Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.

2. Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineae. 3. Qui apprehensum eum, ceciderunt, et dimiserunt vacuum. 4. Et iterum misit ad illos alium servum; et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt. 5. Et rursum alium misit, et illum occiderunt; et plures alios, quosdam caedentes, alios vero occidentes.

6. Adhuc ergo unum habens filium carissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens : Quia reverebuntur fi-

12,1 Καὶ ἤρξατο αὐτοῖς ἐν παραβολαῖς λαλεῖν. Ἀμπελῶνα ἄνθρωπος ἐφύτευσεν, καὶ περιέθηκεν φραγμὸν, καὶ ὤρυξεν ὑπολήνιον, καὶ ᾠκοδόμησεν πύργον, καὶ ἐξέδετο αὐτὸν γεωργοῖς, καὶ ἀπεδήμησεν. 2. καὶ ἀπέστειλεν πρὸς τοὺς γεωργοὺς τῷ καιρῷ δοῦλον, ἵνα παρὰ τῶν γεωργῶν λάβῃ ἀπὸ τῶν καρπῶν τοῦ ἀμπελῶνος· 3. καὶ λαβόντες αὐτὸν ἔδειραν, καὶ ἀπέστειλαν κενόν. 4. καὶ πάλιν ἀπέστειλεν πρὸς αὐτοὺς ἄλλον δοῦλον· κἀκεῖνον ἐκεφαλίωσαν, καὶ ἠτίμασαν. 5. καὶ ἄλλον ἀπέστειλεν κἀκεῖνον ἀπέκτειναν· καὶ πολλοὺς ἄλλους, οὓς μὲν δέροντες, οὓς δὲ ἀποκτέννυντες. 6. ἔτι ἕνα εἶχεν υἱὸν ἀγαπητὸν, ἀπέστειλεν αὐτὸν ἔσχατον πρὸς αὐτοὺς, λέγων, Ὅτι ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου. 7. ἐκεῖνοι δὲ οἱ γεωργοὶ πρὸς ἑαυ-

lium meum. 7. Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est haeres: venite, occidamus eum, et nostra erit haereditas. 8. Et apprehendentes eum, occiderunt; et eiecerunt extra vineam.

9. Quid ergo faciet dominus vineae? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis.

10. Nec scripturam hanc legistis: Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. 11. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?

12. Et quaerebant eum tenere; et timuerunt turbam; cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.

τοὺς εἶπαν, Ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος· δεῦτε, ἀποκτείνωμεν αὐτὸν, καὶ ἡμῶν ἔσται ἡ κληρονομία. 8. καὶ λαβόντες ἀπέκτειναν αὐτὸν, καὶ ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος. 9. τί ποιήσει ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος; ἐλεύσεται καὶ ἀπολέσει τοὺς γεωργοὺς, καὶ δώσει τὸν ἀμπελῶνα ἄλλοις. 10. Οὐδὲ τὴν γραφὴν ταύτην ἀνέγνωτε; Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας· 11. παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστιν θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. 12. Καὶ ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι, καὶ ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον· ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπεν. καὶ ἀφέντες αὐτὸν ἀπῆλθον.

In v. 1 εξεδετο ℵ A B* C K L Ti W H; al εξεδοτο. In v. 2 των καρπων ℵ B C L N Δ d f k syr (sch) Ti W H; al του καρπου. In v. 4 εκεφαλιωσαν ℵ B L Ti W H; al εκεφαλαιωσαν; non habent λιθοβολησαντες ℵ B D L Δ aliq minusc it vulg sah cop; iidem testes ητιμασαν; k decollaverunt, q ceciderunt. In v. 5 και παλιν A N X Γ Π unc 9 al pler f l q vulg syr (utr) arm go. In v. 6 ειχεν υιον ℵ B C² L Δ 33.; wil quia *forte* verebuntur. In v. 7 N al pauc ιδοντες αυτον ερχομενον (προς αυτους) c cum vidissent eum; id quod ex Matth. et Luc. libere assumptum est. In v. 9 τι ουν longe pler; omittunt ουν B L g² cop; k tunc dominus indignatus veniet et perdet.

Parabola de vinea exponit Iesus quot et quanta beneficia a Deo acceperit Israel; verum quam perverse et contumaciter et egerit in Deum et iterum acturus sit, donec tandem suam ipsius ruinam sibi parat. Cum iam Isaias eadem parabola et Dei in populum curam et populi pervicaciam et poenam ei debitam descripserit (5,2 seq.), in hac eius parabola repetitione et amplificatione, uti cernitur longanimitas Dei et conatus multiplex ad salutem populo afferendam, ita incredibilis quoque atque constans populi in Deum rebellio nobis ob oculos ponitur qua tandem usque ad summum scelerum fastigium, ad caedem Messiae, pervenerunt. — Cum teste Matthaeo Christus eo tempore plures parabolas proponeret et Marcus id Petro narrante scire omnino posset, vix dubium erit quid sibi velit v. 1 *et coepit illis in parabolis loqui;* quare non opus erit numerum pluralem explicare tamquam pluralem categoriae, vel quasi *in parabolis* esset idem ac parabolice (cf. *Schegg, Schanz*); neque ad v. 10 et 11 recurrendum erit tamquam ad alteram parabolam (*Weiss*), multo minus ad varias imagines et symbola quae in narratione contineantur; sed Marcus narrat id quod factum est Christum compluribus parabolis eos docere coepisse; αὐτοῖς apud Matthaeum et Marcum proxime refertur ad pro-

ceres, ad synedristas, verum populum quoque fuisse praesentem, elucet ex 11, 32 et 12,12; unde Lucas refert ad plebem esse parabolam dictam (20,9).

Primis verbis statim vivide in memoriam revocatur parabola apud Isaiam iam populo proposita, *vineam pastinavit* ἐφύτευσεν (LXX Is. 5,3) plantavit; pastinare est agrum vineae fodere, ut vites inserantur (*Lap.*); est enim pastinum instrumentum idoneum vineae fodiendae (*Lamy*) *homo et circumdedit sepem,* ne bestiae invaderent et devastarent vineam; cf. Cant. 2,15 capite nobis vulpes parvulas quae demoliuntur vineas, *et fodit lacum,* ὑπολήνιον qua voce LXX reddunt יְקֶב Is. 16,10 et Ioel 3,13 et Agg. 2,16; est subtorcular, ut ita dicam, i. e. lacuna in quam uvarum liquor in torculari expressus defluit et excipitur. Eiusmodi torcularia excidebantur et excavabantur etiam in saxis; *et aedificavit turrim,* ut vineae securitati et defensioni prospiceret, in qua turri et custodes habitarent et res ad vineae culturam necessariae asservarentur. Vineam ita bene instructam *locavit agricolis;* ipse autem herus *peregre profectus est.* Pretium locationis constituebatur parte fructuum; v. 2 *et misit ad agricolas in tempore* scil. vindemiae, suo tempore igitur, *servum ut ab agricolis acciperet de fructu,* de fructibus *vineae.* At coloni pessime agunt v. 3 *qui apprehensum eum ceciderunt,* verberarunt, *et dimiserunt vacuum;* quod apud Matthaeum summatim legitur : misit servos, et agricolae alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt (21,34. 35), Marcus distinctius proponit; sed neque apud Matthaeum ita explicandum est ac si herus semel solum servos misisset; nam tres illae contumeliae verberum, occisionis, lapidationis (quod est mortis genus magis ignominiosum et aerumnosum) aperte ostendunt iram et rebellionem colonorum auctam esse repetita postulatione. Quare perperam aliqui statuunt Marcum ex sorte servorum qui semel mittantur tres effecisse missiones (uti v. g. *Weiss* vult).

Ut rebelles ad obedientiam reducat, v. 4 *iterum misit ad illos alium servum et illum in capite vulneraverunt et contumeliis affecerunt;* crescit furor repetita postulatione, quare servum peiore modo tractant; v. 5 *et rursum alium misit et illum occiderunt, et plures alios quosdam caedentes, alios vero occidentes;* quantopere hero vinea curae fuerit, praesertim elucet ex ultimo conatu; servis missis et occisis v. 6 *adhuc ergo unum habens filium carissimum et illum misit ad eos novissimum dicens : quia reverebuntur filium meum;* illi autem sceleribus culmen imponunt stulte sibi promittentes ex scelere commodum maximum v. 7 *coloni autem dixerunt ad invicem : hic est heres, venite occidamus eum et nostra erit hereditas*

— ac si herus esset impotens aut nihil curaret de morte filii! Verum pessimae concupiscentiae excaecant mentes; v. 8 *et apprehendentes eum occiderunt et eiecerunt* corpus eius *extra vineam* ad maximam ignominiam quam occiso adhuc inferunt; v. 9 *quid ergo faciet dominus vineae? veniet et perdet colonos et dabit vineam aliis;* cf. Matth. 21,41 ipsi proceres iudicium ferunt in pessimos colonos; uti Marcus priorem partem explicatius, ita hanc magis succincte exhibet.

Verbum in v. 4 κεφαλιόω explicandum erit cum *vulg.* in capite vulnerare, vel caput percutere, sicut v. g. γναθόω maxillam percutio, τὴν γνάθον τύπτω; similiter γυιόω α γυιός. Forma κεφαλαίω quae in multis codd legitur et etiam in editionibus *Vict. Euth. Theoph.* ab istis similiter explicatur; ita legitur scholion in catena *Vict.* : κεφαλικὴν ζημίαν ἐπέθεντο ἤτοι θάνατον ἐπράξαντο ἢ ὅτι κατὰ κεφαλῆς θανατηφόρον πληγὴν ἤνεγκαν. Sed de plaga mortis inflicta vox non erit explicanda, cum de occisione demum in v. 5 mentio fiat et variae contumeliae servis inflictae gradatione quadam enumerentur. Idem scholion aliam quoque adiungit interpretationem quae ad notionem verbi usitatam propius accedit vel potius ab ea derivata et ad hunc contextum accommodata est : ἀντὶ τοῦ πάσαις πρὸς τῶν προλαβόντων ὑπέβαλον ποιναῖς, ἀνακεφαλαιούμενοι ἐν τούτῳ τὰ τῶν προλαβόντων. Significat enim verbum in capita, in summam redigere; unde hoc loco ei tribuitur notio infligendi poenas priores in unum quasi cumulum redactas. *Euth.* explicat τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ συνέτριψαν et *Theoph.* συνετέλεσαν καὶ ἐκορύφωσαν τὴν ὕβριν; uterque notionem *capitis* contextui adaptavit; ille : caput eius comminuerunt, hic : furorem ad culmen adduxerunt, eum ad extremum adduxerunt, confecerunt. *Syrus* reddit vocem ope צלַח quo verbo Luc. 20,12 exprimitur τραυματίζειν vulnus infligere, Marc. 5,5 κατακόπτειν percutere, contundere, et 3 Reg. 20,37 בצע contundere, vulnerare, itemque Cant. 5,7; recentiores quoque vocem communiter explicant capitis vulnus inferre, cf. *Wetstein, Schanz, Fil. Keil, Weiss;* comparari quoque potest γαστρίζειν in ventrem percutere. Merito recentiores praeferunt lectionem ἐκεφαλίωσαν; *Schegg* vero alteram sequitur textus recepti ἐκεφαλαίωσαν eamque interpretatur secundum illud Platonis : κεφαλαιωσώμεθα τὸν κάκιστον definiamus virum pessimum (Rep. 9 p. 576), ita quidem ut istud definire, insignire vel propriis notis aliquem distinguere putet fuisse modum loquendi vulgarem pro contumeliis ac verberationibus. Sed is loquendi modus omnino gratis fingitur.

Cum summa huius parabolae iam explicetur Is. 5,7 vinea Domini exercituum domus Israel est, et exspectavi ut faceret iudicium et ecce iniquitas, nequit dubitari ad quid proferatur. Insuper eadem vineae imago proposita est Ps. 79,9-17 et Ier. 2,21, immo iam Deut. 32,32. Totum itaque quod Deus ad populi salutem instituit symbolo vineae continetur. Vineam hanc, theocratiam veterem, sepe circumdedit, variis ac validis munitionibus custodivit ac roboravit, sua scil. protectione (*Vict. Cai.*), angelorum custodia (*Ps. Hier. Beda*), separatione et distinctione a gentibus facta (*Alb.*), legibus datis (*Theoph.*); turrim aedificavit, quae turris quoque ad munitionem

refertur, ut inde quasi e specula vinea custodiatur; quare doctores et pastores quos populo providit intelligi possunt. Alii templum explicant (*Vict. Theoph. Ps. Hier. Bed.*); lacum fodit; qui turrim de templo accipiunt, torcular de altari explicant, in quo sanguis victimarum effundebatur. Brevi dicendum erit Dominum sedulo omnia providisse quibus prosperitas populi, pietas, salus promoveretur. Coloni sunt et ipse populus et praeprimis proceres et doctores; eo quod herus dicitur peregre abiisse, haud incongrue significari ait *Vict.* Dominum concessisse tempora ad fructus afferendos, vel « abire videtur, ut vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat » (*Beda*); sed inepte explicat *Cai.* illam profectionem de subtractione gratiae. Servos quos misit herus merito intelligunt prophetas quos Deus mittere populo non cessavit et per quos populum toties ad meliorem frugem reducere conabatur. Ter misisse dicitur, uti similiter de ficulnea conqueritur : ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac et non invenio (Luc. 13,7; *Vict.*). Aliqui applicant ad tria tempora, ad tempus Eliae, Osee et Isaiae, Ezechielis et Danielis (*Vict. Theoph.*); vel ad tempus Moysi, Davidis, aliorum prophetarum (*Bed. Alb.*); id quod necessarium non est. Ceterum prophetas continuo a Deo esse missos frequenter s. litterae testantur (cf. Ier. 7,13. 25; 11,7; 25,3; 26,5; 29,19; 35,14; 44,4. Os. 6,5. Am. 2,11 etc.) neque minus refertur quot iniuriis, contumeliis fuerint obiecti et quoties homines scelerati iis persecutiones et mortem intulerint; cf. 3 Reg. 18,13; 19,3; 22,27. 4 Reg. 6,31; 9,7. 2 Par. 36,16. Ier. 2,30; 11,19; 20,1; 26,11; 37,14 etc.

In v. 6 autem ipsis verbis *unum filium habuit dilectum* exprimitur quanto amore Deus Pater Filium suum dilectum (cf. Matth. 3,17. Marc. 1,11. Luc. 3,23) miserit ad salutem populi. In verbis *hic est heres* culpa declaratur procerum qui tot testimoniis a Ioanne datis miraculisque a Iesu patratis cognoscere debebant Iesum esse Christum. Significatur consilium mortis ei inferendae quod iam conceperunt (Ioan. 11,50) et simul quale commodum sibi ex eius morte promiserint : nostra erit hereditas, ut scil. ipsi in sua sede et auctoritate maneant et dominium in populum retineant (cf. Ioan. 11, 48). In v. 8 mors Christi maxime ignominiosa significatur; in v. 9 vero destructio urbis et templi et transitus regni Dei ad gentes. Cum Christus toties atque adeo clare mortem suam praedixerit, ridiculum est quod *Weiss* statuit in v. 7 et 8 evangelistam ex eventu et sorte Christi priscae parabolae multum simpliciori addidisse amplificationem.

Parabola duxit, ut *Cai.* dicit, usque ad vindictam. Additur nunc

Filium occisione non privari hereditate; hoc enim significat adiuncta prophetia de Messia sub metaphora lapidis v. 10 *nec Scripturam hanc legistis?* οὐδὲ etc. lege per interrogationem et explica : num ne hunc quidem Scripturae locum legistis? γραφή etiam de locis singulis dicitur; cf. Luc. 4,21. Ioan. 19,37. Act. 1,16; 8,35; *lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli;* in qua applicatione aedificantes sunt ii qui theocratiam veterem promovere et populum edocere ad pietatem debebant, ergo sacerdotes et doctores legis; isti reiecerunt illum, de quo tamquam lapide angulari, pretioso iam Isaias hâud obscure innuit et qui tamquam lapis angularis divini aedificii et tamquam fundamentum regni Dei praedicatur (Eph. 2,20. 1 Cor. 3,10). Iesus revera factus est in caput anguli, iungendo utrumque populum in unum, Iudaeos et gentes, et ex utroque unam fidelium civitatem, unum templum aedificando (cf. *Vict. Bed. Cai. Ians.* etc.) *a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris;* αὕτη... θαυμαστή femininum est pro neutro Hebraeorum more, ut *Lamy* dicit; Deus Pater enim glorificavit Filium suum, quem illi quidem tradiderunt et negarunt et interfecerunt (Act. 3,13).

Quam vere Christus istos colonos descripserit, statim ipsi manifestare contendunt et festinant v. 12 *et quaerebant eum tenere et timuerunt turbam; cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit;* intellecta parabola et ira excandescunt in Iesum, quare eo potiri quaerunt, et turbam timent, quia Iesus cum ea qua apud populum auctoritate valebat in illis colonis proceres reprobos descripserat et eorum consilium de morte inferenda palam fecerat. Cum enim notum esset ex Isaia hominem qui plantavit vineam esse Deum, Iesus autem frequenter Deum suum vocasset Patrem; non potuit esse ambiguum quem in parabola nomine filii designaret. Et quia populus tantum pro Iesu studium in sollemni ingressu ostenderat et tot beneficiis ab eo acceptis eum venerabatur tamquam prophetam magnum et eum nuperrime Messiam salutaverat, profecto erat cur primates a tali reprehensione publice facta sibi timerent et eo quoque timore odium suum in Iesum magis accenderent. — Alii quandoque sententiam adiectam *cognoverunt enim* traiectione facta solum referri volunt ad prius illud : quaerunt eum tenere; alii eam suo loco retinentes spectare dicunt tantum ad alterum : timuerunt turbam; si enim violentia in Christum adhibita ostendissent parabolam sibi aptari, futurum fuisse ut sese populo exhiberent tales quales merito reprobarentur (*Schanz, Weiss*). Alii demum intelligunt ἔγνωσαν dici de turba; turbam intellexisse parabolam referri ad principes synagogae. Sed huic explicationi

tamen obest constructio grammaticalis. — Neque eo quod Iesus eorum pessima consilia iis aperit poenamque et ruinam praedicit emendantur; *et relicto eo abierunt,* contumaciam suam et cor obduratum secum auferunt et statim novas excogitant artes quibus Iesu struant insidias, ut quidquam quod publice traducere possint apud populum contra eum reperiant.

Facile applicatur parabola ad singulos. Haec adnotat h. l. *Beda :* « morali intellectu cuique fidelium cum mysterium baptismi quod exerceat operando committitur, quasi vinea quam excolat locatur. Mittitur servus unus, alter, tertius, qui de fructu accipiant cum lex, psalmodia, prophetia quarum admonitionem bene agendo sequatur legitur. Sed missus servus contumeliis affectus vel caesus eiicitur, cum sermo auditus contemnitur, vel (quod peius est) etiam blasphematur. Missum insuper heredem, quantum in se est, occidit qui et Filium Dei conculcaverit et spiritui gratiae quo sanctificatus est contumeliam fecerit (Hebr. 10,29). Perdito malo cultore vinea dabitur alteri, cum dono gratiae quod superbus sprevit humilis quisque ditabitur ». Alia vide in Comment. Is. I p. 107 seq.

f) Quaestio de tributo 12,13-17.

12,13. Et mittunt ad eum quosdam ex pharisaeis et Herodianis, ut eum caperent in verbo. 14. Qui venientes dicunt ei : Magister, scimus quia verax es, et non curas quemquam; nec enim vides in faciem hominum sed in veritate viam Dei doces : licet dari tributum Caesari, an non dabimus?

15. Qui sciens versutiam illorum ait illis : Quid me tentatis? afferte mihi denarium ut videam. 16. At illi attulerunt ei. Et ait illis : Cuius est imago haec et inscriptio? Dicunt ei : Caesaris.

17. Respondens autem Iesus, dixit illis : Reddite igitur quae sunt Caesaris, Caesari; et quae sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

12,13. Καὶ ἀποστέλλουσιν πρὸς αὐτόν τινας τῶν Φαρισαίων καὶ τῶν Ἡρῳδιανῶν, ἵνα αὐτὸν ἀγρεύσωσιν λόγῳ. 14. καὶ ἐλθόντες λέγουσιν αὐτῷ, Διδάσκαλε, οἴδαμεν ὅτι ἀληθὴς εἶ, καὶ οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός· οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ διδάσκεις· ἔξεστι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι, ἢ οὔ; δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν; 15. ὁ δὲ εἰδὼς αὐτῶν τὴν ὑπόκρισιν, εἶπεν αὐτοῖς, Τί με πειράζετε; φέρετέ μοι δηνάριον, ἵνα ἴδω. 16. οἱ δὲ ἤνεγκαν. καὶ λέγει αὐτοῖς, Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή; οἱ δὲ εἶπαν αὐτῷ, Καίσαρος. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν, Τὰ Καίσαρος ἀπόδοτε Καίσαρι καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ. Καὶ ἐξεθαύμαζον ἐπ' αὐτῷ.

In v. 14 (i aliq minusc ηρξαντο ερωταν αυτον εν δολω λεγοντες; similiter i q b arm venientes interrogabant eum subdole; addunt ειπε ουν ημιν C* D M N al 12 fere; pariter dic ergo nobis a b c ff² g² i q dub lich ken tol gat (k dic nobis quid tibi videtur licet); D 124. δουναι επικεφαλαιον, k capitularium; D a b c ff² i l nihil nisi η ου, aut non, d l an non, q demus aut non demus. In v. 15 a c simulationem; lich ken versutias. In v. 16 attulerunt (sine addito *ei*) am hub theod med tol; steph obtulerunt ei. In v. 17 ειπεν B D; rell omnes ειπεν αυτοις; τα καισαρος αποδοτε ℵ B C L Δ 28. cop syr (sch); αποδοτε ουν M aliq minusc it pler vulg (*ergo* cav dub lich ken tol).

Synedristae pudore suffusi a Iesu recedunt; timore turbarum impediuntur quominus odio suo indulgentes manus in eum iniiciant. Sed cum apud eos statutum sit ut Iesum perderent, id unum agunt ut modum inveniant commodum eum perdendi. Qua usi sint machinatione et vafritie ut eum per insidias e medio tollerent hoc illustratur eventu v. 13 *et mittunt ad eum quosdam ex pharisaeis et Herodianis;* ex oratione contexta summi sacerdotes et scribae et seniores (11,27), synedristae mittunt; similiter Luc. 20,19. 20 principes sacerdotum et scribae mittunt insidiatores; Matth. 25,15 solum nominantur pharisaei i. e. ii qui auctoritate praecipua in ipso synedrio valebant. Nam etsi summi sacerdotes ἀρχιερεῖς maximam partem erant a partibus sadducaeorum, scribae pharisaeis accensentur atque quantopere pharisaei prae sadducaeis auctoritate praediti fuerint facile colligitur ex eo quod *Iosephus* scribit : ab illis (sadducaeis) nihil fere agitur; nam si quando magistratus gerunt, inviti et necessitate coacti pharisaeorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus (Antiq. 18,1. 4); quod dicitur *mittunt quosdam ex pharisaeis* accuratius legitur apud Matth. : mittunt pharisaei discipulos suos *cum Herodianis* (de quibus vide ad 3,6) quorum pariter intererat, ut Iesus e medio tolleretur et quibuscum iam antea deliberarunt quomodo Iesum perderent. Cum quaestionem ponant quae ad reipublicae rationes spectet, Herodianos assumpsisse videntur, ut Iesus si responsione sua accusationem apud procuratorem romanum evaderet, in odium incideret et invidiam apud Herodem Galilaeae tetrarcham. Si enim populum Dei imperio romano subiiceret, incurreret odium et eorum qui studio legis ducti indignun censent aliis quam soli Deo servire et eorum qui a partibus Herodis stantes priscam Herodis magni dominationem et dignitatem reducere optabant. Si populum a subiectione romana eximeret, praesto erat praeses romanus ad hominem rebellem interimendum. Tali itaque machinatione instructi veniunt, *ut eum caperent in verbo,* ἀγρεύωσιν, ut eum quasi venatione capiant; cf. Matth. 22,15 παγιδεύειν laqueo posito capere, illaqueare, irretire; λόγῳ explicat *Weiss* de quaestione quam ponere volunt; sed recte alii de responso quod ab eo exspectant; nam sola quaestione non possunt eum illaqueare, sed responsione quam utique sua quaestione elicere student.

Accedunt prae se ferentes ac si solutionem disceptationis quam inter se agitassent ab eo expeterent eumque eligerent suum arbitrum in re qua eorum religio ac pietas non parum turbaretur. Quare summam ei laudem tribuunt tentantes adulatione decipere Dominum (*Theoph.*), v. 14 *qui venientes dicunt ei : magister scimus quia verax es et non curas quemquam* non est tibi curae de quopiam, ut scil. propter favorem aut timorem cuiusquam ratione habita tui vel commodi vel in-

commodi quidquam aut taceas aut dicas; nunc unde (forma chiastica) hanc de eo sententiam hauserint : *nec enim vides in faciem hominis*, non respicis personam hominis, citra respectum personarum agis et doces nec te movet dignitas aut sublimitas cuiusquam (*Erasmus*), *sed in veritate viam Dei doces*, ἐπ' ἀληθείας explanat *Euth.* ἀληθῶς vere, ita ut veritas requirit, secundum veritatem, qua laude prius encomium, quia verax es, explicant et probant; *viam Dei* docet i. e. illam viam quam Deus hominibus ingrediendam dedit et praescripsit, proinde mandata Dei eiusque voluntas intelliguntur quibus tota hominum sentiendi agendique ratio dirigatur. Universa haec laus, ut *Cai.* dicit, ex adulatoria officina ad provocandum Iesum ne timeat praeferre Deum Caesari procedit. Quare iam facile concludi potest quale responsum elicere desiderent; *licet dari tributum Caesari, an non dabimus?* accuratius graece duae quaestiones distinguuntur : licet censum dare Caesari necne? qua res magis in universum consideratur, sitne populo electo Dei ex lege Dei vel ex dignitate populo quasi innata licitum vel num non tributum solvere extraneo sit iniuria uni regi populi, Deo scil., illata. Dein altera quaestio sequitur a priore distincta : demus an non demus? quid rerum conditionibus spectatis agendum censes? Nam etsi secundum doctrinam licet, non continuo sequitur id quoque vel faciendum esse vel expedire ad maius bonum privatum aut publicum ut fiat. « Totum hoc artificium erat utrimque habens praecipitia, ut si quidem diceret licere dare Caesari tributum, arguerent eum apud populum, tamquam qui eos in servitutem redigeret; sin diceret non persolvendum, accusarent eum ut ad seditionem populum moventem contra Caesarem » (*Theoph.*), id quod post tres dies non obstante responso Iesu homines pessimi revera fecerunt (Luc. 23,2) turpissimo mendacio.

« At fons sapientiae dolos illorum evasit » (*Theoph.*) v. 15 *qui sciens versutiam eorum* ὑπόκρισιν simulationem, qua scil. alii et aliter videri volunt ac sunt, personam induentes eorum qui sincere discere velint ut pie et religiose doctrinam ad usum traducant. Bene quoque eorum simulatio vocatur πονηρία (Matth. 22,18) et πανουργία (Luc. 20,23); *ait illis : quid me tentatis?* ne sibi superbe blandiantur quasi pessima mens lateret Iesum, sed ut cognoscant Iesum secreta cordium penetrare, ideo eos increpat cur se tentent (*Vict.*); *afferte mihi denarium, ut videam,* nummum scil. qui in commercio quotidiano erat. Iam res nummaria ab eo constituebatur qui in aliqua regione potestate suprema regnabat. Ita quamdiu principes et reges ex familia Machabaeorum imperabant, hi nummos cudebant suis nominibus inscriptos; item cudebat Herodes qui dicitur magnus, item in sua ditione Herodes Antipas etc.

(cf. *Schürer,* Geschichte des jüd. Volkes I p. 212. 218. 227 etc.); v. 16 *at illi attulerunt ei;* cur φέρετε et ἤνεγκαν? pharisaei forte sibi religioni ducebant secum habere nummum imagine imperatoris insignitum; quare eiusmodi nummus a nummulario erat afferendus (cf. *Fil.*); *et ait illis : cuius est imago haec et inscriptio? dicunt ei : Caesaris.* Cum itaque Caesaris nummis utantur et Caesar rem nummariam in Iudaea constituat, ei quoque se subiectos esse profitentur et proinde ad id tenentur quod subditi regibus solvere solent. Unde v. 17 *respondens autem Iesus dixit illis : reddite igitur quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo ;* maiore emphasi collocantur verba graeca τὰ Καίσαρος ἀπόδοτε. Addens autem, ut Deo reddant debita, non reliquit illis, ut *Vict.* ait, occasionem calumniandi quod adularetur imperatori. Simul declarat eo quod tributum solvant imperatori neminem impediri quominus omnibus officiis religionis ac pietatis quae Deus lege sua ab iis postulet plene satisfaciat. Sapientissima itaque responsione et insidias illorum elusit et speciem illam religionis quam prae se tulerint vanam esse et inanem ostentationem turbis quoque adstantibus manifestat; unde merito *mirabantur super eo* ἐξεθαύμαζον vehementer admirabantur; nam brevissime simul et efficacissime eorum machinationes destruit et eos pudore suffusos dimittit.

Uti populus Dei electus olim haud raro propter peccata dominationi et iugo alienigenarum subiiciebatur a Domino — exempla habes sat multa in libro Iudicum; eiusmodi minae iam in lege proponebantur et continuo a prophetis inculcabantur — ita Deo permittente Romani rebus iudaicis dominabantur. Exstiterunt quidem quandoque inter Iudaeos qui superbia et vanitate nationali abrepti et speciosum legis nomen praetendentes rem esse contenderent populo Dei plane indignam exteris solvere tributum. Talis v. g. fuit Iudas, vir quidam Galilaeus, qui populum ad defectionem excitabat ignavos dicens omnes quotquot Romanis tributum pendere sustinerent et post Deum mortales dominos agnoscerent (cf. *Iosephus,* Bell. iud. 2,8. 1; 2,17. 8. Antiq. 18,1. 6; 20,5. 2). De eo dicit Gamaliel : et ipse periit et omnes quotquot consenserunt ei dispersi sunt (Act. 5,37). Atque tali interitui synedristae Iesum quoque tradere tentabant. Quanta malitia id moliti sint, praeter alia inde conclude, quod ipsi dominationem Romanorum maxime abominabantur et tributum solvere aegerrime ferebant tamquam summum populi electi dedecus quod omni modo repellendum esset. Si vero Iesus id respondisset ut fieret quod ipsi fieri summopere desiderabant, si dixisset non esse solvendum, eum tamquam rebellem et hominem maxime perniciosum procuratori romano tradidissent occidendum. Tanto in Iesum odio flagrabant.

g) Quaestio de resurrectione 12,18-27.

12,18. Et venerunt ad eum Sadducaei, qui dicunt resurrectionem non esse; et interrogabant eum dicentes :

19. Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cuius frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater eius uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo. 20. Septem ergo fratres erant; et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine. 21. Et secundus accepit eam, et mortuus est; et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter.

22. Et acceperunt eam similiter septem, et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier.

23. In resurrectione ergo quum resurrexerint cuius de his erit uxor? Septem enim habuerunt eam uxorem.

24. Et respondens Iesus, ait illis : Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei? 25. Quum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in coelis.

26. De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquiens : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Iacob. 27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

12,18. Καὶ ἔρχονται Σαδδουκαῖοι πρὸς αὐτὸν, οἵτινες λέγουσιν ἀνάστασιν μὴ εἶναι· καὶ ἐπηρώτων αὐτὸν, λέγοντες, 19. Διδάσκαλε, Μωυσῆς ἔγραψεν ἡμῖν, ὅτι ἐάν τινος ἀδελφὸς ἀποθάνῃ, καὶ καταλίπῃ γυναῖκα, καὶ μὴ ἀφῇ τέκνον, ἵνα λάβῃ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ τὴν γυναῖκα καὶ ἐξαναστήσῃ σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ· 20. ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἦσαν· καὶ ὁ πρῶτος ἔλαβεν γυναῖκα, καὶ ἀποθνήσκων οὐκ ἀφῆκεν σπέρμα· 21. καὶ ὁ δεύτερος ἔλαβεν αὐτὴν, καὶ ἀπέθανεν μὴ καταλιπὼν σπέρμα· καὶ ὁ τρίτος ὡσαύτως·

22. καὶ οἱ ἑπτὰ οὐκ ἀφῆκαν σπέρμα. ἔσχατον πάντων καὶ ἡ γυνὴ ἀπέθανεν· 23. ἐν τῇ ἀναστάσει τίνος αὐτῶν ἔσται γυνή; οἱ γὰρ ἑπτὰ ἔσχον αὐτὴν γυναῖκα. 24. ἔφη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ; 25. ὅταν γὰρ ἐκ νεκρῶν ἀναστῶσιν, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε γαμίζονται, ἀλλ' εἰσὶν ὡς οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

26. Περὶ δὲ τῶν νεκρῶν, ὅτι ἐγείρονται, οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῇ βίβλῳ Μωυσέως, ἐπὶ τοῦ βάτου, πῶς εἶπεν αὐτῷ ὁ Θεὸς, λέγων, Ἐγὼ ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ Θεὸς Ἰακώβ; 27. οὐκ ἔστιν Θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων· πολὺ πλανᾶσθε.

In v. 19 τεκνον ℵ^{ca} B L Δ aliq minusc a c ff^{2} k cop arm ; rell τεκνα. In v. 20 επτα ουν C^{2} M al mu l vulg arm aeth ; ησαν ουν παρ ημιν επτα αδ D similiter b ff^{2} i q. In v. 21 μη καταλιπων σπερμα ℵ B C L Δ Ti W H ; και ουδε ουτος αφηκεν σπερμα A D X Γ Π unc 9 al pler it pl vulg syr (utr) go arm ; i totum versum omittit pergens post v. 20 : similiter acceperunt eam septem. In v. 22 breviter ℵ B C L Δ aliq minusc Ti W H cop arm sah, c deinde omnes septem et non reliq ; rell και ελαβον αυτην οι επτα και ουκ αφ. σπ. ; εσχατον ℵ B C G H K L Δ Π mu minusc a ff^{2} i q (novissime) sah cop syr (sch) aeth ; c et mulier relicta est sine filiis. In v. 23 εν τη ουν αναστασει A C^{2} K M Π D G al mu syr (sch) arm aeth a ff^{2} i l vulg ; οταν αναστωσιν A X Γ Π unc 9 al pler a ff^{2} g^{2} i l q vulg go arm aeth Ti ; id omittitur in ℵ B C D L Δ pauc minusc c k sah cop syr (sch) W H ; sed cum eiusmodi pleonasmus a dicendi genere Marci minime abhorreat, retinendus videtur (cf. 7,13 per traditionem vestram quam tradidistis ; 13,19 ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως ἣν ἔκτισεν ὁ θεός) c cui enim manebit uxor munda? septem enim illam habuerunt et ipsa mortua est ; in resurrectione autem cuius erit? similiter k cui remanet mulier munda? omnes enim septem illam habuerunt ; in anastasim cuius erit? In v.

24 *nonne* ideo erratis in big dub hub[1] theod ing for car lich mt ox ken tol val wil corp harl. In v. 25 *nubunt* big for lich ox rush harl; angeli *Dei* steph sixt. In v. 27 ken sed *Deus* vivorum; υμεις ουν πολυ πλαν. A D X Γ Π unc 9 al omn fere it pler vulg sah syr (utr) arm aeth; solum πολυ (πολλοι F H al pauc; G omittit) πλαν. ℵ B C L Δ k cop Ti WH.

Sadducaei quoque Iesu negotium facessere eumque in angustias adducere student. Omnino probabile est quod *Alb.* censet eos ex modo quo pharisaei de resurrectione et vita futura loquebantur suam deprompsisse difficultatem et obiectionem. Atque facile tibi persuaseris cum *Schegg* eos hac quaestione in angustias coniecisse pharisaeos qui quid responderent non reperirent. Idque haud obscure colligi videtur ex Luc. 20,39; cum enim Iesus eorum quaestionem dilucide diluisset, aliqui legis doctores non possunt non cum admiratione fateri : magister, bene (καλῶς, praeclare) dixisti; quam laudem isti doctores ei vix tribuissent, si eadem difficultas iam ab ipsis saepius sufficienter esset soluta et reiecta. Pharisaei conabantur Iesum traducere vel apud praesidem tamquam rebellem vel tamquam fautorem tyrannidis alienae apud populum; sadducaei eius tamquam doctoris famam imminuere et eripere student v. 18 *et venerunt ad eum sadducaei,* graece sine articulo; ergo aliqui, uti Luc. 20,27 quidam (τινὲς) sadducaeorum, *qui dicunt* οἵτινες quippe qui dicunt, qui scil. dicunt *resurrectionem non esse,* ut innuatur cur quaestionem talem ponant et qua mente fabulam illam de septem fratribus confinxerint; de sadducaeis vide Act. 23,8; etiam *Iosephus* refert eos negare animas permanere et supplicia et praemia fore post mortem (Bell. iud 2,8. 14); *et interrogabant eum dicentes* v. 19 *magister, Moyses nobis scripsit, ut si cuius frater mortuus fuerit et dimiserit uxorem* καταλίπῃ i. e. reliquerit uxorem *et filios non reliquerit* τέκνον (Matth. σπέρμα, Luc. ἄτεκνος), numerus singularis praeferendus est ex re ipsa et lege; per unum enim filium nomen et genus patris servabatur, *accipiat frater eius uxorem ipsius et resuscitet semen fratri suo;* dum apud Matth. legitur ἐπιγαμβρεύσει; cf. hebr. יבם, cum eius evangelium Iudaeis destinetur, Marcus et Lucas planiore modo pro suis loquuntur.

Lex illa statuitur Deut. 25,5 seq. legisque ratio est : primogenitum ex ea filium nomine illius (fratris defuncti) appellabit, ne deleatur nomen eius ex Israel; cf. Gen. 38,8. « Oblique autem ut dolosi aggressi fingunt narrationem quandam qua subvertatur resurrectio contexta re quae nunquam evenit neque forte eveniet » (*Theoph. Vict.*); v. 20 *septem (ergo) fratres erant;* « cur non duos vel tres fingunt, sed septem? quo magis ridiculam et absurdam reddant resurrec-

tionem » (*Vict. Theoph.*); quare enarrant septem deinceps fratres ex ordine mulierem eandem accepisse uxorem, neminem autem procreasse filium. Retinetur vox seminis ex lege Deut. 25,5 seq.; v. 22 ultimo omnium loco ἔσχατον *defuncta est et mulier;* v. 23 *in resurrectione ergo* tempore igitur resurrectionis omnium, quando, ut supponitur, ipsi quoque resurgunt, *cum resurrexerint,* ad morem obiicientium haec amplificatio et distincta mentio resurrectionis eorum de quibus agitur omnino consentanea est et cum insuper talis appositio a genere dicendi in hoc evangelio non aliena sit (vide lect. var.), cum multis testibus erit retinenda in textu; *cuius de his erit uxor? septem enim habuerunt eam uxorem;* « sperabant homines ineptissimi se hac quaestione non minus inepta Christum adeo intricaturos ut vel silere cogerent vel nil nisi futilia respondere, ita et tacite saltem fateri resurrectionem non esse » (*Patr.*); *S. Hier.* et *Beda* quamvis fabulam a sadducaeis fictam dicant tamen fieri posse aiunt, ut vere in gente eorum aliquando hoc acciderit; et certe licet supponere, etsi non de septem, saltem de uno alterove tale quid innotuisse; alioquin enim facile nodum expedire potuissent pharisaei dicentes cautum esse a Deo ne tale quid eveniret et eo modo dissolvi id quod obiectum esset.

Verum qui confundere volebant ipsi confundebantur v. 24 *et respondens Iesus ait illis : nonne ideo erratis non scientes Scripturas neque virtutem Dei?* interrogatio ponitur pro vehementi assertione; nonne propterea erratis quod nec Scripturas nec virtutem Dei cognoscitis? Disceptant sitne διὰ τοῦτο referendum ad antecedentia vel ad subsequentia. Utrumque *Euth.* proponit : διὰ τοῦτο, ποῖον; διὰ τὸ οὕτως ἐμπαθῶς ὑπολαμβάνειν περὶ τῆς ἀναστάσεως : propter hoc quia adeo carnaliter de resurrectione sentiatis; simili modo ad antecedentia spectare censet *Weiss* approbans quod habet Bengel : ipse sermo vester prodit errorem vestrum, Christum scil. ex quaestione ab ipsis proposita et ex conditione illa conficta inferre eorum errorem. Sed plerique referunt ad subsequentia, ut *Euth.* secundo loco : ἢ διὰ τὸ μὴ εἰδέναι, propter hoc erratis quia nescitis etc. cf. *Beda, Patr. Schegg, Bisp. Schanz, Fil.* et διὰ τοῦτο et similia ita adhiberi ab antiquis sat multis exemplis vide probatum in Studien und Kritiken 1843 p. 137 seq. eandemque interpretationem sequuntur *Grotius, Fritzsche, Meyer, Winer* etc. quae profecto magis obvia est. Duas erroris causas assignat, sicut duplici quoque errore tenebantur, tum quia non putabant fore resurrectionem, tum quia putabant, si esset, talem fore vitam qualem nunc homines vivant. Et prius quidem Iesus hunc ultimum errorem evertit declarans simul quae sit virtus Dei qua

scil. alius vivendi modus in resurrectione exsistat v. 25 *cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent neque nubentur;* etiam apud profanos nubere quandoque de viris dicitur; exempla praebent lexica et *Kaulen*, Handbuch z. Vulg. p. 155; ceterum monet *S. Hier.* : « nos simpliciter dictum intelligamus quod nubere de viris et nubi de uxoribus scriptum sit »; inde sequi corpora post resurrectionem quoque fore integra cum omnibus membris iam intulit *S. Hier.; sed sunt sicut angeli in coelis;* « spiritualis repromittitur conversatio; sunt sicut angeli qui gloria resurrectionis innovati absque ullo mortis metu, absque ulla labe corruptionis, absque ullo terreni status actu perpetua Dei visione fruuntur » (*Beda*). Quamvis aliqui, ut *Salmeron* t. 8 tract. 61, *Cai. Fil.*, hanc doctrinam ex sola Dei virtute proponi affirment, tamen dicendum videtur etiam ex Scriptura potuisse sadducaeos discere fore ut in altera vita neque nubant neque nubantur et proinde utrumque errorem etiam ex ignorantia Scripturarum originem ducere. Nam quae ad constituendam hanc doctrinam requiruntur, sine dubio in sacris litteris veteris foederis continentur. Vita enim apud Deum est incorrupta et immortalis; ideoque tollentur nuptiae; nunc enim nuptiae fiunt ut successione generis homines non intereant (*Theoph. Alb.*); et cum pro hominibus haec vita in terris agenda praemium vel poenam in altera mereatur, hoc ipso Dei consilio fieri nequit, ut in vita aeternitatis novi procreentur homines. Haec duo ex s. litteris colligi nequit negari, ex hisce autem sequitur : neque nubent neque nubentur.

Ipsam autem fore resurrectionem, ex Scriptura Iesus declarat; obiecerant illi Moysen, ex libro Moysis Iesus eos refutat (cf. *Vict. Theoph.*) v. 26 *de mortuis autem quod resurgant non legistis in libro Moysi super rubum* i. e. eo loco quo de rubo ardenti et non combusto sermo est, Ex. 3,6; similiter Rom. 11,2 in Elia quid dicit Scriptura? i. e. 3 Reg. 19,10. 18; est modus citandi apud veteres, uti v. g. Philo quoque locum Deuteronomii allegat : in maiore hymno, textum Levitici : in lepra (cf. *Cornely*, Introd. I. p. 35); capitulorum enim distinctionem veteres non habebant; *quomodo dixerit illi Deus inquiens : ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob?* qui scil. foedus cum patriarchis iniit, iis promissiones dedit : ego ero merces tua magna nimis et ut Deus eorum pro ipsis est fons omnium bonorum, eorum dominus, protector; ego ero illis in Deum, ero illorum Deus, hisce et similibus Deus sua promittit beneficia cunctaque bona; quare quorum se dicit Deum, dominum, protectorem, largitorem omnium bonorum, illi certe vivere debent; quare summa probationis vi infert *non est Deus mortuorum sed vivorum,* et solum vivi eum pro Deo habent et habere possunt. Cum sadducaei resurrectionem

ideo negarent quia animas simul cum corpore mori et exstingui putarent, quam primum probatum est animas esse superstites, iam iis etiam satisfactum est mortuos quoque revicturos esse. Nam, ut bene *Cai.* dicit, radix negandi resurrectionem apud sadducaeos erat interitus animae simul cum corpore; unde evellendo hanc radicem convincit ipsos de resurrectione. Ceterum homo, Abraham etc. non dicitur sola anima, sed totum compositum humanum. Deus itaque dicit se remuneratorem hominis, proin sicut anima in corpore et cum corpore meruit, ita anima et corpus quoque praemium accipiat necesse est; homo meruit, ergo conveniens est, ut homo quoque habeat et percipiat mercedem. Argumentatio Christi eo magis ferit sadducaeos, si forte iactarunt Deum non esse Deum mortuorum; ideoque mortuos iam nullo modo exsistere. Praeterea quam nexu indissolubili animae immortalitatem et resurrectionem inter se esse colligatam Iudaei crediderint, elucet quoque ex 2 Mach. 12,43. 44, quia Iudas scil. credidit eos qui in proelio occisi erant resurrecturos, ideo pro mortuis orationes et sacrificia offerenda curavit. Cf. Comment. Matth. II p. 260 seq.

Profecto cum toties audierint illa verba *Deus Abraham* etc. neque tamen iis in mentem venerit Deum non posse appellari Deum eorum qui nullatenus exsistunt, Deum non exsistentium, iure Iesus concludit satis graviter et breviter πολὺ πλανᾶσθε, *(vos ergo) multum erratis,* « non utcumque, sed multum: hoc autem addit tamquam eorum insipientiam manifeste arguens » (*Euth.*). Et quia ex verbis adeo notis tam perspicue sadducaeos erroris arguit et eorum sophisma tam dilucide dissolvit, audientes turbae mirabantur in doctrina eius (Matth. 22,33); neque solum turbae, sed etiam legis doctores v. 28 et Luc. 20,39. Adnotat *Salmeron* l. c. nos ea argumentatione Christi doceri in Scripturis vere contineri id quod evidenti vel necessaria consequentia inde deducatur: neque enim in loco quem Christus alleget expresse mortuorum resurrectionem asseri, sed ex eo in bona consequentia deduci.

h) Quaestio de primo mandato 12,28-34.

12,28. Et accessit unus de scribis qui audierat illos conquirentes, et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum. 29. Iesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est. 30. Et diliges Dominum Deum

12,28. Καὶ προσελθὼν εἷς τῶν γραμματέων ἀκούσας αὐτῶν συνζητούντων, εἰδὼς ὅτι καλῶς ἀπεκρίθη αὐτοῖς ἐπηρώτησεν αὐτὸν, Ποία ἐστὶν ἐντολὴ πρώτη πάντων; 29. ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς ὅτι Πρώτη ἐστίν Ἄκουε, Ἰσραήλ· Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν Κύριος εἷς ἐστί. 30. καὶ ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης καρδίας σου, καὶ ἐξ

tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. 31. Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Maius horum aliud mandatum non est.

32. Et ait illi scriba : Bene, Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius praeter eum. 33. Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine; et diligere proximum tamquam se ipsum, maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis. 34. Iesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longe a regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.

ὅλης ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου. [αὕτη πρώτη ἐντολή.] 31. δευτέρα αὕτη· Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. μείζων τούτων ἄλλη ἐντολὴ οὐκ ἔστιν. 32. εἶπεν αὐτῷ ὁ γραμματεύς, Καλῶς, διδάσκαλε, ἐπ' ἀληθείας εἶπας, ὅτι εἷς ἐστιν καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ. 33. καὶ τὸ ἀγαπᾶν αὐτὸν ἐξ ὅλης καρδίας, καὶ ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος, καὶ τὸ ἀγαπᾶν τὸν πλησίον ὡς ἑαυτόν, περισσότερόν ἐστιν πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ θυσιῶν. 34. καὶ ὁ Ἰησοῦς, ἰδὼν αὐτὸν ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη, εἶπεν αὐτῷ, Οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. Καὶ οὐδεὶς οὐκέτι ἐτόλμα αὐτὸν ἐπερωτῆσαι.

In v. 28 ειδως $\aleph^c$ A B X Γ Δ unc 9 al longe pl sah cop; al ιδων; εντολη πρωτη παντων $\aleph$ B C L U Δ aliq minusc cop syr (utr) ev hier aeth; om παντων D a b c ff^2 g^2 i k q arm. In v. 29 Deus *noster* a b ff^2 k l q et codd vulg pler; tuus habent ev hier dub theod ing car lich tol val wil. In v. 30 add αυτη πρωτη εντολη A D K U Π Γ unc 8 al pler it pler vulg ev hier go syr (utr) arm aeth Cyp Hil. In v. 31 δευτερα αυτη $\aleph$ B L Δ sah cop; al ομοια αυτη. In v. 32 εις εστιν θεος D E F G H al sat mu ev hier a b c ff^2 i q ept (marg) mt ox ken rush tol val sax sah cop arm Hil. In v. 33 add εξ ολης της ψυχης A D X Γ Π unc 9 al pler b c ff^2 i l q vulg sah syr (utr) go aeth Hil; omittunt $\aleph$ B L Δ aliq minusc a cop arm Ti W H; περισσοτερον $\aleph$ B L Δ 33 Ti W H; al πλειον. In v. 34 a et cum vidisset eum Iesus quia sensate respondit.

Ex Matth. 22,34 pharisaei cum audissent sadducaeis esse silentium impositum a Christo « convenerunt in unum et interrogavit eum unus ex eis legis doctor tentans eum » ; unde satis apertum est legis doctorem esse a pharisaeis missum ut quaestione sua Iesum tentaret. In narratione apud Marcum nihil dicitur de conatu vel voluntate tentandi; immo legis doctor laudat Iesum et ipse quoque aliquid laudis et approbationis a Christo accipit. Verum nisi quis duas has narrationes inter se pugnare perfracte contendere voluerit, facile modus reperitur eas inter se conciliandi. Accedit scil. missus a pharisaeis, accedit quoque cum animo tentandi, verum non adeo malevolo, uti iam ex v. 28 patet; verum sublimi Christi responsione eiusque benevolentia qua respondit captus mentem aliam induit eamque meretur laudem quam Iesus ei tribuit (cf. *Vict. Theoph. Euth.*); « audita responsione Christi dedit honorem veritati » (*Cai.*). Aliis placet illud tentare apud Matthaeum benignius ac mitius accipere i. e. ut significet solum explorare, expe-

rimentum sapientiae Christi capere, vel specimen (cf. *Ians. Lamy, Patr.*), uti simul cum altera acceptione *Beda* quoque proponit : « aut certe ipsam tentationem non accipiamus malam tamquam decipere volentis inimicum, sed cautam potius tamquam experiri amplius volentis ignotum »; simili modo *Lap.* qui tamen addit ipsum coram pharisaeis finxisse se velle Iesum irretire et capere, verum in animo suo sensisse aliter. Sed dubito num hae explicationes ad narrationem primi evangelii satis congruant. Neque cum ea constare potest quod *Bisp.* opinatur πειράζων dici quia illi qui eum miserint habuerint voluntatem tentandi et quia quamvis talis voluntas in ipso legis doctore non fuerit, tamen ipsa quaestione aliqua contineatur tentatio. Quae explicatio a notione scribae *tentantis* satis recedit neque ea opus est, ne Marcus videatur contradicere Matthaeo.

Cur iste scriba facile cesserit consilio pharisaeorum, de quo nos edocet Matthaeus, vel cur fortasse se sponte obtulerit ad Dominum quaestione proposita tentandum, nobis innuit Marcus v. 28 *et accessit unus de scribis qui audierat illos conquirentes et videns quoniam bene illis responderit;* audiens disceptantes scil. sadducaeos cum Christo accedit; ex Christi responsione discit quam sapienter nodum solverit; εἰδώς sciens, intelligens Iesum egregie, praeclare καλῶς respondisse ipse quoque studio capitur spinosam quaestionem doctori sapienti proponendi. Sententiam graecam bene expressam in vulg. legimus; iungenda enim sunt participia ita ut ἀκούσας pertineat ad προσελθών et reddat rationem cur accedat, εἰδὼς autem referatur ad ἐπηρώτησεν et explicet cur interrogaverit (cf. *Schanz, Keil, Weiss*). Aliter quidem *Schegg* coniungit : unus de scribis audita eorum disputatione sciens quod sapienter respondisset accessit et interrogavit; at obstat collocatio verborum, qua προσελθών initio ponitur et arcte cum ἀκούσας iungitur; *interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum*, πάντων non refertur ad ἐντολή, sed ad ea omnia et singula quae praecipiuntur in mandatis; ποία *quale* mandatum est magnum (Matth. 22,36) i. e. maximum vel praecipuum in lege, ergo primum omnium. Unde eadem est notio quae apud Matthaeum. Putant aliqui Marcum non dixisse magnum, quia Romanis illa scribarum disquisitio de praeceptis magnis et parvis fuisset ignota.

Iam ex eo quia Iesus ad quaestionem sine ulla interrogantis reprehensione respondet et adeo plene respondet concludendum est scribam non accessisse animo plane malevolo. Iesus itaque qui sciebat quid esset in homine et qui calamum quassatum non conterit neque linum fumigans exstinguit (Ioan. 2,25. Is. 42,3) illam animi boni scintillam fovet et hominem ad meliora promovere studet v. 29 *Iesus autem re-*

spondit ei, quia primum omnium mandatum est : audi Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est; cf. Deut. 6,4 audi Israel : Iahve Deus noster (unde in graeco bene hic ἡμῶν; vide lect. var.; Deus *noster* etiam in vulg. edidit *Wordsworth* ex codd pl) Iahve unus; cum in graeco tetragrammaton יהוה reddi soleat Κύριος apud LXX, etiam hic legimus : Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν Κύριος εἷς, Iahve, Deus est unus; Israel non habet alium Deum neque alius deus exsistere potest. Quare cum Deus sit *noster*, fons omnium bonorum pro nobis, et *unus* et unicus, etiam a nobis omni studio et intentione diligendus est sine ulla amoris in plures deos vel bonorum largitores divisione; v. 30 *et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota mente tua et ex tota virtute tua;* cf. Deut. 6,5 hebr. et diliges Iahve Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua et in tota virtute tua; longe plerique testes apud Marcum habent membra quattuor; solum D H 157. evangelist. n. 49 c ff^2 g^1 k Cyp omittunt και εξ ολης τ. διανοιας, quibus ev hier quoque consentit. In textu LXX tria leguntur membra διανοίας, ψυχῆς, δυνάμεως; sed pro διανοίας affertur lectio varians καρδίας.

Tam sedula enumeratione id unum effertur et inculcatur, ut Deus diligatur viribus omnibus (*Theoph.*), omni studio et intentione (*Lamy*) tantum quantum possumus et ut omnia quae habemus illi impendamus (*Mald.* sim. *Lap.* dicit idem omnibus vocibus illis significari), vel hisce amorem ad perfectionem adduci (*Vict.*). Alii tamen hac generali acceptione non contenti singula ad certam notionem redigere student. Et certe verba ita seliguntur, ut totus homo cum omnibus suis facultatibus et operationibus iubeatur dilectioni Dei sese impendere idque non qualicumque modo, sed ex tota virtute. Cor quidem Hebraeis est et intellectus et voluntas; animam intellige vitam quam dicunt sensitivam, passiones quoque; mens διάνοια (idem ac σύνεσις v. 33 quod iam *Euth.* notat) est cogitandi sentiendique ratio; proinde indicatur hominem omnibus suis potentiis ad Deum tendere, omnia sua ad Deum dirigere debere. Itaque in intellectu efformanda est notio de Deo quantum fieri potest maxime sublimis consideratione frequenti maiestatis et perfectionis divinae quae intellectui et lumine rationis ex eius operibus et illustratione doctrinaque fidei innotescit; ex hac autem intelligentia inflammetur oportet voluntas ad Deum intimo affectu desiderandum, amplectendum, diligendum; dein facile consequitur, ut tota sentiendi agendique ratio dirigatur ad Dei voluntatem faciendam, ad laudem eius et gloriam promovendam.

Unde enascitur ut quod theologi communiter explicant Deus diligatur summopere appretiative, comparative, finaliter. Et appretiative quidem, ut

nihil comparatione Dei aestimes, sed pro Deo omnia parvipendas, ac proinde ut totum cor et voluntatem illi applices, ut tota mente et anima eius praecepta adimpleas; comparative, ut nullam partem tui amoris des alicui rei Deo repugnanti; finaliter, ut toto affectu velis Deum esse finem totum et ultimum omnium cogitationum, ita ut ipsum ut summum bonum ac finem ultimum rebus omnibus praeferas et anteponas (*Sylv.*).

Voces vero singulas alii aliter concipiunt. Id quod partim iam in ipsis versionibus adverti potest. Ita quod graece habetur ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου redditur in a b i ex totis viribus tuis, q ex toto sensu tuo, l vulg ex tota mente tua; apud S. Hilarium legitur : ex totis visceribus tuis. Et *Alb.* quidem cor explicat de voluntate, Deum diligi ex toto corde, ita quod nihil voluntatem ab eius amore possit illicere et abstrahere; animam concipit de intellectu, ut Deus ex intellectu sine ulla obnubilatione phantasmatum diligatur; mentem accipit de memoria; virtutem denique, ut omnes vires Deo serviant et ad ipsum expendantur. Dein ad v. 33 haec disserit : diligendus est Deus intimo affectu, quia ipse dulcedo est cordis; ex tota mente, ut omnia diligibilia per rationem mens moveat ac mensuret; ex toto intellectu, quia lux est intellectus sine obnubilatione et ideo dilectio eius non vult aliquid tetrum sibi admisceri sed in lumine manifestari sine errore; ex anima quae est principium et causa vitae, ut tota vita referatur ad ipsum qui vita est animae nostrae; ex tota fortitudine, ut nihil nos abstrahat ab ipso, sed omnes vires nostrae expendantur in ipso. Aliter *Dion.*, ut Deus scil. diligatur toto desiderio et affectu (corde), anima i. e. secundum vires animales et sensitivas vel appetitum sensitivum qui in concupiscibilem et irascibilem dividitur; mente, toto intellectu et intentione, idque totis viribus. Porro adnotat praeceptum istud intelligi posse quantum ad actum, ita ut homo semper actualiter feratur in Deum et hanc esse perfectionem patriae coelestis quae in viatoribus exsistere nequeat; dein quantum ad habitum et actum proportionatum, ut homo nihil operetur contrarium caritati. Similiter advertit *Cai.* ex toto corde i. e. ex tota voluntate intelligi posse vel positive, ut omnis vis voluntatis apponatur ad diligendum Deum et id impletum iri in coelo, vel negative, ut nihil in corde sit contrarium dilectioni Dei et adimpletioni mandatorum; ex anima diligere id esse declarat, ut opera ad animalem vitam spectantia dilectioni Dei subiiciantur, ut in eiusmodi operibus obsequi dilectioni Dei neque in sensualibus delectationibus admittere quidquam quod dilectioni Dei sit contrarium homo velit, verum cuncta ordinet ad dilectionem Dei. Mentem ipse quoque de intellectu accipit, ut intellectus a dilectione Dei motus et imperatus assentiatur iis quae sint fidei.

Alia vide si lubet apud S. Thomam, 2 2 qu. 27 art. 5; qu. 44 art. 4. 5 seq. et eius opusculum de dilectione Dei et proximi (opusc. 54 in editione Vivès, Parisiis 1875); Salmeron t. 8 tract. 62-64; Suarez, tract. de charitate disp. 5 s. 1; Mazella, de virtutibus infusis Romae 1879 p. 696 seq. et cf. Comment. in Matth. II p. 268.

Additur (quod glossa videtur vel ex Matth. 22,38 deprompta, ut alibi quoque eo modo textus Marci auctus est, vel ex v. 28 et 29 efformata) apud multos testes *hoc est primum mandatum*, praecipuum, maxime egregium ac nobile; « primum in intentione legislatoris, quia hoc praecipue intendit et magnum quantitate virtutis in genere mandatorum, utpote excedens reliqua et virtualiter continens reliqua » (*Cai.*). Adiungit Iesus aliud quod ex dilectione Dei fluit et cum ea in una virtute theologica connectitur v. 31 *secundum autem simile est illi*, δευτέρα αὕτη, vide lect. var., ὁμοία pariter videtur glossa ex Matth. transsumpta; cur enim talia addantur ex loco parallelo facile explicatur; cur vero apud eximios testes omissa sint, si in archetypo exstitissent, nulla ratio solida afferri potest. Addidisse Iesum hoc praeceptum quia qui miserint ad interrogandum non habuissent caritatem erga alios qua ipse quoque scriba caruisset, opinantur *Vict. Theoph. Euth.;* quae ratio certe nimis est exigua. Melius *Patr.* notat : « satisfacit deinde illius scribae desiderio atque exspectationi aliud addens idque docens quod nondum quisquam docuerat, simile illius primi de Deo diligendo esse alterum praeceptum de diligendo proximo in Lev. 19,18 »; cf. ad Matth. 5,43 (Comment. I p. 240 seq.). Dicitur autem simile secundum *Alb.* propter tria : quia in proximo non diligitur nisi Deus, refertur enim dilectio imaginis Dei ad honorem et dilectionem Dei; dein quia est unus habitus virtutis, et quia sicut Deus diligitur propter Deum, sic et proximus non diligitur nisi propter Deum. Est itaque simile in dilecto, in forma dilectionis et in fine. Ita ille; *diliges proximum tuum tamquam teipsum;* qui enim Deum diligit, diligit et facturam eius; homo autem maxime propria factura Dei est (*Theoph.*) neque vera est dilectio Dei quae non habeat adiunctam dilectionem proximi (*Vict.*). Modus et norma eius dilectionis qua simul constet utrum vera dilectio habeatur necne, continetur in membro *tamquam teipsum,* cuius quasi commentarium praebent illa Iesu verba : omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines et vos facite illis (Matth. 7,12. Luc. 6,31). Est quippe diligere velle alteri bonum.

Explicite demum Iesus declarat hac sua responsione satisfactum esse quaestioni sibi propositae *maius horum aliud mandatum non est* i. e. his maius, maius quam haec, mandatum non invenitur. Est autem istud maius generalitate ambitus et dignitatis excellentia et permanentia aeternitatis (*Alb.*); complectitur quippe praeceptum dilectionis Dei omnia primae tabulae mandata; praeceptum autem dilectionis proximi comprehendit omnia mandata secundae tabulae; qui enim diligit proximum legem implevit, id quod apostolus ostendit Rom. 13, 9. 10 et 1 Cor. 13,4-8 et Gal. 5,14. Est autem excellentia dignitatis

praeclare quoque demonstrata ab eodem apostolo qui caritatem praeferendam esse docet donis omnibus aliis et charismatis; insuper caritas nunquam excidit, cum tamen prophetiae et linguae et scientia cessatura sint (1 Cor. 13,1-8). Maius hoc praeceptum est omnibus etiam ideo quia omnia reliqua ad id tendunt ut Deum diligamus ex toto corde et proximum sicut nos ipsos (*Mald.*), id quod Christus significat dicens: in his duobus mandatis universa lex pendet et prophetae (Matth. 22,40).

Atque hac Christi responsione sublimi, qua docemur quanta animi contentione, alacritate, studio Deus sit diligendus et qua inter ipsos homines pax summa et felicitas constitui potest, scriba magna admiratione Iesu afficitur et palam profitetur quam praeclare docuerit v. 32 *et ait illi scriba : bene, magister, in veritate dixisti;* iunge καλῶς ἐπ' ἀληθείας egregie secundum veritatem, verissime, *quia unus est* (*Deus*) *et non est alius praeter eum*, v. 33 *et ut diligatur ex toto corde et ex toto intellectu* συνέσεως, cf. supra διανοίας et esse eiusdem notionis *Euth.* notat, *et ex tota anima* (vide lect. var.; videtur additum ex v. 30) *et ex tota fortitudine*[1], τὸ ἀγαπᾶν αὐτόν etc. scil. diligere Deum eo modo quo dictum est *et diligere proximum tamquam seipsum maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis;* iam satis se ostendit recessisse a consuetudine pharisaeorum qui omnem religionem in observantiis externis collocabant et relinquebant quae graviora sunt legis : iudicium, misericordiam et fidem; cf. Matth. 23,23. Holocausta, cum tota victima cremaretur, genus sacrificiorum censebatur praeclarissimum; sacrificia, θυσίαι aliqui explicant de fertis, de oblatione incruenta, quae ad unumquodque sacrificium cruentum addebatur vel generatim de dono et oblatione quacumque (cf. *Schegg, Schanz*). Cum θυσία apud LXX haud raro eo sensu adhibeatur (Gen. 4,3. 5, pro hebr. מִנְחָה, item Ex. 29,41; 30,9 et saepe Lev. 2. 6. 14. 23 et Num. 4,16; 5,15 etc.; secundum Concordantias Trommi ita ponitur θυσία in plus 140 locis) et cum omne sacrificiorum genus apte hoc loco notetur, haec vocis acceptio probanda erit.

Approbat Iesus quod scriba rite intellexerit in qua re vera consistat pietas v. 34 *Iesus autem videns quod sapienter respondisset dixit illi : non es longe a regno Dei*, « ex quo iam veritatem mandati Dei cognovisti et traditiones hominum non praetulisti » (*Alb.*). Bonam prae se fert animi habitudinem, Iesum non iam pharisaeorum more prosequitur invidia, sed doctrinam eius laudat; unde spes est fore ut fide in

1. Ceterum testes latini satis discrepant; a ex toto corde et ex omni virtute et ex omnibus viribus; b i Hil ex toto corde et ex totis viribus et ex tota anima; c ff² ex toto corde et ex tota anima et ex tota virtute; q ex toto corde et ex omni virtute et ex omnibus viribus et ex tota anima sua; l uti vulg.

Iesum tamquam Messiam suscepta regni messiani eiusque bonorum fiat denique particeps; abest autem a regno Dei quia caret vera fide in Iesum (*Alb. Lap. Fil.*) vel ut *Calm.* dicit: verae solidaeque religionis fundamenta tenes; ut in gregem meum meamque Ecclesiam admittaris unum superest, ut mihi credas. Cum Iesus videat scribam respondisse νουνεχῶς sapienter vel prudenter eumque dicat non longe abesse a regno Dei, certe non dicendum erit cum *Schegg* verba Iesu idem fere sonare ac si diceret : etiam optimus scribarum non est aptus ad regnum coelorum. Insuper adverte Iesum magna benevolentia cum eo egisse. Postquam et pharisaei et sadducaei magno rubore coacti sunt a disputatione cum Christo recedere et insuper legis doctor palam sapientiam Iesu laudavit, *nemo iam audebat eum interrogare,* eo scil. modo quo isti interrogaverant, ut Iesum tentarent eumque in angustias adducere conarentur. Triumphus est victoris super tentatores, ut *Alb.* dicit.

Ex eo quod Christus sententiam scribae laudat aliqui ex protestantibus miras inferunt conclusiones (cf. *Schanz*); ita *Keim* inde deducit cultum Dei verum consistere in officiis proximo praestandis (der wahre Gottesdienst ist der Naechstendienst). At quod Christus laudat est τὸ ἀγαπᾶν αὐτὸν (i. e. Θεόν) ex toto corde etc. καὶ τὸ ἀγαπᾶν τὸν πλησίον; haec duo maxime commendantur. Sed quomodo quis Deum diligat ita ut eum non colat, non adoret, non honoret non eius gloriam promoveat, non ei palam exhibeat reverentiam!! Etiam peius infert *Holtzmann* ea laude Christum reprobare actus cultus divini quibus Ecclesia catholica veterum paganorum more (das gesammte katholische Heidenthum) aliquid a Deo impetrare studeat. Sed cum Deum diligere iubeamur, iubemur quoque eum colere et honorare i. e. virtutem religionis exercere et privatim et publice. Iam virtutis religionis actus praestantissimi sunt oratio et sacrificium. Porro ex natura sacrificii in Ecclesia catholica quod offertur consequitur Deo praestari honorem summum, divinae maiestati plane condignum. Quare qui Deum diligit non potest non desiderare intimo affectu ut talis honor et adoratio Deo continuo et a quam plurimis exhibeatur. — Qui talia obiiciunt solum ostendunt se ne prima quidem elementa scire doctrinae Ecclesiae de oratione et sacrificio; cf. *Suarez,* de virtute religionis.

i) Ultima in templo verba 12,35-44.

12,35. Et respondens Iesus, dicebat docens in templo : Quomodo dicunt scribae Christum filium esse David? 36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 37. Ipse ergo David dicit eum Dominum; et unde est filius

12,35. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς ἔλεγεν διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ, Πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς, ὅτι ὁ Χριστὸς υἱὸς Δαυείδ ἐστιν; 36. αὐτὸς Δαυεὶδ εἶπεν τῷ Πνεύματι τῷ Ἁγίῳ, Εἶπεν Κύριος τῷ κυρίῳ μου, Κάθισον ἐκ δεξιῶν μου, ἕως ἂν θῶ τοὺς ἐχθρούς σου ὑποκάτω τῶν ποδῶν σου. 37. αὐτὸς οὖν Δαυεὶδ λέγει αὐτὸν κύριον· καὶ πόθεν

eius? Et multa turba cum libenter audivit.

38. Et dicebat eis in doctrina sua : Cavete a scribis, quí volunt in stolis ambulare, et salutari in foro. 39. Et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in coenis; 40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixae orationis; hi accipient prolixius iudicium. 41. Et sedens Iesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba iactaret aes in gazophylacium, et multi divites iactabant multa. 42. Quum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans. 43. Et convocans discipulos suos ait illis : Amen dico vobis, quoniam vidua haec pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. 44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt; haec vero de penuria sua omnia quae habuit misit totum victum suum.

αὐτοῦ ἐστὶν υἱός; Καὶ ὁ πολὺς ὄχλος ἤκουεν αὐτοῦ ἡδέως.

38. Καὶ ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ ἔλεγεν, Βλέπετε ἀπὸ τῶν γραμματέων, τῶν θελόντων ἐν στολαῖς περιπατεῖν, καὶ ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, 39. καὶ πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, καὶ πρωτοκλισίας ἐν τοῖς δείπνοις· 40. οἱ κατέσθοντες τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι· οὗτοι λήμψονται περισσότερον κρίμα.

41. Καὶ καθίσας ἀπέναντι τοῦ γαζοφυλακίου, ἐθεώρει πῶς ὁ ὄχλος βάλλει χαλκὸν εἰς τὸ γαζοφυλάκιον. καὶ πολλοὶ πλούσιοι ἔβαλλον πολλά· 42. καὶ ἐλθοῦσα μία χήρα πτωχὴ ἔβαλεν λεπτὰ δύο, ὅ ἐστιν κοδράντης. 43. καὶ προσκαλεσάμενος τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἡ χήρα αὕτη ἡ πτωχὴ πλεῖον πάντων ἔβαλεν τῶν βαλλόντων εἰς τὸ γαζοφυλάκιον. 44. πάντες γὰρ ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς ἔβαλον· αὕτη δὲ ἐκ τῆς ὑστερήσεως αὐτῆς πάντα ὅσα εἶχεν ἔβαλεν, ὅλον τὸν βίον αὐτῆς.

In v. 36 αυτος γαρ A X Γ Π unc 9 al pler ev hier b i l q vulg (dub autem) go syr (utr) aeth Hil. In v. 36 υποποδιον ℵ A L X Γ Δ Π unc 9 al fere omn it vulg syr (utr) ev hier (scabellum sub pedibus tuis) Ti; υποκατω B D 28 sah cop. In v. 37 αυτος ουν A X Γ Π unc 8 al pler b l vulg syr (sch) ev hier arm aeth. In v. 38 D add και των τελωνων; aliq minusc φιλουντων ασπασμους, item syr (sch) arm. In v. 40 κατεσθοντες B; rell κατεσθιοντες Ti; a c ff^2 q ken occasione longa orantes ; ken add viduarum *et pupillorum* ; i oratione longa utentes, d sub obtentu orantes, c oratione prolixa orantes et haec in oratione faciunt, k ista faciunt in excusatione longa. In v. 41 pler κατεναντι Ti. In v. 42 *paupercula* dub theod lich ken.

Hic enumerantur ultima quae Iesus in templo egit et dixit, antequam egrediatur e templo iam non reversurus. Uti in primo ingressu in templum, cum vitam publicam agere inciperet, statim se ex vaticinio Malachiae (3,1) Dominum templi ostendit et eiectis e templo mercatoribus proceres reprehendit (Ioan. 2,14 seq.), ita nunc quoque in templo suo docet de dignitate Messiae et vitia perstringit eorum qui curam templi et populi habere debebant; addit tertium, scil. laudans viduam pauperem manifestat indolem regni sui et declarat qua norma actiones singulorum aestimentur apud Deum.

Prius illud de Messiae dignitate accuratius et plenius apud Matth. 22, 41 seq. habetur. Disceptatio et colloquium cum pharisaeis apud Marcum quoque innuitur eo quod dicitur v. 35 *et respondens Iesus dicebat,* disceptationem actam esse populo adstante, indicatur verbis *docens in templo;* cum autem Marcus ipsam disceptationem non referat, sed

solum eius argumentum tangat, dicit : *quomodo dicunt scribae Christum filium esse David?* Messiam scil. filium David eo sensu dicebant ut expectarent eum sicut David regnum temporale conditurum et tamquam unum e posteris Davidis thronum Davidis instauraturum et sicut David gentes suo imperio subiecturum esse. Iesus itaque ut ostendat notionem talem de Messia esse falsam et repugnantem Scripturae et ut ad originem altiorem Messiae eos reddat si voluerint discere attentos, hanc ponit quaestionem (cf. *Vict. Patr. Schegg*). Summa enim Messiae dignitas non potest, ut scribae docent, in eo consistere, ut tamquam unus e posteris Davidis thronum Davidis denuo erigat; et ratio redditur v. 36 *ipse enim David dicit in Spiritu sancto* i. e. afflatu Spiritus sancti et eius gratia incitatus et motus (*Vict. Theoph.*); attende duplicem emphasin; *ipse* iam per se apud Iudaeos maxima pollet auctoritate, quae cum loquatur verba ea tamquam verba ab ipso Spiritu sancto suggesta in immensum augetur, *dixit Dominus Domino meo*, hebr. effatum (oraculum) Iahve ad dominum meum, *sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, LXX ὑποπόδιον; unde facile patet cur apud multos testes ita quoque apud Marcum legatur pro ὑποκάτω τῶν ποδῶν σου; hanc quoque partem addidisse Iesum aliqui censent, ut ostendat inimicis suis qualis eos sors mansura sit.

Iam inde arguit v. 37 *ipse* (*ergo*) *David dicit eum Dominum, et unde est filius eius?* i. e. unde igitur fieri potest ut non sit nisi eius filius, nisi unus e posteris David, solum homo qui condere debeat regnum simile davidico? cum Iesus ea quaestione notionem scribarum de filio David refutare velit et altiorem Messiae originem ac dignitatem ostendere [1], verba necessario explicanda sunt ita ut filius intelligatur is qui non sit nisi filius David. Perperam aliqui (Strauss, Schenkel, Renan) affirmant quaestione hac ipsam negari originem davidicam (similiter quoque Volkmar p. 531, Reuss); isti non attendunt de qua re disputatio fiat et cur Iesus eam quaestionem pharisaeis proposuerit. Altiorem autem et divinam Messiae originem cognoscere poterant praesertim ex Is. 9,6. Est itaque Messias filius David, quia factus est ex semine David secundum carnem, est dominus David quia est Filius Dei (cf. Rom. 1,3. 4). Notari oportet contra aliquos dicere Iesum bis adeo clare ut clarius dici nequeat : ipse David dicit; quare recte infert *Patr.* : « constat igitur auctorem psalmi non alium esse quam Davidem, tum quia Christus aperte id dixit, tum quia si alius esset psalmi auctor, hoc argumento

1. Bene dicit *Erasmus* in paraphrasi : cum maior sit auctoritas progenitorum quam nepotum, quomodo David ex se nasciturum appellat dominum suum, veluti si pater filium vocet dominum? David afflatus spiritu coelesti videbat in Christo nondum nato quiddam maius homine, cum ipse nihil aliud esset quam homo.

ipse vel usus non esset vel nihil confecisset ». Quomodo itaque origo psalmi davidica negari vel in dubium vocari possit nullo modo intelligitur. Ceterum vide quae ad Matth. 22,43 adnotata sunt. — Cum Christus adeo praeclare et quaestionibus responderet et doctrinam sublimem proponeret, *multa turba cum libenter audivit* ὁ πολὺς ὄχλος scil. quae tum adstabat turma, ἡδέως cum voluptate; cf. Matth. 7,29; impletur quoque in Christo docente illud : diffusa est gratia in labiis tuis.

Iesus templum non reliquit nisi postquam eos merito castigavit qui custodes esse debebant sanctitatis templi et tamen suis sceleribus sunt ignominiae templo, populo autem ruinae. Quae Matth. cap. 23 longiore sermone proponuntur ad Iudaeos dedocendos aptissima, haec breviter perstringuntur, ita tamen ut tria procerum vitia praecipua, superbia, avaritia, hypocrisis accurate exponantur. Hisce enim et Iudaeis et gentibus satis declaratur cur eiusmodi homines et Iesu doctrinam abominati sint et ipsum e medio tollere haud dubitaverint; v. 38 *et dicebat eis in doctrina sua*, cum in templo doceret, inter alia haec quoque monuit : *cavete a scribis*, βλέπετε ἀπὸ τοῦ φυλάττεσθε *Euth. Vict. Theoph.*, *qui volunt in stolis ambulare*, θέλειν i. e. amare, sibi placere; vel ut alii explicant, sibi veluti ius vindicare (cf. *Weiss*) ; στολή vestis est usque ad talos demissa, vestis talaris; cum plebeii vestimento uterentur breviore, ad eundum et laborandum magis expedito, vestis longior viros designabat honoratiores; quare vestis talaris, ποδήρης, gravitatis, dignitatis, praestantiae habebatur index (*Lamy, Calm.*). Tali veste scribas aliosque sapientiae studium profitentes uti solitos fuisse etiam talmudistae memoriae prodiderunt (*Patr.*). Neque improbabile est quod iam *Euth.* habet et *Lamy, Calm. Schegg* quoque censent, Marcum voce hac Romanis idem voluisse significare quod Matthaeus more iudaico indicavit : dilatant phylacteria sua et magnificant fimbrias (23,5) *et salutari in foro*, volunt salutationes ἀσπασμούς in foris, in locis publicis; appetunt et postulant, ut ab omnibus honor et reverentia sibi exhibeatur; praeterea expetunt et sibi quasi suo iure vindicant primas sedes in synagogis et primos lectos in conviviis v. 39 *et in primis cathedris sedere in synagogis et primos discubitus in coenis*, veteres enim non sedentes sed discumbentes solebant coenare (cf. Luc. 7,38), et quomodo primos accubitus appetierint vide Luc. 14,7; et in tractatu talmudico Horioth fol. 13 b praecipitur ut doctis in lege eorumque filiis primi accubitus in conviviis assignentur (*Wünsche* p. 401; alia exempla ingentis superbiae, ambitionis, arrogantiae rabbinorum refert *Ed.* II p. 409 seq. et *Lightfoot*, Horae hebr. ad Luc. 14,8).

Ad quam superbiam accedit avaritia et turpis simulatio pietatis v. 40 *qui devorant domos viduarum;* cf. Matth. 23,14; turpiter simul et cru-

deliter, cum eas decipiant et spolient quae maritorum praesidio carent, quamvis in lege Deus specialem curam ac protectionem viduis impendi iusserit (Ex. 22,22. Deut. 16,11; 24,17 seq. 26,12; 27,19) et eo magis abominanda est haec spoliatio et avaritia, quia specie pietatis eas decipiunt *sub obtentu prolixae orationis*, graece : *et obtentu prolixe orantes*, in specie longis utuntur orationibus, ut laudem pietatis sibi concilient et tamquam viri adeo cultui Dei dediti facilius ditescant favore viduarum, utpote quibus et maior ad pietatem proclivitas esse soleat et liberum sit bona sua pro lubitu erogare (*Patr.*); vel praetextu quod prolongant orationes suas a viduis munera exigunt pretium sanctitatis, quasi pro illis apud Deum indefessis precibus instent, sic quaestuariam exercentes sanctitatem (*Lap. Lamy, Weiss*). Quod genus simulationis (προφάσει) eo magis detestabile est quia in re adeo sacra exercetur; quare merito *hi accipient prolixius iudicium*, graviore poena castigabuntur severius iudicium subituri; « severior Dei sententia et gravior condemnatio iis incumbet, tum quia simulatione probitatis ad improbitatem tendunt ac Dei vestibus amicti diabolo militant, tum quia avaritiam suam religionis colore depinxerant » (*Lap.*).

Hisce superbis, avaris, impiis hypocritis opponitur exemplum insigne pietatis et liberalitatis summae in paupere et humili vidua; v. 41 *et sedens Iesus contra gazophylacium aspiciebat quomodo turba iactaret aes in gazophylacium*, in aerarium sacrum; gaza vox dicitur persica notione thesauri, גנז quoque apud rabbinos; est itaque gazophylacium locus ubi aurum argentumque vel thesaurus reconditur. Eo nomine vocabatur locus in atrio mulierum, in quo secundum rabbinos tredecim arulae positae erant ad nummos qui offerrentur suscipiendos. Hae arulae vel cistae appellabantur שׁוֹפָרוֹת tubae, quoniam tubarum in modum formatae erant et quia erant thesauri reconditoria etiam eodem nomine gazophylacii designabantur, qui duplex vocis usus cernitur in v. 41. Atrium autem mulierum vocabatur non quod solae mulieres illud ingrederentur, sed quod mulieribus non liceret ulterius progredi, eodem scil. sensu quo atrium exterius dicitur atrium gentium, non quod ethnici soli illud intrarent, sed quod iis non liceret porro pergere (cf. *Lightfoot*, decas chronogr. Marco praemissa cap. 3 § 4). Quare intelligitur quomodo Iesus in gazophylacio, igitur in atrio mulierum docuisse dicatur.

Tempus erat festo paschali proximum; quare iam multi ex variis regionibus in urbe morabantur et oblationes fiebant frequentes *et multi divites iactabant multa;* nota quomodo in forma verborum ἐθεώρει, ἔβαλλον scena describatur; dein narratur v. 42 *cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta quod est quadrans;* « singula verba

emphatica sunt et quod viduam et quod unam et quod pauperem vocat; nam et quia pauper, magis ea quam in gazophylacium mittebat pecunia indigebat; unam igitur multis, viduam pauperemque divitibus opponit, duo vero minuta multae magnaeque pecuniae quae a divitibus iactabatur » (*Mald.*); λεπτὰ δύο explicat Marcus Romanis voce latina ὅ ἐστιν κοδράντης i. e. quadrans, quarta pars assis; dicitur λεπτόν octava pars assis) nummulus minimus ob parvitatem, nam λεπτός est tenuis. Videtur idem significare quod talmudicam פרוטה qui nummulus aereus explicatur octava pars assarii italici (tract. Kidduschin fol. 58; cf. *Lightfoot, Buxtorf* p. 1813, *Patr.*).

Quis ex divitibus illis qui non sine ostentatione multa iactabant in aerarium sacrum non sperneret nummulos hos duos minimos omnium qui exstant tamquam rem nullius prorsus momenti? Verum plane aliter Christus; tamquam ad doctrinam omni consideratione dignam v. 43 *convocans discipulos suos ait illis : amen dico vobis, quoniam vidua haec pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium* et declarat cur *plus* miserit v. 44 *omnes enim ex eo quod abundabat illis miserunt, haec vero de penuria sua*, i. e. de eo quod ita habebat ut ne ad sustentandam quidem vitam suam satis esset (*Mald.*), de sua paupertate summa, *omnia quae habuit misit, totum victum suum*, totum quod ad victum ei praesto erat. Duplicem notat *Ians.* antithesin : illi dederunt ex superfluis, haec ex sua penuria; haec dedit omnia, totam suam possessionem, illi solum quaedam de superfluis, nedum de necessariis. Hac igitur ratione habita plus dedit omnibus. Consideranda est enim, ut *Mald.* monet, viduae pauperis inopia et caritas, cui duo illa minuta plus erant quam diviti permulta, et maioris erat caritatis viduam duo illa quibus vitam suam sustentatura erat dare minuta, quam divitem grandem pecuniam qua ad vitam commode agendam non indigebat in thesaurum Dei inferre. Neque enim quantum, sed ex quanto considerat Deus (*Ps. Hier.*). De notione substantiae, victus quo vita sustentatur vocis βίος vide Luc. 8,43; 15,12. 30; eadem significatione etiam apud profanos adhibetur (cf. Hes. Op. 230, Xen. Mem. 3,11. 6, Soph. Phil. 919. 1266, Plato Gorg. p. 486 etc. *Weiss*).

Doctrina autem quae inde pro discipulis colligitur et qua iterum indoles regni messiani illustratur est priore loco similis illi : ne contemnatis unum de pusillis istis. Christus prae divitibus illis ac nobilibus viduam pauperem attentione sua et laude dignam iudicat; quam alii vix aspicere dignantur, hanc ille prae omnibus commendat. Quale exemplum pro discipulis, ne eos parvipendant quos homines negligere et nullo loco habere solent. Dein graviter docet non id quod hominum iudicio magnum videtur ac splendidum, etiam apud Deum semper

eodem haberi censu; verum contingere posse, ut quae minima videantur hominum iudicio, apud Deum sint maxima. Indicatur itaque, quod *Vict.* dicit : « admirare Dei iudicium, quomodo non doni magnitudinem respiciat et attendat, verum alacritatem affectus » ; neque enim donum ponderat, sed voluntatem dantis (*Euth.*), non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat, nec perpendit quantum, sed ex quanto proferatur (*Beda*). Proinde in regno messiano omnia constitui et aestimari non pompa quadam et magnitudine quae cernatur oculis, sed affectu interno et pia voluntate et animi fervore. Quare merito *Theoph.* : « gloria tibi Christe, qui et parva saepe gratiora habes et suscipis prae magnis » ! Quemadmodum itaque in parabola de operariis in vinea (Matth. 20,1 seq.) ostenditur non semper diuturnitatem laboris etiam consequi apud Deum maiorem mercedem, ita nunc idem ostendit de magnitudine et splendore operis; non opus in se, non munus, non census consideratur, sed operantis et dantis affectus. Etiam hic valet : spiritus est qui vivificat. Et quia pharisaei omnia in observantiis externis collocata esse opinantur, hac sua doctrina discipulos imbuere studet et summam viduae paupertatem cum caritate iunctam laude extollens relinquit templum magnificum et vanam cultus pharisaici pompam.

3. *Sermo Christi eschatologicus* 13,1-37.

Iam proxime instat dies passionis et mortis Iesu. Verum antequam patiatur, discipulis brevi compendio cursum explicat saeculorum et doctrinam tradit qua duce inoffenso pede ipsi quoque per multas tribulationes ingressuri sint in gloriam. Hoc Christi vaticinium in monte olivarum e regione templi datum idem est quod Matth. 24,1 seq. et Luc. 21,5 seq. legitur. Iam in commentario Matth. II p. 345 seq. ostendi tribus id partibus constitui quae apud quemlibet synopticorum discerni possint. Et in prima quidem parte pericula, persecutiones, calamitates generali quadam ratione describuntur quae discipulos Christi manent usque ad consummationem saeculorum; sed simul iis promissis muniuntur quibus confortentur ut intrepide et animo alacri cunctis discriminibus sese obiiciant. Haec pars post prooemium (13,1-4) continetur v. 5-13. Sequitur altera, qua praedictio de eversione urbis et templi continetur; dantur monita pro illo tempore tristissimo et calamitates summas fore pro gente apostata enuntiatur v. 14-19. Cum autem iudicium in gentem apostatam sit typus quidam et exemplar iudicii universalis, statim adnectitur tertia pars qua illa enumerantur signa quae ante adventum iudicis Christi

praecedent et paucis ipse eius adventus describitur; admonentur autem ut ad signa illa animos advertant v. 20-31. Sed cum dies adventus nemini innotescat, opus est ut semper sint parati vigilantes et orantes v. 32-37.

Adverterunt aliqui Marcum non esse solitum longiores Domini sermones referre; quare coniectarunt hunc sermonem ortum esse ita ut brevis quaedam apocalypsis magna interpolatione facta in eam demum orationem extenderetur. Sed haec arbitrarie coniectantur. Nam non est omnino verum Marcum nullibi longiores referre sermones; vide 4,3-33; 7,6-23; 9,38-49; 12,1-11. Porro cum Iesus testibus aliis evangelistis saepius discipulis praedixerit tribulationes et persecutiones — quae annuntiatio eo magis erat necessaria quo magis notioni adhaerebant regni messiani gloriosi, — quis credet rem tanti momenti et tantae quoque mediis in afflictionibus consolationis vel in catechesibus Petri esse omissam vel ab evangelista neglectam? Et quod Christus toties monuit de suo adventu et de vigilantia, profecto non est probabile ab alterutro esse praeteritum, ut nihil dicam quantae utilitatis fuerit pro Christifidelibus scire Iesum ruinam urbis et templi praedixisse et suos monuisse ne sceleratorum interitui involverentur. Eo vaticinio iterum constabat regnum messianum non esse tale quale Iudaei exspectabant.

a) Praedicuntur tribulationes 13,1-13.

13,1. Et quum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis : Magister, aspice quales lapides et quales structurae.

2. Et respondens Iesus, ait illi : Vides has omnes magnas aedificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.

3. Et quum sederet in monte Olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Iacobus, et Ioannes, et Andreas : 4. Dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit, quando haec omnia incipient consummari? 5. Et respondens Iesus, coepit dicere illis : Videte ne quis vos seducat : 6. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum; et multos seducent. 7. Quum audieritis autem bella et opiniones bellorum, ne timueritis : oportet enim haec fieri, sed nondum finis.

8. Exsurget enim gens contra gentem,

13,1. Καὶ ἐκπορευομένου αὐτοῦ ἐκ τοῦ ἱεροῦ, λέγει αὐτῷ εἷς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, Διδάσκαλε, ἴδε ποταποὶ λίθοι καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί. 2. καὶ ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς; οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ. 3. Καὶ καθημένου αὐτοῦ εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν κατέναντι τοῦ ἱεροῦ, ἐπηρώτα αὐτὸν κατ' ἰδίαν Πέτρος καὶ Ἰάκωβος καὶ Ἰωάννης καὶ Ἀνδρέας, 4. Εἰπὸν ἡμῖν, πότε ταῦτα ἔσται; καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα συντελεῖσθαι πάντα; 5. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἤρξατο λέγειν αὐτοῖς, Βλέπετε μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ. 6. πολλοὶ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες, ὅτι ἐγώ εἰμι· καὶ πολλοὺς πλανήσουσιν. 7. ὅταν δὲ ἀκούητε πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων, μὴ θροεῖσθε· δεῖ γενέσθαι· ἀλλ' οὔπω τὸ τέλος. 8. Ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπ' ἔθνος, καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν· ἔσονται σεισμοὶ κατὰ τόπους, ἔσονται λιμοὶ· ἀρχὴ ὠδίνων ταῦτα.

et regnum super regnum; et erunt terrae motus per loca, et fames. Initium dolorum haec. 9. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me, in testimonium illis.

10. Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium. 11. Et quum duxerint vos tradentes, nolite praecogitare, quid loquamini; sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini. Non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.

12. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos.

13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

9. Βλέπετε δὲ ὑμεῖς ἑαυτούς. παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ εἰς συναγωγὰς δαρήσεσθε, καὶ ἐπὶ ἡγεμόνων καὶ βασιλέων σταθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς· 10. καὶ εἰς πάντα τὰ ἔθνη πρῶτον δεῖ κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον. 11. καὶ ὅταν ἄγωσιν ὑμᾶς παραδιδόντες, μὴ προμεριμνᾶτε τί λαλήσητε, ἀλλ' ὃ ἐὰν δοθῇ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, τοῦτο λαλεῖτε· οὐ γάρ ἐστε ὑμεῖς οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον.

12. Καὶ παραδώσει ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ τέκνον· καὶ ἐπαναστήσονται τέκνα ἐπὶ γονεῖς, καὶ θανατώσουσιν αὐτούς· 13. καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου· ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται.

In v. 1 structurae *templi* b c ff^2 g^2 k l q big theod lich mt ox ken tol harl, uti D του ιερου add ex Matth. In v. 2 *nonne* vides big mt ox harl ; αφεθη ωδε ℵ B D G L M^2 U Δ al 60 fere a b g^2 q syr (sch) arm; e k in templo, item Cyp; in fine add D και δια τριων ημερων αλλος αναστησεται ανευ χειρων et similiter add it pl Cyp, ex Ioan. 2,19. In v. 6 πολλοι ℵ B L aeth; al add γαρ; add ego sum *Christus* (o χς mu minusc) b c g^2 l sax sah cop arm dub ept hub theod ken. In v. 7 a n nolite *turbari*, D aliq minusc θορυβεισθε; δει ℵ* B sah cop Ti W H; al δει γαρ. In v. 8 codd mu vulg it exsurget autem gens super gentem; in fine add και ταραχαι A X Γ Π unc 9 al pler sah syr (utr) arm Or q (turbele); codd mu αρχαι. In v. 9 mu minusc εν ταις συναγωγαις; tradent vos conciliis (sine *in*) am big cav ept* hub* for tol lind. Iungunt in testimonium illis et gentibus (et in omnes gentes); primum autem oportet praedicari sah arm c d ff^2 i; add ante primum : sed constantes estote g^2 tol; k sed confortamini, prius enim; add post το ευαγγελιον D εν πασι τοις εθνεσιν; similiter ff^2 g^2 tol. In v. 11 add μηδε μελετατε A X Γ Δ Π unc 9 al pler syr (utr); add in fine qui loquitur in vobis lich ken l. In v. 13 omnibus *hominibus* big dub; *gentibus* cav.

Cum Christus saepius fuerit in urbe, mirum posset videri tum demum post plus tres annos vitae publicae discipulos Domino cum admiratione templi aedificium ostentasse, quod tamen saepe viderant et quod illis diebus continuo ob oculos habebant. Verum, ut iam bene monent *Vict. Theoph. Cai. Ians. Sylv.*, ex narratione apud Matthaeum res ita explicatur, ut haec discipulorum agendi et loquendi ratio plane obvia, immo necessaria evadat. Dixerat enim Dominus antequam e templo egrederetur : ecce relinquetur vobis domus vestra deserta (Matth. 23,38), quibus verbis iterum confirmaverat quod in ipso sollemni in urbem ingressu iam de excidio urbis teste Luca (19,43; cf. *Mald.*) annuntiaverat. Quae verba quantum doloris afferre debuerint iis quibus urbs et templum maximae erant

gloriationi facile quisque colliget. His itaque verbis commoti Domino templi magnificas structuras ostendunt veluti commiserantes et etiam ad commiserationem Dominum flectere cupientes et significantes videri nimis durum et maxime dolendum quod tale aedificium adeo magnifice et splendide exstructum et exornatum esset desolandum; v. 1 *et cum egrederetur de templo*, cf. 11,27; vespere enim in Bethaniam tendere solebat; unde cum relicto templo ascenderet per viam montis olivarum, ex quo aspectus in montem templi patebat, *ait illi unus ex discipulis suis*, cum Marcus adeo accurate narret ab uno esse sermonem inceptum, unum istum Petrum fuisse aliqui censent satis probabile (*Alb. Schanz, Fil. Keil, Weiss*); alibi quoque Petrus prae aliis sedulum se praebet in loquendo et interrogando; *magister aspice, quales lapides et quales structurae!* et *Iosephus* quidem narrat de templo ab Herode exornato : aedificatum autem est templum ex lapidibus candidis et firmis et singulorum magnitudo erat in longum ad cubitos circiter quinque et viginti, in altitudinem octo, in latitudinem vero circiter duodecim; atque templi aedificium tam magnitudine quam arte adspicientibus stuporem incussisse affirmat (Antiq. 15,11. 3). Et alio in loco dicit templum venientibus e longinquo simile monti niveo visum esse, quippe quod ubi non erat deauratum candidissimo marmore constaret; ad solis exortum igni simillimum emicuisse splendorem, ut oculi intuentium quasi radiis solaribus inde averterentur (Bell. iud. 5,5. 6).

Atque Iesus attentionem discipulorum dirigi vult ad templi magnificentiam, quo magis animis alte reponant iudicium Dei in illud et populum apostatam devolvendum; quare v. 2 *et respondens Iesus ait illi : vides has omnes magnas aedificationes?* quamvis sint magnificentissimae atque ita munitae et solidae, ut expugnari ac destrui non posse videantur : *non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur;* cum dixerit *vides* has aedificationes, etiam de ruina et destructione aedificiorum quae tum aspectui obiiciebantur loquitur. Unde bene monet *Patr.* : « Christus tamen de ipso aedificio locutus est, ut apparet, non de substructionibus quarum reliquiae in latere montis etiamnum visuntur ». Quomodo autem templum « opus omnium quae vidimus et audivimus maxime admirabile tam ob structuram quam magnitudinem, invito Caesare » sit exustum, *Iosephus* narrat (Bell. iud. 6,4. 5 seq.) et quomodo Iulianus apostata frustra conatus sit instaurare templum quo conatu etiam maior ruinarum ac ruderum eius destructio sit effecta historia teste constat (cf. Ammian. Marc. 23,1. Socrates, h. e. 3,20. Sozomenus 5,22. Theodoretus 3,15; ceterum vide Comment. Matth. II p. 307 seq.).

Hac Christi voce excitantur discipuli ad inquirendum accuratius v. 3 *et cum sederet in monte olivarum* εἰς τὸ ὄρος (ita scil. ut notio motus includatur, prout εἰς saepius iungitur cum verbis στῆναι, καθίζειν, εἶναι, γίνεσθαι etc. cf. *Winer* § 50,4, *Buttmann* p. 286) *contra templum*, e regione templi, *interrogabant eum separatim Petrus et Iacobus et Ioannes et Andreas*, accurate Marcus refert eos sedisse ita ut non possent templum non videre et qui quaesierint scil. tres illi qui Domino prae aliis erant familiares (3,16. 17; 5,37; 9,1) et cum adiungatur Andreas, frater Petri, nonnemo opinatur Andream fuisse unum illum ex discipulis qui Domino dixerit : aspice quales lapides (v. 1; *Fil.*); v. 4 *dic nobis quando ista fient? et quod signum erit quando haec omnia incipient consummari;* duo exprimuntur; *ista* referuntur ad ea quae de templo dicta sunt, ταῦτα συντελεῖσθαι πάντα ad finem rerum et consummationem saeculi, id quod scil. Matth. 24,3 habetur : et quod signum adventus tui et consummationis saeculi? Putabant enim discipuli destructionem templi, alterum Christi adventum et rerum omnium consummationem uno fere eodemque tempore fore. Audierant enim Iesum dicentem : Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis et tunc reddet unicuique secundum opera eius (Matth. 16,27), pariter audierant eum loquentem de regeneratione, cum sederit in sede maiestatis suae (l. c. 19,28; *Sylv.*). Insuper, ut *Ians.* advertit, id ex quibusdam parabolis concipere poterant, ut ea qua dicitur homo nobilis accepto regno reversus perdidisse inimicos suos qui noluissent ipsum regnare super se (Luc. 19,14. 27); rursum qua dicit regem missis exercitibus suis perdidisse homicidas civitatemque eorum succendisse ac tum ad paratas filii nuptias alios recepisse (Matth. 22,7 seq.). Ex hisce itaque et similibus facile fieri potuit, ut discipuli iudicium in populum apostatam et gloriosam regni messiani institutionem finemque rerum simul esse eventura sibi persuaderent.

Verum antequam Christus ad duo haec respondeat (v. 14. 21 seq.) id monet quod pro omni tempore summi est momenti et discipulis brevi compendio proponit quae futura sit suorum sors usque dum appropinquet consummatio saeculi v. 5 *et respondens Iesus coepit dicere illis : videte ne quis vos seducat;* v. 6 *multi enim venient in nomine meo* ἐπί, i. e. nomen meum usurpabunt, sibi nomen meum vindicabunt *dicentes quia ego sum,* scil. Christus, is qui salutem et gloriam sit allaturus et populum e servitute et miseria liberaturus; quod Iesus primo et per se praedicit de illis qui nomine Messiae miserae Iudaeorum plebi imponebant (et eiusmodi exstitisse apud Iudaeos viginti tres vel viginti novem alii tradunt; cf. *Patr. Lemann*,

die Messias-Frage, Mainz 1870 p. 17 seq. *Fil.* ad Matth. 24,5); facile propter promissiones fraudulentas de iis quoque dictum esse existimabis qui variarum sectarum auctores populum a vera Christi fide ad suas doctrinas et ad vanam quandam felicitatem et fallacem seducere satagunt; neque eos incassum retia sua et fraudes tendere praedicit : *et multos seducent.* Simul apertissime patet Iesum monita haec non tam discipulis tradere, quam omnibus aliis qui per saeculorum cursum victuri sunt. Nam profecto non erat cur discipulos qui Iesum coram se viderent eumque facie optime nossent moneret ne alios quosvis esse Christum existimarent. Proinde iam prima hac sententia docemur Iesum generalia tradere monita.

Id sequentibus quoque confirmatur. Confortantur enim ne turbentur magnis calamitatibus quae proficiscuntur et inferuntur vel ab hominibus inter se vel ab ipsa natura v. 7 *cum audieritis autem bella et opiniones bellorum,* ἀκοάς rumores bellorum, *ne timueritis; oportet enim haec fieri;* nam quae est populorum regumque superbia, avaritia, inter se simultas fieri non potest, ut non exoriantur odia, inimicitiae, vindictae, bella, quae tum solum abolerentur et exstinguerentur, si omnes Christi doctrinam totis animis amplecterentur et in opus strenue et perfecte deducerent; *sed nondum finis;* ne scil. Christifideles existiment instare finem saeculorum si quando oboriantur ac saeviant magnae afflictiones. Haec enim quasi praeludia et prooemia sunt summae illius et ultimae tribulationis, quam multae aliae praecedere debebunt. Unde v. 8 *exsurget enim gens contra gentem et regnum super regnum et erunt terraemotus per loca et fames; initium dolorum haec,* ὠδίνων dolorum partus, qua locutione indicatur quo benigno Dei consilio tribulationes immittantur, ut scil. ex iis nova eaque melior rerum constitutio oriatur, ut homines iis purgati et expiati regno Dei eiusque gloriae ac beatitudini obviam ferantur. Simili modo iam apud prophetas miseria exsilii ex qua instauratio oriunda erat comparatur doloribus partus (cf. ad Mich. 4,10).

Praeter has aerumnas quas communes cum omnibus sustinere oportet, Christi discipuli et ab Iudaeis et a gentibus persecutiones subire debebunt v. 9 *videte autem vosmetipsos,* vobis ipsis prospicite quomodo vos gerere oporteat, advertite ne propter flagella et persecutiones vos ipsos perdatis (*Cai.*); *tradent enim vos in conciliis* εἰς συνέδρια ad consessus iudicum, ad iudicia trahent, in quibus accusantur et condemnantur propter fidem Christi eiusque fidei praedicationem; et quem exitum habitura sint illa iudicia, uno declaratur exemplo *et in synagogis vapulabitis,* cum δέρειν proprie significet excoriare, corium detrahere, δαρήσεσθε vehementem dicit verbera-

tionem; εἰς συναγωγάς iungunt aliqui cum antecedenti verbo : ducent vos ad iudicia et in synagogas, verberabimini (cf. *Meyer*); at communiter connectunt uti in vulg. exprimitur, ita ut εἰς eodem modo ponatur quo 10,10; id quod hoc loco eo facilius fit quia praecedit *tradent vos*. Ceterum non adeo rarum est εἰς adhiberi sensu quem dicunt praegnanti vel dici quoque potest, uti in graecitate seriore εἰς et ἐν quandoque promiscue usurpantur (quemadmodum in lingua latina vulgari *in* cum accus. et ablativo), ita eius usus initia hic iam cerni (cf. 1,39. Act. 2,27; 8,14; 19,22 etc. *Buttmam* p. 287). Non solum Iudaei vexabunt Christifideles, verum etiam magistratus gentiles manus illis iniicient *et ante praesides et reges stabitis propter me* σταθήσεσθε sistemini, eorum offeremini tribunalibus mea causa, *in testimonium illis,* ut scil. illis quoque testimonium reddatur de Iesu, de eius opere et doctrina. Ita enim ipsa persecutione et actione forensi evangelium Iesu notum fit eiusque cognitio summis quoque ordinibus offertur. Quod alii explicant testimonium reddi, ut illi praesides et reges sint inexcusabiles (*Vict. Theoph. Euth.*), etsi non ipsis verbis per se immediate enuntiatur, tamen necessario consequitur in iis qui sufficienti evangelii promulgatione atque attestatione facta fidem ei adhibere detrectant.

Verum ne persecutionibus illis perturbentur neve existiment iis fieri posse ut ratio missionis a Christo datae evadat inanis (*Theoph.*) addit v. 10 *et in omnes gentes primum oportet praedicari evangelium;* inde simul declaratur, cur in v. 9 mentio facta sit magistratuum gentium; debent enim praedicatores evangelii doctrinam Christi omnibus inferre populis. Quod autem Iesus adeo asseveranter praedicit debere annuntiari et spargi in omnes gentes, intermiscet, ut *Alb.* dicit, hic aliquid consolationis, profectum praedicationis. Dicitur *primum,* scil. antequam veniat finis; refertur vox ad v. 7 *nondum finis.* Ne timeant audientes se esse sistendos tribunalibus praesidum ac regum, potentium scil. ac sapientium huius mundi, promittit iis rem et causam suam defendentibus adfore Spiritum sanctum, immo ipsum hunc Spiritum sapientissimum esse causam acturum v. 11 *et cum duxerint vos tradentes, nolite praecogitare,* graece : nolite antea solliciti esse, ne igitur anxie secum reputent neve timore quodam vexentur, *quid loquamini;* non prohibet Christus antea cogitare et secum perpendere quid pro re nata melius possit perorari; verum solum monet ne anxii et timidi sint ac si coram potentibus et sapientibus non possent sufficienter ac digne causam Christi tueri. Et ut omnem timoris rationem iis eximat addit : *sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini; non enim vos estis loquentes, sed*

Spiritus sanctus; cf. Matth. 10,19; quod apud Ioannem Iesus loquitur de Paracleto, de Spiritu sancto, id synoptici quoque ea in rerum conditione fieri asserunt, in qua utique summi momenti est, ut quae dicantur optimo modo dicantur. Administrabitur itaque illis, ut *Alb.* dicit, sapientia et eloquentia pro eis satisfaciens. Quare in v. 10 et 11 rationes continentur efficacissimae consolationis quibus medias inter tribulationes animis consistant imperturbatis et invictis.

Immo ne mirentur se impeti et vexari et a Iudaeis et a gentibus (v. 9) evangelii causa, explicat quales et quanti furores in ipsis familiis et inter eos excitandi sint qui arctissimis naturae vinculis sociati sunt v. 12 *tradet autem frater fratrem in mortem et pater filium;* tanto odio in Christi fidem inflammantur, ut in ipsos fratres et filios saeviant neque aliter quam eorum sanguine effuso odium illud exstinguere valeant; quare eos tribunalibus produnt quibus sententia mortis in Christifideles pronuntiatur; uti parentes in filios, ita quoque filii haud raro furent in parentes omni pietate abiecta *et consurgent filii in parentes,* immo crimine atrociore eos non tribunalibus sistent, ut quasi iure servato ex impiis legibus morti addicantur, verum ipsi filii *morte afficient eos,* quae explicatio necessario exigi videtur ipsa illa ad *tradet* oppositione; cf. Ioan. 16,2 venit hora ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se praestare Deo; v. 13 *et eritis odio omnibus propter nomen meum;* triplex enim bellum iis instat a domesticis, a popularibus, a gentibus; sed « maior est consolatio; nam propter nomen eius haec omnia iis contingent, quod unum satis est ad omnem adversitatem reddendam facilem spe futura proposita » (*Vict.*); nam : beati estis, cum persecuti vos fuerint propter me; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis (Matth. 5,11. 12). Verum denuo monet Christus iis temporibus unumquemque se debere armare singulari cura et vigilantia : *qui autem sustinuerit in finem* ὁ δὲ ὑπομείνας qui perfert adversitates et in fide Christi perseverat constanter, *hic salvus erit;* non sufficit bene coepisse; hoc versu iterum illud inculcat Christus maiore quoque emphasi v. 9 videte vosmetipsos et simul exhortatur ne animis cadant, etsi adversitates nullo non tempore atque continuo ingruent. Pariter innuitur iis vexationibus fore ut alii a salute excidant, quia non sine pondere quodam effertur eum assecuturum salutem qui sit ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος; cf. Matth. 24,10 et tunc scandalizabuntur multi.

Quae sunt interpretum variae sententiae ad Matth. 24,4-14, eaedem hoc quoque loco proponuntur. Sunt enim qui v. 5 seq. explicent tamquam signa praevia ad urbis Ierusalem destructionem (*Theoph. Ians. Sylv. Calm.*), dum

alii ea proponi et enumerari opinantur quae communi quadam ratione et ad urbis ruinam et ad consummationem saeculi praesignandam et inducendam pertineant (*Alb. Schanz, Fil.*). Iam *Vict.* refert alios haec explicare de consummatione, uti Apolinarius et Theodorus mopsuestenus, alios de desolatione Ierusalem, uti Titus. Verum si singula perpendantur, neutri sententiae accedi potest. Non assignantur signa praevia destructioni urbis. Neque enim quae ab aliquibus afferuntur de bellis in variis imperii romani partibus gestis vel de seditionibus in Iudaeos excitatis Alexandriae, Tyri, Caesareae, Scythopoli, Ascalone (cf. *Calm.*), considerari possunt tamquam indicia urbis mox destruendae. Insuper quae bella intelligenda sint, discimus ex v. 8 *exsurget enim* etc.; iam vero hisce maiora quaedam enuntiantur. Neque obiici potest cum *Calm.* saltem quae in v. 9 dicantur ad amussim esse expleta; « apostolos enim Iudaei Ierosolymis apud iudices postulavere, virgis cecidere in synagogis, apud Iudaeae praesides, reges et imperatores accusavere (Act. 4,3 seq. 15,13; 22,19 etc.); et si ceterorum apostolorum acta exstarent, res plane de illis perspicua fieret »; nam in v. 10 id primum fieri debere asseritur, quod certissime ante oppugnationem urbis non est factum; immo quod ne nostris quidem temporibus perfectum est. Proinde perspicue patet haec non spectare ad destructionem urbis.

Neque signa dantur consummationis saeculi. Quae enim proponuntur eiusmodi sunt quae experientia teste per saeculorum cursum iterum iterumque evenerunt. Inter Iudaeos multi iam exstiterunt pseudomessiae; fere triginta aliqui numerarunt (cf. Comment. in Matth. II p. 312); porro ipso loquendi modo *multi venient* etc. satis exprimitur id non ad certum aliquod tempus designandum proferri, verum enuntiari quod per longa temporis spatia et repetito futurum sit. Porro bella, fames, terraemotus ita historia teste crebro singulis saeculis acciderunt, ut quomodo praeambula esse possint consummationis saeculi et ut talia cognosci iam nemo dixerit. Neque dicas gravissimas eiusmodi calamitates in signi loco habendas esse. Nam neque de gravissimis sermo fit neque si fieret ullo modo cognosci posset quaenam sint omnium gravissimae adversitates quibus graviores iam non subsecuturae sint. Neque persecutiones possunt esse signa; plurimas enim iam sustinuit Ecclesia et in variis orbis partibus eas fere continuo subit modo atrociores modo specie quidem non adeo duras sed tamen plenas periculis.

Quare illa quoque sententia excludenda est qua haec ad utrumque eventum communi quodam modo spectare et veluti signa proferri aliqui existimant. Nulla in hac parte sermonis efferuntur signa; sed Christus monens quae pericula semper ingruant et quomodo contra illa oporteat sese armare simul docet apostolos nosque omnes quid praecipue ob oculos habendum sit prae illa de signis et tempore adventus curiosa quaestione. Ceterum haec hic sufficiant; plura vide in Comment. Matth. II p. 309 seq. 345 seq.

Notat *Patr.* : « versus 10 sede sua dimotus esse videtur. Etenim eius materies cum materie proximorum versuum minime cohaeret, immo hanc interrumpit ». Sed haec ratio rem non evincit; nexum enim exsistere eum-

que omnino praeclarum iam *Theoph. Alb.* viderunt; exprimi scil. apte eo loco missionem apostolorum non posse reddi irritam vel sterilem, etsi adversitates omnis generis incumbant; magnam itaque eo versu contineri consolationem mediis in afflictionibus. Neque sentire possum cum *Patr.* qui porro affirmat eo versu si inter v. 9 et 11 insertus legatur, maximam creari difficultatem quod Christus dicere videatur in omnes gentes oportere praedicari evangelium, antequam ipsius discipuli sisterentur in conciliis et synagogis et ante reges et praesides starent. Verum id verbis illis neutiquam enuntiatur. Sed postquam discipulis praedictae sunt persecutiones, adduntur duae rationes quibus edocentur et confortantur ne timore persecutionum animis cadant. Priorem modo explicuimus in v. 10; altera proponitur in v. 11, scil. ne solliciti sint quomodo de causa Christi coram regibus reddant rationem; fore etenim ut a Spiritu sancto iis detur quid et quomodo perorandum sit. Nonne hac consideratione facta omnia bene inter se nectuntur neque ulla transpositione opus est? ea enim optima rerum series truncaretur potius quam restitueretur. Neque recte ex Matth. 24,14 petitur ratio transpositionis. Censet quidem *Patr.* ibi veluti consummationis saeculi mox futurae signum exhiberi sententiam de evangelio in omnes gentes praedicato; at melius vidit *S. Augustinus* : « *tunc veniet* quid est nisi ante non veniet? quanto post ergo veniat, incertum nobis est; unde si iam nobis certissime nuntiatum fuisset in omnibus gentibus evangelium praedicari, nec sic possemus dicere quantum temporis remaneret usque ad finem » (ep. 197; *M.* 33,900; vide Comment. in Matth. II p. 317).

b) De ruina urbis et altero Christi adventu 13,14-31.

13,14. Quum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit, intelligat; tunc qui in Iudaea sunt, fugiant in montes.

15. Et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introcat ut tollat quid de domo sua;

16. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum.

17. Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. 18. Orate vero ut hieme non fiant. 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales quales non fuerunt ab initio creaturae quam condidit Deus usque nunc, neque fient. 20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro; sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.

21. Et tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, ecce illic; ne credideritis. 22. Exsurgent enim pseudochristi

13,14. Ὅταν δὲ ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, ἑστηκότα ὅπου οὐ δεῖ, ὁ ἀναγινώσκων νοείτω· τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη· 15. ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος μὴ καταβάτω μηδὲ εἰσελθέτω τι ἆραι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ· 16. καὶ ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω ἆραι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. 17. οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. 18. προσεύχεσθε δὲ ἵνα μὴ γένηται χειμῶνος. 19. ἔσονται γὰρ αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι θλῖψις, οἵα οὐ γέγονεν τοιαύτη ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως ἣν ἔκτισεν ὁ Θεὸς ἕως τοῦ νῦν, καὶ οὐ μὴ γένηται. 20. καὶ εἰ μὴ ἐκολόβωσεν Κύριος τὰς ἡμέρας, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς οὓς ἐξελέξατο, ἐκολόβωσεν τὰς ἡμέρας. 21. Καὶ τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ, Ἴδε ὧδε ὁ Χριστός, καὶ ἴδε ἐκεῖ, μὴ πιστεύετε. 22. ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσιν σημεῖα

et pseudoprophetae, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos.

23. Vos ergo videte : ecce praedixi vobis omnia. 24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum;

25. Et stellae coeli erunt decidentes, et virtutes quae in coelis sunt, movebuntur. 26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, et gloria.

27. Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terrae, usque ad summum coeli.

28. A ficu autem discite parabolam : Quum iam ramus eius tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit aestas : 29. Sic et vos quum videritis haec fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis. 30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec omnia ista fiant. 31. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

καὶ τέρατα, πρὸς τὸ ἀποπλανᾶν, εἰ δυνατὸν, τοὺς ἐκλεκτούς. 23. ὑμεῖς δὲ βλέπετε· προείρηκα ὑμῖν πάντα. 24. Ἀλλ' ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις, μετὰ τὴν θλῖψιν ἐκείνην, ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς, 25. καὶ οἱ ἀστέρες ἔσονται ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πίπτοντες, καὶ αἱ δυνάμεις αἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς σαλευθήσονται. 26. καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν νεφέλαις μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης. 27. καὶ τότε ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους καὶ ἐπισυνάξει τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ.

28. Ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς μάθετε τὴν παραβολήν· ὅταν ἤδη ὁ κλάδος αὐτῆς ἁπαλὸς γένηται, καὶ ἐκφύῃ τὰ φύλλα, γινώσκετε ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν· 29. οὕτως καὶ ὑμεῖς, ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις. 30. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, μέχρις ὅτου ταῦτα πάντα γένηται. 31. ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται· οἱ δὲ λόγοι μου οὐ παρελεύσονται.

In v. 14 add το ρηθεν υπο δανιηλ του προφητου A X Γ Δ Π unc 9 al fere om c k l syr (utr) aeth hub theod; transsumptum est e Matth. 24,15; εστηκοτα ℵ B L Ti W H, εστηκος D 28; al εστος, εστως. In v. 15 add εις την οικιαν A D X Γ Δ Π unc 9 al longe pler a ff^2 g^1 i l n q arm aeth vulg Or. In v. 16 ο εις τον αγρον sine ων ℵ B D L Δ pl min Ti W H. In v. 17 lactantibus a l n; quae lactant k. In v. 18 add e Matth η φυγη υμων ℵ$^{c\,b}$ A X Γ Δ Π unc 9 al pler k gat g^2 sah cop syr (utr) go aeth lich; fiat fuga vestra vel sabbato ept ken rush dub. In v. 19 θλιψεις οιαι ουκ εγενοντο τοιαυται D, similiter it arm vulg, c tribulationes et pressurae. In v. 20 dies *illos* big mt ox tol, uti add εκεινας E F G M Δ pl minusc cop syr (sch) arm aeth. In v. 24 post tribulationem *dierum illorum* rush, similiter pl minusc. In v. 25 stellae de coelo cadent e, similiter g$^{1\,2}$; i erunt cadentes. In v. 26 D επι των νεφελων, cum nubibus a d ff^2 i q dub; nubibus coeli dub lich. In v. 27 ab *ultimo* terrae c ff^2 q. In v. 28 a folia procreaverit, k germinaverit; similiter cop aeth.

Hac generali admonitione praemissa transit Christus ad respondendum quaestioni discipulorum v. 4 propositae; v. 14 *cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet* i. e. in loco sancto, uti Matth. 24,15 dicitur; certe non ipsa regio iudaica utpote terra Deo sacra erit intelligenda, ut vult *Weiss*, sed ex communi fere omnium sententia templum, id quod unice etiam congruit vaticinio Danielis 9,27, ad quod oraculum verba Christi omnino spectant et quod in memoriam revocant (vide ad Matth. 24,15).

Versio Theodotionis et LXX praebent Dan. 9,27 ἐπὶ τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων; eo loco post mortem Messiae praedicitur vastatio et desolatio : et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, vel perdet populus ducis venturi. Quare manifestum est Christum ad hoc respicere oraculum, non ad verba similia Dan. 11,31 vel 12,11, quae de tempore dicuntur Antiochi Epiphanis, uti ipsis libris Machabaeorum et eventu rerum ostenditur (1 Mach. 1,49-64. 2 Mach. 6,2-9 etc.). Quod Marcus scribit ἑστηκότα, explicant aliqui neutrum plurale (*Volkmar*), ita ut βδέλυγμα tamquam nomen collectivum consideretur et varia abominationum genera designentur; frequentius tamen concipiunt accusativum masculini generis, ut scil. constructione quam κατὰ σύνεσιν, ad sensum, vocant (cf. 9,19. 25) significetur auctor abominationis. Prior acceptio spectato rerum eventu omnino admitti potest. Notum enim est quanta scelera et flagitia zelotae qui appellabantur initio belli iudaici in ipso templo commiserint. Uti *Iosephus* refert, Ananus, cum in templum saepe respectasset oculosque lacrimis opplesset, equidem mihi, inquit, satius esset mori, quam Dei domicilium videre piaculis tantis obrutum oppletumque atque inaccessa et sancta loca sceleratorum pedibus referta (Bell. iud. 4,3. 10). Sed si ad vaticinium Daniel 9,26 respexeris et insuper consideraveris Luc. 21,20, forte alteri explanationi accesseris ita ut exercitus quoque intelligatur romanus appropinquans et obsidionem minitans. In qua tamen acceptione difficile est declarare, quomodo dum milites romani iam consistunt in templo, tum demum fugam capessere iubeantur. Quare abominationem in loco sacro potius de zelotarum flagitiis et sacrilegiis explicare consultum erit.

Quod *Iosephus* narrat Pilatum noctu velatas Caesaris imagines in urbem inferendas curasse (Bell. iud. 2,9. 2; Antiq. 18,3. 1; cf. Euseb. h. e. 2,6. 4), aliquibus visum est aptum quo abominatio desolationis in loco sacro explicetur; cf. *S. Hier. Vict. Bed. Theoph. Alb.* Verum cum Pilatus eo ausu suum auspicaretur magistratum et proinde cum Christus haec loqueretur illa iam acta essent quae Iosephus narrat, haec explicatio nequit admitti. Pariter reiiciendum est quod alii statuebant vel de statua Titi in templo collocata, de qua nihil omnino constat, vel de statuis ab Hadriano positis, quae sententia iam ratione temporis exploditur. Cum enim Christus signum det ut ante excidium urbis fugiant, nihil potest intelligi quod vel multo ante vel post illud evenit. Alii abominationem explicarunt de militibus romanis in templum ingressis; ita τινες apud *Vict.*; at urbe expugnata inutile fuisset ad fugam exhortari. Quare alii de exercitu romano interpretantur (*Cai.*) quam acceptionem *Ians.* quoque proponit, sed mox bene monet per locum sanctum in quo abominatio constituta sit templum videri intelligendum et

idcirco rectissime cum Tostato per abominationem accipiendos esse seditiosos illos qui narrante Iosepho ante obsidionem ipsum templum abominandis polluerint sceleribus sanguine innocentum effuso ipsum foedantes. Alia vide ad Matth. 24,15.

Quod additur *qui legit intelligat,* νοείτω animum advertat, aliqui quidem existimant ab evangelista esse additum, ita *Ians. Patr. Fil.;* verum id plane improbabile est. Cur enim Marcus id adderet quod Romanis quibus scribit nihil emolumenti vel doctrinae affert? Romanis itaque haec dici satis mirum esset sive verba ad oraculum Danielis considerandum refers sive ad ea ipsa quae Marcus scribit. Cur Marcus ea verba retinuerit aliter nequit explicari quam quia ea a Christo dicta sunt et tamquam a Christo prolata etiam in Petri narratione servata erant. Ceterum vide quae dixi in Comment. in Danielem p. 24. Ea verba esse Iesu verba rite tuentur *Cai. Schanz;* monet itaque Christus, ut vaticinium illud Danielis bene perpendant et percipiant et ex eo de temporum signis et eventibus iudicium ferant. Qua monitione simul indicatur fore ut qui mentem advertat fide in Christum armatus etiam cognoscat quando illud abominationis signum exsistat; sequitur enim *tunc qui in Iudaea sunt fugiant in montes;* « bene autem dixit οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ; nam apostoli non fuerunt in Iudaea, sed antequam bellum exortum est ex Ierusalem persecutione expulsi sunt; potius ipsi exierunt impulsu Spiritus sancti » (*Theoph.*). Cum ad montes fugere iubeantur, videtur alludi ad historiam Loth (ait *Lamy*) qui ereptus est incendio Sodomorum versus montes fugiens; montes loca sunt tuta, quia inaccessa.

Et quam atroces instent adversitates, describit eo quod fugam eos arripere iubeat celerrimam quasi ex subitis illis et praegrandibus incendiis nihil servari posset nisi vita sola ceteris omnibus absumptis v. 15 *et qui super tectum, ne descendat* (*in domum*) *nec introeat ut tollat quid de domo sua,* sed statim sine ulla mora fuga celerrima se propripiat; v. 16 *et qui in agro erit* (εἰς) cf. Ioan. 1,18. Act. 8,40 et vide ad v. 9 supra, *non revertatur retro* εἰς τὰ ὀπίσω ne se vertat ad ea quae pone sunt, *tollere vestimentum suum* i. e. qui in agro laborat ideoque pallium seu vestem exteriorem seposuit quo expeditius laboret, statim fugam arripiat, uti est, ne tantum quidem morae faciat quantum opus esset ad pallium secum auferendum. Repetito periculi atrocitatem effert. Neque hisce duobus exemplis satis sibi videtur ingentes adversitates mentibus hominum exhibuisse. Cum in una fuga eaque celerrima salus consistat, vae illis qui ullo impedimento a cursu citissimo retardantur v. 17 *vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus,* θηλαζούσαις lactantibus, quae itaque vel corpore debiles sunt

vel infantem gestantes a cursu velociore prohibentur. « Impedimenta rerum monuit relinquenda v. 15. 16; impedimenta filiorum compatiendo praedixit v. 17; impedimenta temporum oratione tollenda docet » (*Cai.*) v. 18 *orate vero ut hieme non fiant,* quo tempore et fuga molestior maximeque impedita et commoratio in montibus inclementia aeris, nive, imbribus valde perniciosa. Uti Eusebius narrat, Christiani ante initium belli relicta urbe sedes suas Pellam transtulerunt in oppidum trans Iordanem in septemtrionali limite Peraeae; « ita et regia urbe quae totius gentis caput est et universa Iudaea viris sanctis destituta, tum demum divina illos ultio ob tot admissa tum in Christum, tum in eius apostolos scelera corripuit totamque illam impiorum sobolem funditus delevit » (h. e. 3,5; *M.* 20,221; cf. *Iosephus,* Bell. iud. 2,20. 1. 3; Vita 7).

Iam calamitates illas ita exhibet ut sicut gravissimae sunt ita simul evadant typus et praesagium tribulationum illarum quae consummationem saeculi antecedent v. 19 *erunt enim dies illi tribulationes tales quales non fuerint ab initio creaturae quam condidit Deus usque nunc;* graece : erunt dies illi tribulatio, qualis non facta est eiusmodi etc.; ut sit appositio ad epitasin faciens, cum dies calamitatem vocet (*Erasmus*); tempori adscribitur res quae in tempore fit; una et continua erit calamitas. Atque idem iudicium de calamitate urbis tulit *Iosephus* dum scribit : illud breviter dici potest neque aliam urbem talia perpessam esse neque hominum genus aliud ab omni aevo sceleratius exstitisse (Bell. iud. 5,10. 5). Unde haud immerito observat Isidorus pelusiota : ne quisquam fidem denegaret ipsorum calamitatibus, quamvis fidem et exemplum superantibus, idcirco non extraneum aliquem (fortassis enim vel potius necessario non invenisset fidem) sed hominem ex eadem gente oriundum et institutorum patriorum servantissimum paravit et instruxit veritas, ut stupenda illa gesta quae Iudaeis evenerunt tragico stilo describeret (epist. 4,75; M. 78,1136); *neque fient.* Sermonem deflecti ad ultimam et omnium maximam tribulationem quae praevia futura sit consummationi saeculi statuunt *Beda, Alb. Cai. Erasmus* idque merito, uti ex sequentibus quoque colligitur. Cum enim qui in Iudaea sunt Christifideles fugere iussi sint, ii iam considerantur extra aleam et periculum positi. Quare quod in v. 20 dicitur non potest referri ad calamitatem iudaicam; potiore etiam ratione non spectat ad bellum iudaicum quod in v. 21 et 22 continetur. Illo enim tempore de pseudochristis qui dent signa et portenta sermo esse nequit et quid sibi velit admonitio in v. 21 praeclare illustratur apud Matthaeum 24,26. 27, ubi sole clarius est referri ad tempus secundo Christi adventui praevium. Dein cla-

rum est, ut *Cai.* inter alia monet, ex v. 24 intelligi tribulationem futuram ante adventum Christi; iam vero cum dicatur : post tribulationem *illam* sol obscurabitur, hic loquendi modus spectat ad v. 19 et nos docet qualis eo quoque loco θλίψις intelligenda sit. Ea autem explicatio tum fieri potest, si calamitas iudaica tamquam typus alterius consideratur ita ut sermo a typo immediate transeat ad antitypum et more prophetico haec duo intime inter se colligata atque connexa considerentur.

Diem Domini iam prophetae describunt ut diem tribulationis et angustiae, diem calamitatis et miseriae, diem tenebrarum et caliginis (Soph. 1,15. Ier. 30,7. Ioel 2,11. Amos 5,18 etc.); similiter Christus ante suum alterum adventum maximas fore afflictiones docet v. 20 *et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro* i. e. ex noto hebraismo (cf. Rom. 3,20. Gal. 2,16) nemo foret salvus; *sed propter electos quos elegit,* qua locutione Dei in eos eximia benevolentia cui soli debeatur electio ad salutem significatur, *breviavit dies;* non permittit afflictionem saevissimam fore nimis diuturnam. Designatur itaque afflictio qua praeprimis electi i. e. credentes, Christifideles premuntur, quorum tamen intuitu Deus illam tempestatem vult esse breviorem. Patet haec de tempore calamitatis iudaicae non dici. Ibi enim qui Christo credunt iam fuga periculum evasisse censendi sunt ex v. 14-18; neque facile dixeris quomodo dies illi obsidionis urbis dici possent quasi amputati quoad numerum (cf. ἐκολόβωσεν) neque ullo modo probabile est illos Iudaeos quos obsidione cinxerant Romani dici electos quos elegerit Dominus, etsi fortasse (quod aliqui coniectant; cf. *Theoph.*) pauci ex eis postea Christo nomen dedissent.

Porro illa calamitas talis est qua cognoscatur appropinquare adventum Domini. Unde erunt qui illa cognitione communi abutentur ad alios seducendos v. 21 *et tunc si quis vobis dixerit : ecce hic* ὧδε hoc loco *est Christus, ecce illic, ne credideritis;* quando enim revera appariturus est, statim clarissime omnibus innotescit, uti Matth. 24,27 comparatione fulguris quod suam coruscationem omnium oculis infert declaratur. Quae admonitio eo magis necessaria est quia erunt seductores et numero multi et patratione signorum potentes v. 22 *exsurgent enim pseudochristi et pseudoprophetae et dabunt signa et portenta ad seducendos si fieri potest etiam electos,* « dixit hoc ad significandam magnitudinem fallaciae comitantis signa et prodigia quae tunc fient » (*Cai.*). Quae prodigia fieri nos docet S. Paulus κατ' ἐνέργειαν τοῦ σατανᾶ quibus illi seducantur qui amorem veritatis amplecti nolebant; ideo mittet illis Deus operationem erroris ἐνέργειαν πλανῆς, ut credant mendacio (2 Thess. 2,9. 10); v. 23 *vos ergo videte,* cf. v. 5. 9; *ecce praedixi vobis omnia;* edocti sunt de periculo, edocti sunt patratum iri a seduc-

toribus mirabilia; ergo quicumque Christi verbis fidem adhibent, illis fraudibus et daemonum praestigiis minime capientur.

Dein enarrat quae signa immediate adventum suum antecessura sint v. 24 *sed* (ἀλλὰ adhibetur, quia abrupta monitione ad aliud transitus fit; cf. *Winer* § 53,7; eadem particula etiam sententiae inter se variae coniunguntur) *in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur;* putant aliqui solem obscuratum iri propter nimium splendorem gloriae Iesu apparentis (*Vict. Beda*); sed haec obscuratio ponitur signum ad eius adventum praevium; porro ex Matth. 24,30 illa obscuratione facta parebit signum Filii hominis in coelo et tunc plangent omnes tribus terrae et tum demum videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli; quare solem iam non suam lucem terrae offusurum esse intelligendum erit; qua ratione id fiat non indicatur; modi varii excogitari possunt quos discutere inutile est; *et luna non dabit splendorem suum;* homines omni luce privati magno percutientur terrore, solent enim tenebrae quam maxime rerum omnium horrorem augere; v. 25 *et stellae coeli erunt decidentes,* erunt e coelo cadentes; censet *Cai.* stellas dici metaphorice cadere de coelo, quia non amplius lucebunt et cum non amplius videantur ab hominibus, dici secundum fulgere suum cadere de coelo; alii explicant de meteoritis in terram irruentibus. Talis erit rerum omnium in terra et in aere perturbatio ut mundi machina videatur dissolvi; *et virtutes quae in coelis sunt movebuntur,* αἱ δυνάμεις αἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς sunt certe αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν Matth. 24,29, quae locutio respondere videtur hebr. צבא השמים et denotare astra coeli (cf. Deut. 4,19; 17,3. 2 Reg. 17,16; 21,3. Ier. 33,22 etc.); quam explicationem adoptant *Schegg, Schanz, Fil. Weiss;* alii vires quasdam et potentias primarias mundi (*Keil*), alii explicant angelos (*S. Hier. Gregorius,* in evang. hom. 1,2; *Bed. Vict. Theoph.*), qui scil. obstupescant tantam rerum mutationem fieri et conservos suos iudicari videntes, cui acceptioni nuper *Bautz* quoque accessit dum scribit virtutes coelorum, angelos, sacro quodam terrore percelli videntes quanta maiestate Deus praeparet iudicium (*Bautz,* Weltende p. 146); sed cum statim v. 27 angeli proprio vocabulo appellentur et quod sit eorum munus explicetur, haec acceptio non est probabilis. Insuper satis mirum esset, si in tali contextu quo de mundo adspectabili agitur, ea locutione qua ceteroquin in novo testamento angeli non designantur, ea voce σαλευθήσονται quae ad sacram reverentiam exprimendam minime apta est, angelorum mentio iniiceretur. Angeli apparent comites Iesu venientis.

« Appropinquantem eius terminum quantae percussiones praeveniant innotescit, ut si Deum metuere in tranquillitate non volumus, vicinum

eius iudicium vel percussionibus attriti timeamus » (*S. Greg.* in evang. hom. 1,1). Tali itaque tantaque praeparatione facta v. 26 *tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus,* cf. Dan. 7,13 *cum virtute multa et gloria;* « in potestate et maiestate visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt, ut virtutem eius tanto tunc districtius sentiant, quanto nunc cervicem cordis ad eius patientiam non inclinant » (*S. Greg.*); venit in nubibus, vel cum nubibus, eo scil. modo quo Deus ipse in s. litteris apparere dicitur et in psalmis tamquam orbis terrarum dominus et iudex describitur (cf. Ex. 14,24; 16,10; 19,9. Ps. 17, 10; 96,2; 103,3 etc.). Quare hoc quoque apparatu divina eius natura declaratur, quae pariter sequentibus demonstratur v. 27 *et tunc mittet angelos suos* (angelos enim mittere ceteroquin Deo adscribitur in Scriptura) *et congregabit electos suos a quattuor ventis,* ab omni orbis terrarum parte, *a summo terrae usque ad summum coeli,* ab extremitate terrae usque ad extremitatem coeli; populari modo uti sensibus apparet terra consideratur ut maxima quaedam planities, a cuius limite extremo electi congregari dicuntur usque ad limitem oppositum extremum, ubi limes extremus coeli terram tangere videtur, uti bene *Beda* habet : ab extremis terrae finibus per directum usque ad ultimos terminos eius, ubi longe aspectantibus circulus coeli terrae videtur indicere.

Qua ratione colligantur nos docet apostolus : ipse Dominus in iussu, in voce archangeli et in tuba Dei descendet de coelo et mortui qui in Christo sunt resurgent primi (πρῶτον, primum); deinde nos qui vivimus simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera (1 Thess. 4,15. 16) et eos qui vivi deprehensi fuerint in adventu Domini statim gloriose immutatum iri idem nos docet : canet enim tuba et mortui resurgent incorrupti et nos immutabimur; oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem et mortale hoc induere immortalitatem (1 Cor. 15,52. 53; cf. 2 Cor. 5,2-5; vide *Cornely,* Comment. in 1 Cor. p. 511; in 2 Cor. p. 142 seq.).

Praeterea similitudine effert et docet signa illa fore omnino perspicua quae adventum suum antecedant et annuntient, ita ut facile dignosci et quo tendant intelligi possint v. 28 *a ficu discite parabolam,* discite exemplum et similitudinem; *cum iam ramus eius tener fuerit,* tener factus fuerit et folia progerminaverit, *et nata fuerint folia, cognoscetis quia in proximo sit aestas,* 29 *sic et vos cum videritis haec fieri* scil. quae in v. 22. 24 dicta sunt, *scitote quod in proximo sit in ostiis,* scitote Filium hominis prope abesse et mox venturum. Tria hac similitudine innuuntur; primum quod non magnum spatium sit futurum inter illa et alterum Christi adventum; secundo quod certo et necessario illa

signa sit secuturus adventus, quemadmodum certum est et necessarium ut gemmantibus arboribus aestas adveniat; tertio significari quoque potest comparatione illa amoena, horribilia illa signa non portendere fidelibus imminentem malorum tempestatem et veluti hiemem quandam, sed illis indicari rerum omnium iucundam immutationem et felicioris temporis post asperitatem vitae successionem veluti aestatis post hiemem (cf. *Ians.*).

Quo magis efferat doctrinae suae et vaticinii veritatem et gravitatem, duo addit quasi confirmationis loco; prius in v. 30 *amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec omnia ista fiant;* quaenam sit generatio haec, varie interpretantur; aliqui accipiunt de aequalibus Christi quia Christus in universum supponat discipulos victuros esse usque ad suum adventum (*Weiss*), id quod nullatenus admitti potest. Nomine generationis aut omne hominum genus significat aut specialiter Iudaeorum, scribit *S. Hier.* quem sequuntur *Bea. Fil.;* at homines fore ut exsistant usque ad Christi adventum, certe supervacaneum erat asserere; neque dici potest generationem credentium, electorum non esse eousque cessaturam (*Theoph. Cai.*); nam id quoque satis inutiliter affirmaretur. Idem dici debet de sententia quam proposuit *Klostermann* (apud *Schanz*) sequi ex notione huius generationis eos qui victuri sint tempore apostasiae magnae etiam visuros esse ea quae in v. 26 dicantur. Proin Christus solum enuntiaret eos qui signa praevia viderint etiam visuros quae mox postea eventura sint. Vocem ad alienam notionem detorquent *Ians. Lamy :* hanc mundi aetatem et formam quae per evangelii praedicationem tum coepta sit esse novissimam neque praeter eam aliam esse exspectandam singularem orbis mutationem, donec omnia fierent quae dicta sunt. Ad quam acceptionem proxime quoque accedit *Mald.* qui censet generationem hoc loco appellari totum mundum atque sensum esse : adeo certa sunt quae Christus praedixerat ut non ante finiendus sit mundus quam evenerint; idque colligi manifeste ex sequentibus opinatur.

Omnis utique evaneseeret difficultas, si verba ea possent referri ad calamitatem iudaicam quae antea praedicta est aut si post illud vaticinium insererentur. Tum Christus loqueretur de generatione hac, uti haud raro, designans scil. Iudaeos aequales suos. Quamvis negari nequeat similitudinem a ficu depromptam aequali modo valere et de signo quod pro instante urbis ruina datum sit v. 14 et de signis alteri Christi adventui praeviis, tamen nequit fieri ut solum ad priorem eventum referatur eo scil. loco eoque orationis contextu, in quo apud tres synopticos legitur. Quare necessario ad utrumque eventum spectat ideoque generatio haec pariter ita concipi debet ut ad tempus secundi ad-

ventus pertineat. Debet itaque esse sermo de Iudaeis aequalibus Christi sensu eodem quo apud prophetas tota gens israelitica tamquam una persona (quae moralis solet dici) consideratur et describitur, quae ex Aegypto sit educta et quae per saeculorum cursum multipliciter sit a Deo erudita et castigata; vide Ier. 2,2 seq. recordatus sum tui miserans adolescentiam tuam et caritatem desponsationis tuae quando secuta es me in deserto... et induxi vos in terram carmeli etc.; cf. Ez. cap. 16. 23. Eodem modo Christus loquitur Matth. 23,34 seq. cum v. g. dicat Iudaeis aequalibus : quem (Zachariam filium Barachiae, 2 Par. 24,22) occidistis inter templum et altare. Pari modo hic intelligi debet *generatio haec,* gens haec iudaica quae tum exsistit cum loquitur et quae tamquam talis gens permanebit. Ad quam explicationem confirmandam addi potest quod recte monet *Patr.* vocem hebr. דּוֹר cui respondeat γενεά compluries significare genus aliquod hominum separata prorsus aetatis notione, sicut Deut. 32,5. 20. Ps. 11,8; 23,6; 72,15; 77,8; 111,2. Praedicitur itaque « quod nosmetipsi non sine admiratione conspicimus, populum israeliticum inter omnes gentes dissitum quidem sed impermixtum ac minime dubia origine usque ad finem mundi duraturum totaque sententia est fore ut Israelitae non ante esse desinant quam ea omnia quae dicta sunt evenerint » (*Patr.*). Atque gentem eam permansuram esse etiam supponitur ab apostolo (Rom. 11,25. 26). Etsi igitur concedendum sit γενεάν non significare populum, seu gentem notione nativa, tamen ex notione progeniei, facile consequitur significatio qua certum *genus* hominum designatur, uti *Weiss* quoque fatetur.

Altera vaticinii confirmatio etiam sollemnius et gravius enuntiatur v. 31 *coelum et terra transibunt* i. e. cum novos coelos et novam terram secundum promissa eius exspectemus (2 Petr. 3,13), praesens coeli terraeque forma quae adeo firma ac stabilis videtur transibit et mutabitur, *verba autem mea non transibunt,* manent quoad rem quam edicunt, certissime fiet quod iis enuntiatur. « Nihil est in rebus corporalibus coelo firmius, nihil immobilius terra; verum coelum et terra citius mutatura sunt naturam suam quam verba mea futura sint inania » (*Erasmus*) et *S. Greg.* : « omne quod apud vos durabile est, sine immutatione durabile ad aeternitatem non est; sine mutabilitate manentes sententias exprimit meus sermo ». Atque eodem modo iam loquitur Deus apud Isaiam : levate in coelum oculos vestros et videte sub terra deorsum, quia coeli sicut fumus liquescent et terra sicut vestimentum atteretur; salus autem mea in sempiternum erit et iustitia mea non deficiet (51,6; cf. 54,10). Transibunt coeli et terra non abolitione, sed immutatione, transibunt qualitate, forma, innovatione. Quod cum sacris litteris doceamur (2 Petr. 3,13; cf. Rom. 8,21), sententia haec

non erit concipienda cum aliquibus quasi solum diceretur : potius fore ut eveniret quod nemo futurum putet quam contingat ut inane evadat verbum divinum, vel : si alterum horum defecturum sit, deficient prius coelum et terra, quam meis verbis deficiat fides. Haec sententia utique declaratur Luc. 16,17 : facilius est coelum et terram praeterire quam de lege unum apicem cadere; at nostro loco sermo alio modo eoque absoluto conformatur : illa transibunt, verba mea non transibunt. Quare ad conditionalem eo minus est detorquendus quia aliis locis discimus qua ratione coeli et terra revera sint transitura (cf. quae notavi ad Is. 51,6, Comment. II p. 267 seq.).

c) Esse vigilandum 13,32-37.

13,32. De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater. 33. Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit.

34. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cuiusque operis, et ianitori praecepit ut vigilet. 35. Vigilate ergo (nescitis enim quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane). 36. Ne quum venerit repente, inveniat vos dormientes. 37. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.

13,32. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης ἢ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ ἄγγελος ἐν οὐρανῷ, οὐδὲ ὁ υἱός, εἰ μὴ ὁ πατήρ. 33. Βλέπετε, ἀγρυπνεῖτε· οὐκ οἴδατε γὰρ πότε ὁ καιρός ἐστιν. 34. ὡς ἄνθρωπος ἀπόδημος ἀφεὶς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ δοὺς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν, ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ, καὶ τῷ θυρωρῷ ἐνετείλατο ἵνα γρηγορῇ. 35. γρηγορεῖτε οὖν, οὐκ οἴδατε γὰρ πότε ὁ κύριος τῆς οἰκίας ἔρχεται, ἢ ὀψὲ, ἢ μεσονύκτιον, ἢ ἀλεκτοροφωνίας, ἢ πρωΐ, 36. μὴ ἐλθὼν ἐξαίφνης εὕρῃ ὑμᾶς καθεύδοντας. 37. ὃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσιν λέγω, Γρηγορεῖτε.

In v. 32 fere omnes (excepto B) οι αγγελοι; neque filius *hominis* in dub ept lich ken; pater *solus* tol c a k sax sah aeth, Δ μονος ο πατηρ: similiter aliq minusc, e Matth. In v. 33 add και προσευχεσθε ℵ A C L X Γ Δ Π unc 9 al fere omn f ff² i l q vulg sah cop syr (utr) arm aeth; proinde satis commendatur. In v. 34 sicut *enim* mt ox; a et dedit (c e ff² dans) servis suis potestatem unicuique opus suum, uti graece; paulo liberius g² l vulg (d f q data servis suis potestate cuiusque operis); i et det (cf. *praecipiat* in am big cav fuld hub theod for med rush lind harl, et ita edidit Wordsworth) servis suis potestatem et unicuique opera sua.

Demum adhortatur Christus, ut vigilemus i. e. ut semper parati simus tali vitae ratione animique dispositione qua fidenter ac secure nos Deo iudici sistere possimus, quia nesciamus quando iudicium illud sit futurum. Unde Christus docet diem illum quamvis certa quaedam signa habeat praevia tamen plane esse incognitum v. 32 *de die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo neque Filius nisi Pater,* vel ut Matth. 24,36 : nisi solus Pater. Num ergo Filius ignorat diem? Filium Dei quidquam ignorare quis dicere audebit? Loquitur itaque Filius, ut

Mald. ait, eodem modo quo alibi dicit : sedere autem ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis sed quibus paratum est a Patre meo (Matth. 20,23); « itaque indicat se non solum ut hominem sed etiam ut Deum modo quodam diem iudicii ignorare; non quod ignoret, sed quod non ipsius officium sit scire, sicut non dixit quibus paratum est a me, sed a Patre meo, non quod non etiam ab ipso paratum esset, sed quod regnum parare i. e. praedestinare non ipsius sed Patris officium sit; sic etiam Patris est constituere quando solvendus sit mundus, quando dies iudicii futurus sit; hoc est quod apostolis dicit : non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate (Act. 1,7). Propterea solus ipse scire significatur; atque hic nisi fallor verus est sensus ». Verbum divinum omnia scientia sua complecti evidens est. Sed num fortasse dici potest Christum ut hominem i. e. animam eius humanam, cui omniscientia neutiquam communicari potest, ignorare diem illum? Neque id dici posse tum ex hoc ipso loco tum aliunde conficitur. Se enim loquentem scire iam satis indicat, cum statim subdat v. 33 videte, vigilate, *nescitis* enim quando tempus sit; « neque enim dixit : οὐκ οἶδα, sed οὐκ οἴδατε » (*Vict.*) « et non dixit quia nescimus, sed nescitis » (*Beda*). Praeterea provocant ad Act. 1,7: « quando dicit *non est vestrum scire*, ostendit quod ipse sciat, sed non expediat nosse apostolis ut semper incerti de adventu iudicis sic quotidie vivant quasi die alia iudicandi sint » (*S. Hier.* ad Matth. 24,36; *Bed. Alb.* etc.). Insuper cum Christus dicat : omnia mihi tradita sunt a Patre meo (Matth. 11,27), certe nequit dici quidquam quod ad munus eius qui est iudex pertineat ei non fuisse communicatum. Dicit itaque Christus homo, uti fert explicatio longe communior, se nescire diem illum, quia tamquam legatus ad homines missus illa solummodo docet quae ex voluntate Patris mittentis hominibus communicanda sunt; « quod ad cetera, si quae forte legatus sciat, ita se gerere debet ac si nesciat, sique de iis rogatur, respondet se nescire ac verum respondet, ut legatus enim loquitur, ut autem legatus nihil scit nisi quae dicere iussus est; illum diem illamque horam Deus nos latere vult; Christus ergo Dei legatus utrumque se nescire dicere vere potuit » (*Patr.*). Proinde se nescire dicit scientia scil. communicabili (cf. *Alb. Ians. Schanz, Fil.*).

Quid ex doctrina Patrum de hac quaestione colligatur exposui in periodico Stimmen aus Maria Laach 1879, tom. 16 p. 8 seq.; luculenter quoque Patrum ea de re sententias recenset *Stentrup*, De Verbo incarnato, Oeniponte 1882 p. 1113-1140. Hoc loco pauca indicare sufficiat quibus pateat a Christo homine ignorantiam eius diei esse omnino exclusam. Et *S. Hilarius* quidem quae ea de re docuit ipse ita complectitur : « hanc nescitae diei professionem non ignorationis esse infirmitatem, sed tacendi dispensationem

docuimus » (de Trinitate 10,8; *M.* 10,348; cf. de Trin. 9,59. 71). Atque *S. Augustinus* : « et quod dictum est nescire Filium, sic dictum est quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scirent » (de diversis quaest. 83, qu. 60; *M.* 40,48) et alibi : « hoc enim nescit quod nescientes facit, id est, quod non ita sciebat ut tunc discipulis indicaret; hoc inter illos nesciebat quod per illum scire non poterant, et hoc solum se scire dicebat quod eos per illum scire oportebat » (de Trinitate, 1,12. 23; *M.* 42,837) et alio loco : « sed quia hoc utiliter occultabat discipulis, nescientem se esse dixit, quia illos nescientes occultando faciebat » (de Genesi contra Manichaeos, 1.22. 34; *M.* 34,190). Item profitetur *Leporius* in libello emendationis, in quo contrariam sententiam anathematizat, « quia dici non licet etiam secundum hominem ignorasse Dominum prophetarum » (n. 10; *M.* 31, 1229). Quanta autem fuerit apud veteres eius libelli auctoritas, declarat Cassianus dum scribit : « hanc ergo eius (Leporii) confessionem, id est, catholicorum omnium fidem, et omnes Africani episcopi unde scribebat et omnes Gallicani ad quos scribebat comprobaverunt » (de Incarn. 1,6; *M.* 31, 1218 et 51, 29), eundem libellum Ioannes II papa laudat eumque a synodo africana firmatum asserit. Auctor quoque quaestionum et responsionum ad orthodoxos impium esse dicit Christo ignorationem adscribere (ἀσεβές; qu. 58; *M.* 6,1300). Et *S. Chrysostomus* inter alia haec Christum facit loquentem : « quod enim non ignorem diem illum iam multis ostendi; spatia temporum et quae ventura sunt omnia dixi » eumque ait discipulos voluisse prohibere ne quaererent (hom. 77 al. 78 in Matth.; *M.* 58,704). Gravia omnino sunt verba *S. Sophronii*, patriarchae hieros. in epistola synodica ad Sergium, in qua inter eos quibus anathema in perpetuum et catathema dicit etiam recenset Themistium, « qui fuit ignorantiae pater et genitor atque seminator nefandissimus, qui Christum verum Deum nostrum diem iudicii nescisse delirabat, nesciens quae ipse iam a Deo proiectus assereret et non recognoscens quae ignorando loquebatur. Nisi enim ignorasset verborum suorum virtutem, non utique letiferam ignorantiam peperisset et ignorantiae foeditatem ferventer defenderet, ignorare Christum non secundum id quod Deus erat sempiternus, sed secundum quod veraciter homo factus, diem consummationis atque iudicii ex insipientia (ἐξ ἀφρόνων φρενῶν) eructans et purum (ψιλὸν) eum efficiens hominem » (*M.* 87,3192). Et *S. Ioannes* damascenus de Agnoetis, qui et Themistiani, scribit : « hi impie (ἀσεβῶς) docent Christum nescire diem iudicii » (de haeresibus n. 85; *M.* 94,756). Similiter egit contra eosdem *S. Eulogius* asserens Christum neque secundum humanitatem quidem ignorasse ultimum diem, uti refert *Photius* in Bibliotheca cod. 230 (*M.* 103,1081). Atque *S. Gregorius* magnus hanc S. Eulogii sententiam laudat, ad quem quoque scribit : « ante longum tempus quam vestra scripta susciperem, contra eandem haeresin ipsa respondi quae postmodum in epistola vestrae sanctitatis inveni; in multis enim eandem vestram epistolam ita reperi ac si contra praedictam haeresim scripta latinorum Patrum legerem » (epist. 10,35; *M.* 77,1092). Porro idem s. doctor in epist. 10,39 (*M.* 77,1096 seq.)

eandem Eulogii doctrinam laudat eamque per omnia latinis Patribus concordare ait; tum recitat interpretationes S. Augustini et demum suam profert quoque sententiam : « diem ergo et horam iudicii scit Deus et homo, sed ideo quia Deus est homo; res autem valde manifesta est quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Scriptum quoque est : sciens Iesus quia omnia dedit ei Pater in manus (Ioan. 13,3); si omnia, profecto et diem iudicii et horam. Quis ergo ita stultus est ut dicat quia accepit filius in manibus quod nescit »?

Merito scribit *Stentrup* l. c. p. 1108 : « id saltem manifestum est persuasionem de quacumque proprie dicta ignorantia Christo abiudicanda post disputationes contra Agnoetas in Ecclesia fuisse universaliter ab omnibus receptam. Et revera ab hac aetate catholicum scriptorem qui aliter sentire ausus fuerit vix reperies ullum. Lutherus primum et Calvinus, quibus praelusit Erasmus in annotationibus ad novum testamentum Agnoetarum doctrinam denuo excitarunt. Et quod dolendum summopere est, catholici etiam quidam theologi recentioris aetatis sententiam Agnoetarum opinioni cognatam suam fecerunt ». Atque *Franzelin* longiorem disputationem hunc in modum concludit : « ex dictis constat etiam a natura Christi Domini humana oportere excludere ignorantiam proprie dictam quae esset privatio perfectionis debitae statui, dignitati et potestati Filii Dei in natura sua assumpta per unionem hypostaticam, reparatoris generis humani et iudicis universalis. Hinc haereticis adscripti sunt Agnoetae qui saeculo 6 duce Themistio diacono Timothei episcopi alexandrini ex Eutychianorum secta Christum quatenus homo est aliqua ignorasse docuerunt ». Explicationem nostri loci obviam et planiorem vocat eam qua statuitur ignorationem istam diei iudicii esse oeconomicam, quatenus Christus est revelator consiliorum et mysteriorum Dei (Tractatus de Verbo incarnato, Romae 1869 p. 423. 424.)

Ceterum vario modo difficultatem quae in verbis textus offertur removere studebant interpretes et theologi; Christum dici nescire, quia non ex humanitate seu humana natura et scientia, sed divina et singulari revelatione sciat *Cai.* Quo sensu iam veteres aliqui locuti sunt, ut *S. Gregorius* naz. or. 30 n. 15 (cf. Ioannes damasc. de fide orth. 3,21) et *S. Athanasius* (cf. *Stentrup* l. c. p. 1127). Immo non defuerunt qui verterent et explicarent : neque Filius sciret, nisi Pater sciret; cf. *S. Basilius* (ep. 236; *M.* 32,880) *Vict. Euth.* Alii dicebant Christum ita loqui quia nondum exercuisset iudicium; unde practice eum nescire; id quod sane subtilius est. Pariter admitti nequit quod Origenes in Matth. indicat et inter alia S. Gregorius quoque affert, Christum ita fuisse locutum non in persona propria sed suorum membrorum. *S. Thomas* 3 p. qu. 10 art. 2 et contra gent. 4,8 n. 8 accedit ad sententiam S. Augustini : dicitur nescire diem iudicii, quia non facit scire; *Suarez* vero subscribit sententiae communiori, Christum negasse se scire quia veluti sub secreto illud sciebat et non ad dicendum aliis (de Incarnatione, in 3 p. S. Thom. qu. 10 art. 2). Theologi scholastici eam quaestionem tractare inter alia solent in comment. ad 3 Sentent. dist. 13.

Quod igitur dicit *neque Filius,* voluit eos coercere ne quaererent, « si enim dixisset : scio quidem, sed nolo vobis revelare, moerore illos affecisset; nunc autem prudenter rem agit et eos omnino prohibet ne discere affectent » (*Theoph.;* similiter *S. Chrys.* ad Matth. 24,36 hom. 77 al. 78). Atque cur eos velit ignorare diem, perspicue ostendit Dominus (*S. Hier. Bed. Vict.*) v. 33 *videte,* βλέπετε cf. v. 5. 9, *vigilate et orate; nescitis enim quando tempus sit;* qua ratione vigilandum sit, explicat apostolus 1 Thess. 5,6 seq. : nos autem sobrii simus induti loricam fidei et caritatis et galeam spem salutis etc. et similiter 1 Cor. 7,29 seq. tempus breve est; reliquum est ut qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur; praeterit enim figura huius mundi; cf. 2 Cor. 5,9. 10. Et quomodo nos oporteat semper paratos esse ita ut cum fiducia venientem iudicem possimus excipere, comparatione declarat v. 34 *sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam et dedit servis suis potestatem cuiusque operis* ἀφεὶς.. καὶ δούς declaratur scil. quid homo ille qui ἀπόδημος esse voluit, egerit antequam proficisceretur; dedit servis potestatem regendae scil. domus et curam habendi rei familiaris, ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ suum scil. cuique opus et munus demandavit et assignavit *et ianitori praecepit* (verte καί *etiam*) *ut vigilet;* sententia non absolvitur, ὡς *sicut* est, uti loquuntur, anantapodoton, quemadmodum Matth. 25,14; verum facile suppletur : sicut ille praecepit, ut vigilarent operi suo quisque insistentes, ita ego vobis dico : vigilate. Quare secundum sensum in v. 35 sententia incepta absolvitur. Aliis quandoque placet ante ὡς *sicut* supplere : itaque res se habet, sicut etc. vel similiter. Brevissimo modo Marcus recolere videtur argumenti summam de parabola talentorum (Matth. 25,14 seq.). Quam incertus sit Domini adventus, iterum monet v. 35 *vigilate ergo; nescitis enim quando dominus domus veniat, sero an media nocte, an galli cantu an mane,* quattuor vigilias noctis enumerat; a tempore quippe Pompeii etiam apud Iudaeos qui tres vigilias numerare solebant mos invaluit romanus numerandi quattuor (vide ad Matth. 14,25). Noctis tempus (a solis occasu ad ortum usque) ponitur tamquam tempus adventus, ut necessitas vigilandi commendetur; cf. Matth. 24,43 si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset vigilaret utique et 1 Thess. 5,2 ipsi diligenter (ἀκριβῶς accurate) scitis quia dies Domini sicut fur in nocte ita veniet; vigilate ergo, v. 36 *ne cum venerit repente,* subito, ex improviso ἐξαίφνης, *inveniat vos dormientes* et ita non paratos ad dominum excipiendum; idem monet apostolus : omnes vos filii lucis estis et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum; igitur non dormiamus sicut et ceteri, sed vigilemus et sobrii simus (1 Thess. 5,5. 6; cf. Rom. 13,11 hora est iam de somno surgere).

Applicatio parabolae facilis est obvia. Homo ille qui se itineri committit Christus est ascendens in coelum (*Vict. Euth.*); servi sunt omnes fideles; hisce committitur domus administratio i. e. opus quod Christus in condenda Ecclesia incepit et unicuique speciale quoddam officium demandatur; opus *Vict.* generatim explicat de observatione mandatorum. Ianitori speciali modo praecipitur ut vigilet, quia eius est domino advenienti aperire ianuam; unde quod ianitor nominatur ad parabolam pertinet, neque opus erit cum *Beda* pastores Ecclesiae interpretari; *Euth.* exponit ianitorem de mente uniuscuiusque quae ianuis animae i. e. sensibus praesit per quos fur spiritualis ingredi soleat. Quattuor noctis vigilias *Theoph. Euth. Alb.* explicant de quattuor aetatibus, cum alii in pueritia, in iuventute alii, alii in aetate virili, in senectute alii Domino iudici per mortem sistantur. Per ianitorem qui iussus est vigilare non intelligi certum quendam in Ecclesia ordinem hominum etiam ex Christi verbis consequitur v. 37 *quod autem vobis dico, omnibus dico : vigilate* i. e. omnibus qui futuri sunt usque ad mundi consummationem (*Euth.*). Cum itaque omnes ad suum adventum velit vigilare et tamen profecto sciverit plurimas hominum generationes esse morituras ante alterum suum adventum, merito concludimus dici Dominum venire quoque tum ad unumquemque quando morte sistitur ad tribunal iudicis et proinde horam mortis uniuscuiusque vero aliquo sensu tempus esse adventus Domini pro singulis et Christi monita uti spectant ad universam Ecclesiam quae semper parata esse debeat tamquam sponsa obviam ire sponso, ita quoque ad singulos dirigi qui iubeantur semper esse parati ne morte mala et improvisa abripiantur. Et quantopere hanc admonitionem esse necessariam Christus censuerit et quam sedulo eam voluerit animis omnium impressam et inculcatam, praeclare manifestatur compluribus illis apud Matthaeum 24,37-25,30 parabolis.

4. *Enarratur passio Christi* 14,1-15,47.

a) Coena in Bethania 14,1-11.

14,1. Erat autem pascha et azyma post biduum, et quaerebant summi sacerdotes et scribae quomodo eum dolo tenerent, et occiderent.

2. Dicebant autem : Non in die festo; ne forte tumultus fieret in populo. 3. Et quum esset Bethaniae in domo Simonis leprosi, et recumberet, venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput eius. 4. Erant autem quidam indi-

14,1. Ἦν δὲ τὸ πάσχα καὶ τὰ ἄζυμα μετὰ δύο ἡμέρας· καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς, πῶς αὐτὸν ἐν δόλῳ κρατήσαντες ἀποκτείνωσιν· 2. ἔλεγον γάρ, Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, μήποτε ἔσται θόρυβος τοῦ λαοῦ. 3. Καὶ ὄντος αὐτοῦ ἐν Βηθανίᾳ, ἐν τῇ οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, κατακειμένου αὐτοῦ, ἦλθεν γυνὴ ἔχουσα ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς, συντρίψασα τὴν ἀλάβαστρον κατέχεεν αὐτοῦ τῆς κεφαλῆς. 4. Ἦσαν δέ τινες ἀγανακτοῦντες πρὸς

gne ferentes intra semetipsos et dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est?

5. Poterat enim unguentum istud vaenundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6. Iesus autem dixit: Sinite eam; quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me. 7. Semper enim pauperes habetis vobiscum; et quum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. 8. Quod habuit haec, fecit; praevenit ungere corpus meum in sepulturam.

9. Amen dico vobis: Ubicumque praedicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec narrabitur in memoriam eius.

10. Et Iudas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. 11. Qui audientes gavisi sunt, et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quaerebat quomodo illum opportune traderet.

ἑαυτοὺς, Εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη τοῦ μύρου γέγονεν; 5. ἠδύνατο γὰρ τοῦτο τὸ μύρον πραθῆναι ἐπάνω τριακοσίων δηναρίων, καὶ δοθῆναι τοῖς πτωχοῖς· καὶ ἐνεβριμῶντο αὐτῇ. 6. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν, Ἄφετε αὐτήν· τί αὐτῇ κόπους παρέχετε; καλὸν ἔργον εἰργάσατο ἐν ἐμοί. 7. πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, καὶ ὅταν θέλητε δύνασθε αὐτοὺς πάντοτε εὖ ποιῆσαι· ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε. 8. ὃ ἔσχεν ἐποίησεν· προέλαβεν μυρίσαι τὸ σῶμα μου εἰς τὸν ἐνταφιασμόν. 9. ἀμὴν δὲ λέγω ὑμῖν, Ὅπου ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον εἰς ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη λαληθήσεται εἰς μνημόσυνον αὐτῆς.

10. Καὶ Ἰούδας Ἰσκαριώθ, ὁ εἷς τῶν δώδεκα, ἀπῆλθεν πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς, ἵνα αὐτὸν παραδοῖ αὐτοῖς. 11. οἱ δὲ ἀκούσαντες ἐχάρησαν, καὶ ἐπηγγείλαντο αὐτῷ ἀργύριον δοῦναι· καὶ ἐζήτει πῶς αὐτὸν εὐκαίρως παραδοῖ.

In v. 2 γαρ ℵ B C* D L it et codd vulg cop; c k ne cum venerit turba in (ad) diem festum tumultus oriatur in populum (k fiat tumultus populi). In v. 3 nardi *pistici* gat tol dub d f g$^{1.2}$ i (k piscicae). In v. 4 q indignantes ad se ipsos. In v. 7 δυνασθε αυτους παντοτε ℵ^{c} B L sah cop W H; codd vulg. mu praebent bis *habebitis*. In v. 9 codd pler αμην δε a Ti W H; το ευαγγελιον sine additam ℵ B D L aliq minusc a ff^{2} i k; in universum mundum cav for lich ken rush tol. In v. 10 ισκαριωθ ℵ B C* L Ti W H; a ff^{2} i scarioth; codd pler vulg scariotis (scariothes); ο εις ℵ B C* L M cop Ti W H. In v. 11 lich ken et *ex eo* quaerebat.

Iam saepius primores consilium ceperunt perdendi Iesum; cf. Matth. 12,14. Marc. 3,6; et sollemniore modo idem constituerunt Lazaro in vitam revocato (Ioan. 11,49). Iis autem quae Christus egit et disputavit hisce ultimis diebus a sollemni in urbem ingressu et deinceps furor eorum et insania in immensum augebatur. Quare maiore studio quaerunt quomodo eum perdant (Luc. 19,47) v. 1 *erat autem pascha et azyma post biduum;* die 14 nisan ad vesperam agnus paschalis debuit comedi et ab eo tempore etiam panes azymi, non fermentati, erant adhibendi per octo dies. Indicat itaque Marcus biduo ante pascha i. e. feria tertia die 12 nisan ea quae in antecedentibus retulit acta esse; per eos autem dies *quaerebant summi sacerdotes et scribae quomodo eum dolo tenerent et occiderent*, ἐζήτουν « nota tempus verbi imperfectum; non enim ait Marcus tunc cum biduum ante pascha supererat sacerdotes

scribasque consilia inire coepisse de Christo sustollendo, sed diem indicat quo Christus illum sermonem habuit continuoque addit ut per eos dies isti perficere studerent quod tertio iam mense (Ioan. 11,49-53) machinabantur » (*Patr.*). Uti alias timore populi cohibebantur ne aperta vi manus in eum iniicerent, ita tum quoque satius duxerunt exspectare donec festivitate peracta turbae Galilaeorum urbe excessissent v. 2 *dicebant autem : non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo;* Iesum enim multi secuti erant e Galilaea qui eum habebant prophetam et quanto erga eum studio plurimi tenerentur manifestum iis erat et ipso ingressus in urbem die et admiratione illa qua turbae in templo disputationes Iesu prosequebantur (11,18; 12,17. 37). Quod habetur in nostra *vulg.* et in aliquibus codicibus graecis *dicebant autem,* facile fluit; difficilior est lectio quae critice praefertur ἔλεγον γάρ, *dicebant enim* (uti codices *vulg.* quoque habent), prout etiam ex varia interpretatione elucet; nam aliqui referunt particulam *enim* ad ἐζήτουν πῶς, alii ad *occiderent,* alii ad *dolo.* Sed difficile perspicitur, cur *non in die festo* etc. afferatur tamquam ratio studii eum tenendi vel occidendi vel tamquam causa id ἐν δόλῳ peragendi. Exspectaremus dici : quomodo eum post dies festos dolo tenerent (uti *Schegg* explicat), vel dicendum erit esse supplendum (quod *Cai.* innuit) : non enim audebant vim manifestam inferre palam; nam timebant ne populus tumultuaretur contra ipsos, si vim publice in Christum intulissent.

« Illi quidem consultabant sollemnitatis tempus praetermittere; at non permissum est eis, sed ipse sibi ipsi tempus passionis statuens in pascha crucifigi voluit; ipse enim erat pascha verum. Unde virtutem eius admirari licet; nam cum illi vellent eum comprehendere non potuerunt; quando autem illi noluerunt propter festum diem, tunc voluntarius ipse seipsum tradidit » (*Theoph. Vict.*). Cur antiquitus feria quarta ieiunandi consuetudo fuerit ex hoc loco *Vict.* quoque explicat, quia passio feria sexta sit perfecta; pascha itaque intelligebatur eo modo quo apostolus dicit : pascha nostrum immolatus est Christus (1 Cor. 5,7), quod alias appellatur πάσχα σταυρώσιμον. Alii eum usum ideo in feriam quartam esse translatum putant quia consultatio illa habita sit feria tertia ad vesperam et Iudae proditoris ad sacerdotes accessus et sponsio feria quarta (cf. *Schegg;* vide ad Matth. 26,4).

Coena in Bethania et unctio Iesu peracta est, prout ex Ioan. 12,1-12 patet, ante sollemnem in urbem ingressum. A Matthaeo et Marco hoc loco refertur, quia quae ibi gesta sunt magnam partem impulerunt Iudam ad facinus excogitandum quo satisfaceret suae avaritiae. Quare *Alb.* dicit : hic conceptae proditionis tangitur turpis causa, et *Cai.* unguentum effusum commemorari a Marco ad insinuandam rationem qua

motus fuerit Iudas ad vendendum Iesum summis sacerdotibus (et similiter *Sylv. Patr. Schegg, Fil.*). Praeterea iterum nos docet evangelista Iesum clarissime praescivisse mortem suam et sepulturam et nobis in ea coena delineat quanta animi pace ac tranquillitate Iesus suam praevideat passionem, dum eius adversarii inquieti, consilii expertes timore perturbentur (*Schanz*); v. 3 *et cum esset Bethaniae in domo Simonis leprosi* qui olim erat leprosus et quem a Iesu sanatum putant *et recumberet,* mensae accumberet, *venit mulier,* ex Ioan. 12,3 cf. 11,1 certum est mulierem illam fuisse Mariam, sororem Lazari, *habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi;* alabaster, ἀλάβαστρον appellabatur vas unguentarium ex alabastrite lapide confectum. Onychem, ut Plinius scribit (nat. hist. 36,12) aliqui lapidem alabastriten vocant quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur; nascitur circa Thebas aegyptias et Damascum Syriae; hic ceteris candidior; probatissimus vero in Carmania, mox in India, iam quidem et in Syria Asiaque. De nardo idem (l. c. 12,12. 26) : de folio nardi plura dici par est ut principali in unguentis; frutex est gravi et crassa radice, sed brevi ac nigra fragilique quamvis pingui, situm redolente, ut cypiros, aspero sapore, folio parvo densoque; cacumina in aristas se spargunt, ideo gemina dote nardi spicas ac folia celebrant. Et 13,2. 3 idem asserit unguenta optime servari in alabastris et ad regale unguentum inter alia adhiberi nardi spicam. Vox ipsa נרד *nardus* derivatur a voce sanscritica naladà (nala, suavis odor); planta a rerum naturalium peritis refertur ad familiam valerianarum et appellatur nardostachys jatamansi (cf. *Schegg,* Bibl. Archaeologie p. 229); interpres noster adoptavit alteram vocis formam : nardum, i; unde scripsit unguentum nardi spicati i. e. unguentum quod confectum est ex nardo spicarum vel aristarum fasciculos gerente (cacumina in aristas se spargunt, Plinius) vel ut *Beda* iam recte dicit loco illo Plinii laudato : « quia videlicet unguentum illud quod attulit Maria Domino non solum de radice confectum nardi, verum etiam quo pretiosius esset, spicarum quoque et foliorum eius adiectione odoris et virtutis illius erat accumulata gratia ».

Legitur graece νάρδου πιστικῆς, atque idem Ioan. 12,3 ubi *vulg.* quoque habet : libram unguenti nardi pistici. Probabilissima πιστικῆς explanatio est designari nardum *sinceram* et puram vel genuinam (non pseudonardum; adulteratur et pseudonardo herba etc., Plinius 12,12. 26); ita concipiunt *S. Hier. Theoph.* (ἄδολον νάρδον καὶ μετὰ πίστεως κατασκευασθεῖσαν) *Euth.* (τὴν ἄκρατον καὶ καταπεπιστευμένην εἰς καθαρότητα) *Cai. Sylv. Patr. Schanz, Fil. Keil, Weiss* aliique. Alii quandoque vocem explicarunt a πιπίσκω : nardus potabilis, eo quod unguenta et praesertim etiam oleum nardi adhibebantur ad vina condienda (cf. Plinius 14,19. 5); verum πιστικός notione ea nunquam usurpatur. Pariter improbabile est vocem ortam esse ex πτίσσειν quo nardus com-

pressa, contusa designetur. Ad urbem in Perside quae Pista, Pisteira appelletur alii quandoque vocem amandarunt; eo nomine metropolin in Carmania designari ab Abulfeda dicunt; alii ad urbem, cui nomen Piska, in India nos remittunt et pischtata, pischita esse nomen unguenti pretiosi; cf. *Sepp*, Leben Jesu V p. 409. Demum *Wetstein* censet Marcum Romae scribentem usum esse verbis apud Romanos usitatissimis; *spicatum* autem deflexisse in πιστικόν. Verum num Ioannes quoque censendus erit vocem deflexisse latinam non Romae sed Ephesi scribens? sed eo loco *Wetstein* altum servat de voce silentium.

Quo magis honoraret Dominum suumque testaretur amorem Maria non partem librae unguenti pretiosi, sed totam simul impendit libram (Ioan. 12,3); quare vas i. e. os tenue vasis fregit, *et fracto alabastro effudit super caput eius;* hospites honorari solebant usu unguenti; quare Christus exprobravit pharisaeo: oleo caput meum non unxisti (Luc. 7,46) et quo uberius adhibebatur unguentum, eo maior impendebatur honor, ut scil. non solum caput ungeretur, sed unguentum odoriferum etiam in barbam vestesque deflueret; cf. Ps. 44,9; 132,2. Iesus vitam agebat pauperem et ad pauperem vitam apostolos quoque instituebat; insuper vae dixerat divitibus, magnopere commendaverat eleemosynas, monuerat scriptum esse: misericordiam volo et non sacrificium; quare intelligitur cur aliqui discipulorum non solum mirentur, verum aegre tulerint, quod tanta unguenti pretiosi copia impenderetur uni unctioni (cf. *Vict. Euth.*) v. 4 *erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos*, πρὸς ἑαυτούς erit intelligendum, uti 10,26 et 11,31 et saepius, non apud se, apud animum suum, sed *inter se* loquebantur indignati (*et dicentes*): *ut quid perditio ista unguenti facta est?* minime enim, uti ex sequentibus et responsione Christi patet, apud se continebant indignationem, verum increpabant mulierem. Ea in re et agmen duxisse et pessimo animo egisse Iudam docet S. Ioannes; v. 5 *poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis et dari pauperibus* i. e. plus quam 250 fr. monetae gallicae (*Fil.*) et 195-200 M. monetae germanicae (*Schanz*) et 10 libr. sterling anglicae. Pretium pro eius temporis conditione inde quoque aestimari potest quod ad panes emendos pro quinque millibus virorum simul cum multitudine mulierum et parvulorum discipuli ducentos denarios fere sufficere posse coniiciebant (cf. 6,37. Matth. 14,21); praeterea denarius merces erat pro labore diurno (Matth. 20,2). Et si pretium nardi quod Plinius (12,12. 26) affert[1] consideraveris, discipuli profecto non exaggerasse prae indignatione dicendi sunt (cf. *Ed.* II p. 358); *et fremebant in eam;* vocem explicat *Euth.* ἐπέπληττον, ἐμέμφοντο, obiurgabant eam et

1. Nardum magno in pretio fuisse Horatius quoque indicat: nardo vina merebere. Nardi parvus onyx eliciet cadum (Carminum lib. 4,12. 16. 17).

vituperabant; *Theoph.* ἠγανάκτουν, ὕβριζον indignabantur in eam; vide 1,43. Matth. 9,30.

Etsi alii excepto Iuda non malo animo indignabantur, tamen valde imprudenter et praepostere agebant. Ex eo enim quod Iesus ita se ungi sinebat concludere debebant rem pie ac sancte fieri; eorum agendi modum *Sylv.* appellat candidam simplicitatem, quae utique in eo quoque deprehenditur quod iis non in mentem venerit vituperium in ipsum quoque Dominum referri qui perditionem illam neque impediverit neque reprehendat. Iesus autem benigne ac placide discipulos compescit et mulieris facinus laudibus effert quibus et affectum mulieris commendat et magnum mysterium ei unctioni subesse docet v. 6 *Iesus autem dixit: sinite eam* ἄφετε i. e. missam eam facite, desistite ab ea, *quid illi molesti estis?* cur ei negotium facessitis et molestias? *bonum opus* καλόν praeclarum officium ac pium *operata est in me;* egit itaque mulier ex pientissimo animi affectu et maxima in Iesum reverentia cui pretiosissima quaeque impendere pro eius dignitate et aestimatione nullatenus dubitabat. Idque eo libentius praestitit quod ex Domini sermonibus iam intellexit eius in terris commorationem iam vergere ad finem. Idem innuit Iesus dicens v. 7 *semper enim pauperes habetis vobiscum et cum volueritis potestis illis benefacere; me autem non semper habetis;* ita occurrit discipulis curam pauperum obtendentibus et omnem querendi rationem de liberalitate mulieris funditus evertit, dum monet si sibi in corpore mortali exsistenti quidquam officii exhibere voluerint, id cito esse praestandum cum mox ab eis recedat. Iam quis aegre feret quod amico peregre profecturo documentum amoris et honoris reddatur? Ea iam ratione satisfactum esse debuit viris probis et Iesum vere diligentibus. Et satisfactum sane erat ceteris excepto Iuda, qui non beneficium pauperum, sed suum lucrum spectabat.

Praeterea in ea unctione pro conditione temporis sibi esse debito honore parentatum docet v. 8 *quod habuit haec fecit* i. e. quod potuit praestitit; tale officium mihi exhibuit quod plane opportunum erat; nam *praevenit ungere corpus meum in sepulturam* προέλαβεν μυρίσαι explica προλαβοῦσα ἐμύρισεν anticipando unxit corpus meum ut illud praepararet ad funus; officium itaque quod erga corpus meum post mortem exhibitura esset si tum posset — verum tum non poterit — iam nunc anticipavit. Verba vix innuere videntur Mariam revera unguentum effudisse sacra quadam praesensione mortis Iesu post quam forte nulla futura esset opportunitas funus debito modo honorandi. Ceterum vide ad Matth. 26,12. Atque pro illa quorundam reprehensione mulieri promittit laudem et memoriam perennem in sua Ecclesia; en quomodo Iesus etiam claram cum laude notitiam et famae immortalitatem (cuius ho-

mines adeo solent esse appetentes et avidi) suis largiri potest v. 9 *amen dico vobis, ubicumque praedicatum fuerit evangelium* (istud), nuntius scil. de salute messiana (cf. 1,1), *in universo mundo* εἰς, uti 1,39 κηρύσσειν εἰς, *et quod fecit haec narrabitur in memoriam eius;* « haec in consolationem dicit mulieris; tantum enim abest ut ego reprehendam eam ac si perperam egisset, ut non permittam opus eius latere; verum mundus sciet id quod in domo et in abscondito actum est; erat enim opus mentis praeclarae et multae fidei documentum » (*Vict.*). Praeter laudem et consolationem mulieris etiam solatium proponi discipulis ait *Euth.* eo quod praedicatio evangelii totum comprehensura sit orbem. Hoc Christi vaticinium egregie impleri cum in tribus evangelii libris unctio haec narretur et in liturgia recitetur manifestum est. Haud abs re notant *S. Hier. Beda :* « attende notitiam futurorum quod passurus post dies paucos sciat evangelium suum toto orbe celebrandum ».

Cur Christus qui pauperem elegit ac degit vitam tamen voluit in suum funus impendi unguentum adeo pretiosum? Statim a morte et redemptione facta incipit glorificatio eius et exaltatio; quare omnino conveniebat ut ei etiam res huius terrae pretiosae impenderentur. Quare merito ex ea re inferunt pro cultu divino pretiosa et cara esse consecranda et *Theoph.* id applicat ad s. eucharistiam : « audiant igitur quomodo Christus praeferat sui curam pauperibus; Christi autem corpus proprie est quod in disco aureo et sanguis qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum et cogit ut corpus Christi in viliore ponatur praetexens scil. pauperes, sciat cuius partis sit ». Et *Euth.* aliam inde deducit conclusionem : « tu ergo si aliquos construentes ecclesias aut monasteria sive sacras imagines videris, ne iubeas dirui quod fit, ne animi illorum promptitudinem retundas ». Et *Cai.* notat ad v. 7 : hanc rationem bene pondera, quia hinc docemur in raris posse multo sumptu uti absque remorsu conscientiae quod melius fuisset dare pauperibus; et *Ians. :* in Maria observandum est exemplum seduli et ardentis amoris qui facit ut nihil iudicetur nimium nec ullus sumptus in gratiam Dei tolerandus videatur esse gravis.

De Iudae indole et perversitate pluribus egi ad Matth. 26,14. 15. Hic sufficiet recolere Iudam iam ante annum fidem in Iesum abiecisse omnem (Ioan. 6,71. 72); ex eo tempore in dies magis videbat odium principum in Christum crescere, Christum autem nullatenus id agere ut instituto regno suis discipulis opes, divitias, potentiam, auctoritatem provideret. Quare sibi ipse providere studebat et cum causam Iesu propter oppugnationem principum mox debere concidere et penitus perire sibi videretur pervidere, vitam suam reddere volebat et commodam et ab omni principum infestatione securam. Inde inducebatur, ut ex iis quae Christo offerebantur sibi furto quaedam seponeret. Crescente sacra pecuniae

fame quam maxime indignatus est quod magnam illam pecuniae summam quam ex unguenti venditione sperabat sibi videbat ereptam. Cognoscebat quantopere primates Iesum capere desiderarent; cum Iesum diu non posse illorum infestationem effugere sibi persuaderet, optimum duxit cum primoribus in gratiam redire. Eorum autem favorem sibi acquirere et simul pecuniae cupiditati et avaritiae satisfacere se posse vidit si Iesum proderet. Hoc eius animi consilium maxime stimulasse ac promovisse censendus est diabolus; nam « intravit satanas in Iudam » de eo tempore narrat S. Lucas (22,3); quomodo ergo intrat, ait *S. Aug.* (de cons. evang. 3,1), nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationum iniquarum? v. 10 *et Iudas Iscariotes* (vir oriundus ex Carioth in tribu Iuda, probabilissime; vide ad 3,19), *unus de duodecim* ὁ εἷς unus ille mala fama notus et iam supra 3,19 tamquam futurus proditor designatus, *abiit ad summos sacerdotes ut proderet eum illis.* Accidit quod illi minime ausi essent sperare; ex ipsis Iesu discipulis unus iam existimat eum esse relinquendum omni spe prosperi successus abiecta.

Si autem Iesus ab discipulis in manus et potestatem inimicorum traditur, id quam maxime valet ad populi studium in Iesum reprimendum, immo ad invidiam ei creandam et animos contra eum inflammandos. Porro si ex ipsis discipulis unus reperitur adeo male in eum affectus, nonne merito concludendum erit nullatenus esse tot sectatores et fautores Iesu neque admirationem quam plebs prae se ferre videbatur altas egisse radices? Talia sane in mentibus sacerdotum volvi credendum est cum audirent quid consilii Iudas proponeret. Unde v. 11 *qui audientes gavisi sunt;* « gavisi sunt non solum quia ipsum sine tumultu comprehensuri erant, verum etiam quod a suis discipulis odio haberi inciperet » (*Euth.*); et eo modo quod antea timebant, ne forte tumultus fieret in populo (v. 2) facile posse averti sibi persuadebant; *et promiserunt ei pecuniam se daturos;* nam eos adierat quaerens : quid vultis mihi dare? etc. Matth. 26,15. Sponsione facta Iudas *quaerebat quomodo illum opportune traderet;* hac una scil. cogitatione cum tradendi et pecuniae aviditate occupatus neque perpendit quid post traditionem futurum esset et quali sorti Iesum esset sua proditione commissurus. Qui enim fatali quodam quasi furore ad scelus perpetrandum abripi se sentiunt, id unum mente agitant quomodo scelere perpetrando sibi satisfaciant; scelus illud ita totum animum omnemque cogitationem occupat ut quid ex scelere consequatur vel quem demum exitum res habitura sit minime curent neque fere ad id mentem advertere possint aut velint.

b) Coena paschalis 14,12-26.

14,12. Et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli : Quo vis eamus et paremus tibi ut manduces pascha?

13. Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis : Ite in civitatem; et occurret vobis homo lagenam aquae baiulans, sequimini eum; 14. Et quocumque introierit, dicite domino domus, quia Magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem?

15. Et ipse vobis demonstrabit coenaculum grande, stratum; et illic parate nobis. 16. Et abierunt discipuli eius, et venerunt in civitatem, et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt pascha. 17. Vespere autem facto, venit cum duodecim. 18. Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait Iesus : Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me qui manducat mecum. 19. At illi coeperunt contristari, et dicere ei singulatim : Numquid ego? 20. Qui ait illis : Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. 21. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo : vae autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur, bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

22. Et manducantibus illis, accepit Iesus panem : et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. 23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. 24. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. 25. Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, quum illud bibam novum in regno Dei.

26. Et hymmo dicto exierunt in montem Olivarum.

14,12. Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, Ποῦ θέλεις ἀπελθόντες ἑτοιμάσωμεν ἵνα φάγῃς τὸ πάσχα; 13. καὶ ἀποστέλλει δύο τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτοῖς, Ὑπάγετε εἰς τὴν πόλιν· καὶ ἀπαντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος κεράμιον ὕδατος βαστάζων· ἀκολουθήσατε αὐτῷ, 14. καὶ ὅπου ἂν εἰσέλθῃ, εἴπατε τῷ οἰκοδεσπότῃ, ὅτι ὁ διδάσκαλος λέγει, Ποῦ ἐστὶν τὸ κατάλυμά μου ὅπου τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου φάγω; 15. καὶ αὐτὸς ὑμῖν δείξει ἀνάγαιον μέγα ἐστρωμένον ἕτοιμον· καὶ ἐκεῖ ἑτοιμάσατε ἡμῖν. 16. Καὶ ἐξῆλθον οἱ μαθηταὶ καὶ ἦλθον εἰς τὴν πόλιν, καὶ εὗρον καθὼς εἶπεν αὐτοῖς, καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα.

17. Καὶ ὀψίας γενομένης, ἔρχεται μετὰ τῶν δώδεκα· 18. ἀνακειμένων αὐτῶν καὶ ἐσθιόντων, ὁ Ἰησοῦς εἶπεν, Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι εἷς ἐξ ὑμῶν παραδώσει με τῶν ἐσθιόντων μετ' ἐμοῦ. 19. ἤρξαντο λυπεῖσθαι, καὶ λέγειν αὐτῷ εἷς κατὰ εἷς, Μήτι ἐγώ; 20. ὁ δὲ εἶπεν αὐτοῖς, Εἷς τῶν δώδεκα, ὁ ἐμβαπτόμενος μετ' ἐμοῦ εἰς τὸ ἓν τρυβλίον. 21. ὅτι ὁ μὲν υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑπάγει, καθὼς γέγραπται περὶ αὐτοῦ· οὐαὶ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται· καλὸν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος.

22. Καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν, λαβὼν ἄρτον εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ εἶπεν Λάβετε, τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου. 23. καὶ λαβὼν ποτήριον εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς· καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες· 24. καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης, τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν. 25. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ πίω ἐκ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ.

26. Καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν.

In v. 13 aliq minusc arm Or εισελθοντων υμων εις την πολιν απαντησει, id quod e Luca adscriptum est. In v. 14 ubi est diversorium meum et refectio mea big hub mt ox

harl; cf. Luc. 22,11; ff² refectorium, k hospitium. In v. 15 codd longe pler αναγαιον, pauci ανωγαιον, ανωγεον; a locum medianum stratum in superioribus magnum. In v. 18 ο εσθιων μετ' εμου ℵ A C D L P etc. Ti; solum B των εσθιοντων, similiter sah cop. In v. 19 μητι εγω ειμι ραββει A; numquid ego sum domine fuld lich; add και αλλος μητι εγω A D X Γ Π unc 8 al pler a f ff² i q arm Or. In v. 20 add την χειρα A a c f (qui manum mittit mecum) ff² q sax sah cop big dub fuld car lich mt ox val wil ken corp. In v. 21 *vadet* hub theod ox; *traditur* am cav med tol lind harl; bonum *est* am big ept hub theod med mt ox ken lind. In v. 22 λαβετε, φαγετε E F H S V X Γ al longe pl; ff² et edite; a add quod pro multis confringitur in remissionem peccatorum. In v. 24 της καινης διαθηκης A P X Γ Δ Π unc 8 al al fere omn it vulg syr (utr) al; novi *et aeterni* lich ken; *effunditur* am big* med ken lind (et ita edidit Wordsworth); add ken in remissionem peccatorum, uti minusc aliqi et a g² sah.

De quaestione quando Christus coenam paschalem celebraverit et mortem obierit pluribus egi in Comment. in Matth. II p. 403-418. Quare hic satis erit pauca adnotare. Certum est ex concordi quattuor evangelistarum narratione Iesum coenam celebrasse feria quinta hebdomadis vespere, esse crucifixum et sepultum feria sexta et a mortuis resurrexisse die prima hebdomadis mane. Porro ex iis quae leguntur Ioan. 13,1. 29 et 18,28 et 19,31, sicut etiam ex Matth. 27,15. 32 et ex omnibus quae die mortis Iesu aguntur, obvio sensu colligitur eum diem non fuisse diem maxime sollemnem Iudaeorum. Quibus accedit sententia primis saeculis communis et constans et in ipso etiam talmude expressa, Iesum mortuum esse eo die in cuius vespera Iudaei agnum paschalem immolabant. Difficultas et obscuritas solum in eo est quod synoptici affirmant die primo azymorum Iesum coenam paschalem celebrasse, qui dies utique dies erat lege constitutus cum dies primus azymorum alius esse aut dici nequeat nisi dies 14 nisan. Verum si ita est, tum dies subsequens, dies 15 nisan, uti erat certe dies mortis, erat simul vel esse debuit dies sollemnis Iudaeorum, id quod ex ipsis synopticis, ex Ioanne et sententia primorum saeculorum admitti nequit. Quae difficultas satis commode solvi potest, si dicimus Iudaeos eo anno diem coenae paschalis transtulisse in feriam sextam, in diem 15 nisan, qua sententia narrationes evangeliorum optime inter se conciliantur. Iudaeos ita sibi regulam statuisse postea, ne duo festi dies immediate inter se exciperent, certum est. Insuper ea opinio, ut obvio narrationum evangelicarum sensu commendatur, ne dicam necessario exigitur, ita veterum quoque suffragio non destituitur, prout pariter l. c. demonstratum est. Quae praeterea ferantur ea de re coniecturae, eodem loco expositum invenies.

In paschate celebrabatur memoria liberationis ex servitute aegyptiaca. Christus e servitute longe funestiore genus humanum redemit. Sanguine agni paschalis postes et superliminaria domorum Israeli-

tarum aspergebantur, ut exterminator transiret neve esset plaga disperdens inter eos (Ex. 12,7. 13). Agnus paschalis cuius nullum os erat confringendum typus erat veri illius Agni Dei qui tollit peccatum mundi. Quare quam maxime conveniens erat, ut Iesus tempore paschali opus redemptionis sacrificio in cruce oblato perficeret. Quod sacrificium modo incruento anticipavit coena legali peracta. Hanc autem coenam legalem celebravit quia et typica erat et ipse factus sub lege (Gal. 4,4), antequam morte sua legem abolevit (Rom. 7,4. Gal. 2,19; 3,13), legem fideliter implevit. Unde v. 12 *et primo die azymorum quando pascha immolabant* ἔθυον significare omnino potest : immolare solebant, quod additur a Marco, ut Romani legum ac consuetudinum Iudaeorum ignari intelligant cur eo die discipuli Domino dicant *quo vis eamus et paremus tibi, ut manduces pascha?* primus dies azymorum est dies 14 nisan, id quod ex addita sententia ὅτε... quoque elucet; is enim dies lege statutus erat ad immolandum agnum paschalem (Ex. 12,6). Quare explicatio quam *Euth. Schanz* aliique tradunt, intelligi scil. diem 13 nisan, sustineri nequit. Neque ea fulciri potest eo quod πρῶτος saepius adhibeatur eodem sensu ac modo quo πρότερος. Hoc utique concedi debet et satis ostenditur exemplis quae *Schanz* ad h. l. affert; quare si verba nude spectantur explicari potest ac si scriberetur τῇ προτέρᾳ τῶν ἀζύμων. Sed quis est quin videat hanc dictionem esse satis miram. Quid enim sibi vult dies prior panibus azymis? neque enim *panes azymi* temporis notionem induerunt. Dicitur quidem ἑορτὴ τῶν ἀζύμων et intelligitur ipse dies sollemnis, dies 15 nisan, vel etiam septem illi dies per quos azymis erat vescendum; unde si τῶν ἀζύμων breviter dictum putaveris pro ἑορτῆς τ. αζ. dies *prior* solum esse potest dies 14. Verum nostro loco omnis dubitatio tollitur quia additum habemus ὅτε etc. quae sententia clare definit quis sit dies primus azymorum. Haec enim sententia necessario referri debet ad totum illud τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων; itaque nequit explicari de die 13 nisan quando pascha immolare solebant, quia hoc oppido falsum esset. Neque dici potest adiectum illud ὅτε etc. solum spectare ad τῶν ἀζύμων; id namque ex duplice capite repugnaret. Genetivus scil. ita necessario ad antecedens refertur, ut una solum notio ex tota dictione exsurgat, quare ὅτε ad hanc unam notionem declarandam spectat; et insuper cum τὰ ἄζυμα panes azymi, non fermentati, per se significationem temporis non exprimant (vel si exprimere contenderis, ad totam festivitatem septem dierum extendi debeant), manifestum est ὅτε etc. non posse apponi ad unum illud τῶν ἀζύμων.

Etsi interpretes graeci πρώτῃ concipiunt pro προτέρᾳ (*Schanz*), tamen dici

nequit omnes explicasse de die 13 nisan. De *S. Chrys.* vide in Comment. Matth. II p. 405. 406. *Vict.* scribit πρώτην ἀζύμων τὴν πρὸ τῶν ἀζύμων φησίν. Tum mentionem facit alium dicere πρὸ μιᾶς τῶν ἀζύμων, sed addit : « mentionem faciens illius diei in qua vespere pascha erat immolandum; unde manifestum est ambos eandem designasse diem ». Itaque pariter clarum est *Vict.* existimasse illa dictione declarari eum diem in cuius vespera pascha debuit immolari. Neque aliter *Theoph.* secundum textum genuinum quem Petrus Arcudius lib. 3 cap. 5 ex codicibus romanis optimae notae affert : nominat evangelista primam azymorum ὡς πρὸ τῆς ἑσπέρας οὖσαν, καθ' ἣν ἑσπέραν ἤσθιον τὰ ἄζυμα (cf. ad Matth. 26,17 ; *M.* 123, 441 nota).

Neque iuvat dicere cum aliquibus (*Lamy, Sepp, Ebrard, Bleek*) Iesum non celebrasse coenam *paschalem*, verum coenam communem die 13 nisan, cui coenae postea propter eucharistiae institutionem nomen pascha inditum sit. Cui opinioni ipsa verba v. 12 apertissime contradicunt. Triplici quippe modo evangelista coenam designat paschalem; dicit enim discipulos interrogasse de coena paranda primo die azymorum, quod unum iam satis est ut qui non sit ignarus rituum legalium intelligat agi de paschali coena; additur dein ad maiorem declarationem ὅτε etc., et demum tertio in ipsis discipulorum verbis clarissime enuntiatur : ut manduces *pascha;* vide insuper v. 14.16 et verba Christi Luc. 22,15 et Matth. 26,17. 19; quorum locorum consensu excluditur opinatio quorundam qui pascha esse insertum dicunt ex ritu et nomine christiano; v. 13 *et mittit duos ex discipulis suis,* Petrum scil. et Ioannem Luc. 22,8; cum Marcus nomina non referat, Petrus in sua narratione silentio praeterisse videtur quod sibi honori verti posse videretur. *et dicit eis : ite in civitatem et occurret vobis homo lagenam aquae* κεράμιον vas fictile; urceum figulinum *baiulans, sequimini eum* v. 14 *et quocumque introierit, dicite domino domus : quia magister dicit* (unde facile et recte concluseris eum fuisse ex discipulis Iesu, uti fuerunt v. g. Nicodemus, Iosephus ab Arimathaea); *ubi est refectio mea,* κατάλυμα deversorium, coenaculum; unde refectio explicari debet locus refectionis, refectorium, *ubi pascha cum discipulis meis manducem?* Iesum eo modo mittere discipulos neque aperte coram omnibus declarare ubi coenam sit acturus, aliqui ex eo explicant quia Iudam voluit celare locum, « ne Iudas cognita domo ad insidiatores excurrat et illos ad se introducat, priusquam coenam mysticam discipulis tradiderit » (*Euth.* τινὲς apud *Theoph.* in Luc. *Ians. Schegg, Fil. Cook, Weiss*). Cum Iesus simili modo mitteret discipulos duos nec nomen eius a quo asina et pullus requirebantur indicaret ante sollemnem in urbem ingressum, alii eam rationem censent improbabilem (*Schanz*) neque eam ex v. 11

necessario sequi. Uti prius, ita nunc quoque eo modo loquendi manifestat sibi perquam nota esse absentia quoque et futura; datur itaque « indicium praesciae divinitatis, quia cum discipulis loquens quid alibi futurum sit novit » (*Beda*). Et tale signum et indicium ante passionem ad id quoque inservire monet *Vict.* ut iterum ostendat se pati quia velit pati.

Putant *Weiss*, *Cook* Iesum rem antea cum hero illo composuisse, ita ut nihil miraculi in hisce Iesu verbis deprehendatur. Potest quidem admitti herum illum antea a Domino esse admonitum (cf. *Ians.*); at ne id quidem ullo modo ex verbis colligitur neque sequitur ex eo quod Christus dicit τὸ κατάλυμά μου (uti *Weiss* vult), cur enim et quo sensu ita loquatur, statim explicatur : ubi pascha... manducem. Sed Christus alia praemittit quae antea esse cum hero composita ne cogitari quidem potest nisi ridicula et absurda quis fingere voluerit. Quomodo enim antea inter se convenire potuissent, ut eo momento quo discipuli, qui probabilissime a Bethania mittebantur, urbem ingrederentur, iis occurreret servus heri lagenam aquae baiulans? debuit tempus accuratissime definiri, dicent fortasse. At ne hoc quidem iuvat. Quomodo enim potuit inter eos constitui, ne discipuli aut citius aut lentius irent et ita tempus servo assignatum quo certo loco urceum ferre deberet non servaretur? vel quomodo inter eos componi potuit, ne alius quoque vel tertius eo tempore in urbe adeo frequente portaret urceum aquae ad plurimos usus eo praesertim die necessariae? quo quid magis obvium? ergo saltem debuit Iesus scire accurate tempus quando ingressuri essent urbem; debuit scire fore ut nemo eo tempore et loco urceum aquae portaturus esset praeter servum illum. Ergo eius praescientia necessario requiritur, etsi quis rem illam ridiculam fingat. Quare alii, ut miraculum removeant, ipsam narrationem hanc non esse sinceram sed traditione posteriore adulteratam contendunt (*Bleek, Meyer*) et efformatam secundum 11,2. Sed ipso quoque narrandi modo apud Matth. *ite ad quendam* narratio Marci et Lucae confirmatur (vide ad Matth. 26,18).

Cives urbis coenacula parare et peregrinis ad pascha celebrandum elocare solebant. Eiusmodi coenacula debito tempore instruebantur; unde is quoque ad quem Dominus misit iam habebat triclinium paratum v. 15 *et ipse vobis demonstrabit coenaculum grande, stratum,* ἀνάγαιον dicit conclave in parte domus superiore, ἐστρωμένον non potest referri ad pavimentum (*Alb.*) neque ad sola tapeta, sed ad lectos convivales seu tricliniares, in quibus iacentes mensae accumbere solebant, additur ἕτοιμον, quod itaque non solum lectis instructum, sed etiam ad coenam paschalem paratum et accommodatum est; *et illic parate nobis,* ea procurate et afferte quae necessaria sunt, v. g. agnum debito modo paratum, panes azymos cum lactucis agrestibus (Ex. 12,8), calices cum vino etc.; v. 16 *et abierunt discipuli eius*, proba-

bilissime a Bethania, cum Iesus ibi noctu degere soleret a die ingressus in urbem, *et venerunt in civitatem et invenerunt sicut dixerat illis et paraverunt pascha*, de qua re Petrus, unus ex discipulis, optime testimonium reddere et narrare poterat.

Coena haec instituenda erat die 14 nisan ad vesperam (cf. Ex. 12,6 seq. Num. 9,3. 5. 11); unde v. 17 *vespere autem facto venit cum duodecim;* ex modo narrandi videtur sequi duos illos praeparatione facta ad Iesum rediisse; at necessarium non est id supponere; nam dictioni satisfit eo quod Iesus cum duodecim ad coenaculum accessit. Specie externa tamquam una familia amice mensae accumbebant. Verum Iudas scelus animo gerebat. Ostendit Iesus sibi notum esse proditorem; monet quam indigna res sit hominem familiarem et convivam evadere proditorem suum; minatur proditori supplicium futurum, sempiternum. Quae tria profecto satis fuissent efficacia ad Iudam a scelere absterrendum, nisi se plane satanae mancipasset a quo ei iam tenebrae tartareae obcaecationis offundebantur (cf. Luc. 22,3); v. 18 *et discumbentibus eis et manducantibus ait Iesus : amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum;* ab amico et familiari tradi sane durum est et ad dolorem vehementem excitandum omnino factum; addens ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ simul monet Iesus quam sacra sint et ab omnibus habeantur iura hospitalitatis, et pariter alludere videtur ad illas psalmistae querelas et dolores : si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; tu vero homo socius meus, familiaris, notus meus etc. (Ps. 55,12-15 hebr.) et homo qui edebat panes meos elevavit contra me calcaneum (Ps. 41,10; cf. Ioan. 13,18).

Quo Iesu sermone multum perturbati et exterriti sunt apostoli v. 19 *at illi coeperunt contristari et dicere ei singulatim* εἷς κατὰ εἷς unus post alterum, singuli : *numquid ego?* μήτι ἐγώ; qua particula exspectatur rem in responsione negatum iri, ita ut sensus sit : ego tamen is non sum, nonne? Etiam magis effert Iesus rei indignitatem v. 20 *qui ait illis : unus ex duodecim* ex iis quos prae aliis sua familiaritate dignatus est, quos elegit et vocavit apostolos, quibus amplissimam potestatem patrandi miracula concessit (3,14. 15. Matth. 10,1), *qui intingit mecum manum in catino* maiore emphasi quam in v. 18 intima mensae societas exprimitur. Sunt qui censeant hisce verbis iam propius designari proditorem tamquam unum ex illis qui proxime Christo assideant, ita ut in eadem patina, in idem ius cum Iesu intingat manum (cf. *Erasmus, Cai. Ians.*). At id nullatenus necessario ex verbis sequitur; quare merito alii dicunt significari idem quod v. 18 (*Patr. Schanz, Fil.*); sed maiore vi designatur ad quantam cum Iesu fami-

liaritatem proditor sit admissus. Existimat *Schegg* forte alludi ad ritum coenae paschalis, ita ut Christus innuat eum esse proditorem qui particeps sit coenae institutae ad memoriam liberationis ex Aegypto et beneficiorum Dei revocandam.

Simul addit cur sciens et volens se permittat tradi v. 21 *et Filius quidem hominis vadit* ὑπάγει, proprie discedit, e vita scil., *sicut scriptum est de eo;* cum Iesus repetito apostolis passionem et mortem suam praedixisset (9,30; 10,33. 45. Matth. 16,21; 17,22; 17,22; 20, 17-19) quae sibi a principibus sacerdotum esset inferenda, ea voce simul satis indicat quem exitum proditio sit habitura. Si itaque, ut aliqui putarunt, Iudas soli lucro pecuniae inhians cogitabat secum Iesum etsi traderetur evasurum esse ex insidiis et periculo (prout saepe iam evasisset), hac tamen voce ei omnis excusatio sceleris adempta est. Uti post resurrectionem apostolis et discipulis ex oraculis demonstrat oportuisse ut pateretur (Luc. 24,26. 44) et uti idem etiam in horto monuit (Matth. 26,54), ita iam hoc loco explicite statuit se libentem ac volentem cuncta esse subiturum quae de se praefigurata sint. Quae itaque ingrediens mundum teste apostolo spoponderat: ecce venio, in volumine libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam (Hebr. 10,7), haec animo generoso opere exsequitur. Simul autem supplicio proposito scelestum apostolum docet quantam incursurus sit damnationem, *vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur,* vae quia ingens admittit scelus maxime abusus libero arbitrio, admittit quamvis tot admonitionibus eruditus et tot Iesu conatibus ad resipiscentiam sit invitatus. Quod igitur ille plena libertate et electione erat facturus, hoc Deus praevidit et praevisa illa malitia etiam ea quae homines perverse agunt subservire facit consiliis suis. Sed quia ille peccat dum potuit non peccare, merito et iuste *vae* ei dicitur, quod *vae* ulterius declaratur: *bonum (erat) ei, si non esset natus homo ille;* « videtur mihi sentiendum cum beato Hieronymo et beato Gregorio quod melius eligendum esset damnato non esse quam sic esse, sicut dicit sanctum evangelium » (*Alb.*) et *Beda* repetit verba *S. Hier.* (ad Matth. 26,24): « simpliciter dictum est multo melius esse non subsistere quam male subsistere; poenam praedicit ut quem pudor non vicerat corrigant denuntiata supplicia ». Subtilius premit *Cai.* vocem *natus :* « quia mortuus in utero matris incurrisset solam poenam damni, modo autem incurret etiam poenam sensus et talem ac tantam in inferno ». Ceterum plura de hoc effato Christi vide in Comment. Matth. II p. 423.

Notat *S. Leo* (Serm. 58,3. *M.* 54,334) quanta benignitate Iesus usus sit in Iudam; « non aspera nec aperta impium increpatione confundens, sed leni

ac tacita admonitione conveniens, ut facilius corrigeret poenitudo quem nulla deformasset abiectio. Cur, infelix Iuda, tanta benignitate non uteris? ecce parcit ausibus tuis Dominus et nulli te nisi tibi indicat Christus, nec nomen tuum nec persona detegitur, sed veritatis et misericordiae verbo cordis tantum tui arcana tanguntur. Redi in integrum et deposito furore resipisce! Clementia invitat, salus pulsat, ad vitam te vita revocat. Ecce immaculati et innocentes condiscipuli tui ad significationem facinoris expavescunt et omnes sibi non edito impietatis auctore formidant. Contristati enim sunt non de conscientiae reatu, sed de humanae mutabilitatis incerto, timentes ne minus verum esset quod in se quisque noverat quam quod ipsa veritas praevidebat. Tu autem in hac trepidatione sanctorum abuteris Domini patientia et abscondi te tua credis audacia. Addis impudentiam sceleri nec signo evidentiore terreris »; cf. Matth. 26,25.

Cum apostolus scribat : pascha nostrum immolatus est Christus (1 Cor. 5,7), aperte indicat agnum paschalem fuisse figuram et typum Christi. Quare prorsus erat conveniens ut Christus expleta coena typica suam nobis daret coenam, in qua iam non agnus ille typicus comeditur, sed verus ille Agnus Dei qui tollit peccatum mundi (Ioan. 1,29). Agnus quippe paschalis significabat Christum non solum ut hostiam, sed etiam ut cibum, quia agnus ille non solum immolabatur sed etiam comedebatur; sanguis eius significabat effectum redemptionis Christi per quem ab exterminatore protecti et a servitute aegyptiaca erepti sumus (cf. *S. Greg.* hom. in evang. 22,7 seq. *Thom.* 3 p. qu. 73 art. 6). Quare post coenam paschalem instituitur s. eucharistia, per quam secundum Christi verba vera nobis vita, vita aeterna quae est fructus et effectus redemptionis contingere debet (Ioan. 6,52.57) v. 22 *et manducantibus illis* i. e. dum adhuc mensae accumberent, tempore illo coenae; nam ex Luc. 22,20 et 1 Cor. 11,25 docemur Christum postquam coenavit μετὰ τὸ δειπνῆσαι instituisse eucharistiam; dum Marcus eadem verba ex v. 18 repetit, indicat alterum quod tempore illo coenae factum sit post declarationem proditionis, *accepit Iesus panem*, azymum quo scil. utendum erat in coena paschali, *et benedicens* εὐλογήσας laudibus Deo dictis et gratiis actis, uti Luc. 22,19 dicit εὐχαριστήσας; item 1 Cor. 11,24, et ipse Marcus et Matthaeus quoque statim in calicis consecratione eadem voce *gratias egit* utuntur; *fregit*, panes enim erant placentae tenues; azymus panis non erat cultro crassior (*Iahn*, Archaeol. bibl. § 140); forma erat rotunda (unde ככר לחם Ex. 29,23. 1 Sam. 2,36. Prov. 6,26) diametro 9 vel 10 pollicum (*Iahn*); facile itaque pertenues panes frangebantur; dicebatur quoque panem frangere ubi nos diceremus aliquid panis dare (cf. Is. 58,7), *et dedit eis et ait : sumite, hoc est corpus meum;* ante annum promiserat se daturum

carnem suam ad manducandum; neque cum Iudaei et etiam multi ex discipulis offenderentur verbis illis, promissionem illam intelligendam esse dixit metaphorice, verum eandem saepius repetiit et carnem suam esse manducandam, sanguinem suum esse bibendum gravissime asseruit. Nunc itaque id implet quod promisit. Quare ex verbis promissionis iam elucet verba haec : hoc est corpus meum, esse sensu litterali, uti sonant, concipienda, ad quam acceptionem apostoli iam ex anno integro erant praeparati.

Idem valet de v. 23 *et accepto calice gratias agens dedit eis et biberunt ex illo omnes;* quid vero bibant declaratur v. 24 *et ait illis*, dum scil. calicem iis porrigeret; cf. Matth. 26,27; *hic est sanguis meus novi testamenti qui pro multis effundetur* τὸ ἐκχυννόμενον qui effunditur; vide lect. var. Verbis hisce Christus aperte alludit ad verba Moysis, qui sumens sanguinem sacrificalem eum respersit in populum dicens : hic est sanguis foederis (Ex. 24,8). Foedus autem quod Christus instituit melioribus hostiis et sanguine consecratur infinite superante sanguinem sacrificalem veteris foederis. Porro eo quod sanguis dicitur effundi pro multis ὑπὲρ πολλῶν, in commodum multorum, simul declaratur esse sanguinem sacrificalem; cf. Lev. 17,11 et Hebr. 9,22 sine sanguinis effusione non fit remissio, quo modo loquendi apostolus indicat sanguinis effusionem intelligi sacrificalem et notionem sacrificii et effusionis sanguinis in emolumentum, ad peccata tollenda ex s. litteris fuisse apud Iudaeos intime sociatam. Foedus quod Christus instituit optime vocatur *novum* (vide var. lect.; ceterum καινὴ διαθήκη certo legitur Luc. 22,20), sicut iam Ieremias instaurationem messianam novum foedus appellavit (31,31; cf. Hebr. 8,8) et hoc foedus simul induere veram testamenti rationem, quia mors intercedat testatoris (quare iam vetus illud non sine sanguine, i. e. morte victimae dedicatum sit), pariter nos docet apostolus (Hebr. 9,15 seq.). Dicitur effundi *pro multis* scil. cum fructu, ut multi revera remissione accepta vitae aeternae beatitate potiantur; ceterum offertur pro omnibus (vide ad Matth. 26,38).

Quomodo verba Christi intellecta sint ab ipsis apostolis et tempore apostolico facile potest demonstrari. Et Paulus quidem qui ab ipso Domino se edoctum ea de re dicit (1 Cor. 11,23) sine ulla dubitatione ea sensu litterali et obvio intellexit; scribit enim calicem eucharisticum esse communicationem sanguinis Christi, panem communicationem corporis Christi; κοινωνία τοῦ αἵματος, τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ est communio vel unio cum sanguine et corpore Christi; « quae phrases accurate perpendendae sunt, quia sub speciebus panis et vini corpus et sanguinem Domini vere et realiter adesse demonstrant. Neque enim ista manducatio et potio nostram cum Christi cor-

pore et sanguine unionem significare aut dumtaxat producere dicitur, sed ipsa *est* unio; atqui quomodo id esse potest, nisi corpus et sanguis Christi vere et realiter et substantialiter adsint? Attende quoque apostolum non usum esse vocabulo μετοχῆς, ut monet *Chrys.*, sed dixisse κοινωνίαν (unionem), quia panem illum edentes et e calice illo bibentes vere et proprie cum Christo *unimur* » (*Cornely*, Comment. in 1 Cor. p. 293). Idem elucet ex eo quod apostolus Corinthiis scribit : qui manducat vel bibit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini (1 Cor. 11,27) i. e. reus erit corporis et sanguinis Domini indigne tractati ; id quod pariter supponit revera adesse, non symbolum et figuram, sed ipsum corpus et sanguinem Domini. Idem sequitur ex v. 29 : qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit *non diiudicans corpus Domini*[1], μὴ διακρίνων non diiudicans nec considerans esse corpus Domini quod manducet, vel ut alii concipiunt, non discernens corpus Domini a cibo profano (cf. *Cornely* l. c. p. 350). — Porro quid apostoli intellexerint et docuerint, patet ex fide et doctrina Patrum apostolicorum et totius Ecclesiae primorum saeculorum. Iam tradi et asseri clarissime et constanter realem praesentiam eandemque fidem in omnibus liturgiis contineri luculenter demonstrant theologi dogmatici et ii qui historiam doctrinae primorum saeculorum conscripserunt. Id innuisse pro nostra re sufficit.

Cur Iesus post coenam instituerit eucharistiam, aliam affert *S. Aug.* rationem : « quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit altius infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat » (epist. 54,6. 8 ; alias epist. 118 ; *M.* 33, 203). Eodem loco s. doctor arguit ex eo quod post coenam dederit Dominus non sequi nos quoque pransos aut coenatos ad illud sacramentum convenire debere ; « placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intraret quam ceteri cibi ; nam ideo per universum orbem mos iste servatur ». Si qui tamen in ipso anniversario die coenae Domini et institutae eucharistiae ad insigniorem commemorationem eius quod Dominus fecit contendant post cibos offerri et accipi licere corpus et sanguinem Domini, « nulli etiam contradicere audemus » l. c. 7,9. Ceterum dicit s. doctor in universa Ecclesia hoc sacramentum a ieiunis semper accipi.

1. Ex quibus verbis simul patet, nullo modo intelligi solum communionem quandam quae cibo efficiatur et potu. Hanc solam esse notionem τῆς κοινωνίας neque Iesum Paulumve plus asseruisse *Wellhausen* evincere studet ex usu apud Arabes antiquos recepto, quo ii qui eadem mensa utuntur, in communionem carnis et sanguinis inter se recipi censeantur (Skizzen und Vorarbeiten, III, Berlin, 1887 p. 119. 120. 122). Si ista notio generatim apud Semitas adeoque apud Hebraeos exstiterit, illa non modo non evacuat verum sensum verborum Christi, sed potius eum quam maxime iuvat, cum mentes ex una parte iam assuetae essent ut de illa communione carnis et sanguinis cogitarent, ex altera vero parte singulari modo agendi verbisque Christi manifesto edocerentur, de vera communione nunc agi sibique non cibum communem solumque symbolum porrigi (— comestio enim praecessit —) sed verum corpus et sanguinem Christi. Ceterum de vero corpore et sanguine iam ante annum edocti erant in synagoga Capharnaum (Ioan. 6,45 seq.) ; cf. Comment. Matth. II p. 427.

Instare suum ex hac vita mortali digressum significat v. 25 *amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei;* cum Christus post resurrectionem suam teste Petro cum discipulis manducaverit et biberit (Act. 10,41), aliqui verba haec referunt ad illud tempus (*Vict. Cai. Calm.*). Sed id ex duplici capite repugnat. Vinum enim illud cur diceretur *novum?* dein tempus post resurrectionem nondum est regnum Dei. In regno Dei et bibere illud novum illustratur eo quod Christus teste Luca 22,29. 30 mox postea dixit : ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Loquitur itaque Christus de potu longe alio, loquitur de coelesti beatitudine quae quam maxime proprie est regnum Dei, in quo regno iterum se familiariter cum discipulis mensae coelesti accumbere, utique aliis plane cibis frui praedicit. Qua promissione tristitiam discipulorum de suo digressu mitigat eisque spem praeclarissimam ostendit.

Ex Luca 22,18 colligi potest haec verba Christum dixisse non ad calicem eucharisticum, sed ad alium praevium. Quare ex hisce verbis pro quaestione biberitne ipse Christus ex calice consecrato pro neutra parte quidquam certi concludi poterit. Christum ipsum etiam corpus et sanguinem suum sub speciebus sacramentalibus sumpsisse sententia est multorum; eam iam profert *S. Chrys.* hom. 82 al. 83 in Matth. ea motus ratione, ne discipuli turbarentur, ne audientes verba Christi dicerent : quid ergo, sanguinemne bibimus et carnem manducamus? ipsum itaque sumpsisse ut illos ad mysteriorum participationem tranquillo animo subeundam induceret (*M.* 58,739). Verum hanc rationem esse satis inefficacem nemo negabit. Cum enim oculis nihil exhiberetur nisi species panis et vini, certe non erat unde turbarentur (θορυβηθῶσι, ταραχθῶσι). Alias rationes affert *S. Thom.* 3 p. qu. 81 art. 1. Primo provocat ad id quod *S. Hier.* dicit (ad Hedibiam, quaest. 2) : Dominus Iesus ipse conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. Verum bene notat *Suarez* ad illum articulum : « sed si verba attente considerentur, non dicit in eis expresse Hieronymus, Christum comedisse seipsum sed solum comedisse et manducatum fuisse, quae possent esse vera etiamsi se non comedisset; nam comedit agnum vel alios cibos et se praebuit aliis comedendum ». Ratio potissima quam *S. Thom.* affert est, « quia Christus ea quae ab aliis observanda instituit, ipse primitus observavit »; quae praeterea adducit, ad hanc rem plane nihil valent, uti eum sumpsisse, quia pueri communicarunt carni et sanguini et ipse participavit eisdem; in quo loco, ut *Suarez* notat, apostolus (Hebr. 2,14) agit de mysterio Incarnationis, in quo Filius Dei mortalem carnem assumpsit, ut fratribus fieret similis. Neque dici potest cum S. Thoma quod dicitur accepit panem et calicem esse interpretandum : eo modo accepit quo aliis accipiendum tradidit i. e. ipse accipiens comedit et bibit. Sed hoc ex verbis minime probari manifestum est, cum sensus apertissime sit : ipse sumpsit manibus panem, fregit de-

ditque discipulis, uti in canone Missae quoque explicatur (*Suarez*). Immo sensus obvius est, ut is qui panem accipit, frangit datque aliis dicens : accipite et comedite, ipse non censeatur partem pro se retinere et comedere; nam eum panem quem accipit in manus dat aliis. Et insuper haud abs re monet *Suarez* : videtur posse retorqueri argumentum; nam in apostolis accipere et comedere distinguitur et proin in iis duplex acceptio fuit manibus et ore, quae duplici verbo explicatur, Christo vero sola acceptio manuum attribuitur, ergo altera tacite negatur. Quare merito dicit idem illam assertionem S. Thomae non esse certam et merito S. Thomam illam solum ut probabilem proponere.

Quandoque provocatur quoque ad *S. Aug.* doctr. christ. 2,3 (*M.* 34,37): « sacramenti corporis et sanguinis sui praegustato significavit quod voluit »; sed advertendum est codices manuscriptos perpaucos ita legere, verum codices quinque optimae notae praebere per gustatum, tres per gustum et antiquos codices passim praebere gustatum loco gustum. In Eugipii Excerptis per gustatum edidit Knoell p. 822, Vindobonae 1885. — Ceterum Christum sumpsisse eucharistiam affirmant sat multi; cf. *Salmeron* t. 9 tract. 15 versus finem, *Sylv.* t. 5 libro 7 cap. 7 qu. 26 et quos ille allegat.

Ex traditione rabbinorum psalmi illi qui appellantur *hallel* (Ps. 113-118 hebr.) recitandi erant in coena paschali et quidem pars prior (Ps. 113. 114 hebr. secundum scholam Hillel; Ps. 113 secundum scholam Schammai) antequam accumberent et cibum sumerent; altera pars post sumptum cibum (cf. *Buxtorf*, Lexicon chald. p. 613 seq. et *Surenhusius* II p. 174 tract. pesachim cap. 10,5-7). Qui mos confirmari videtur v. 26 *et hymno dicto exierunt in montem olivarum;* uti locis allatis dicitur, altera pars hallel recitabatur in coena paschali ad quartum calicem, cui alia quoque benedictio quam benedictionem cantici vocabant addebatur : benedictus sit qui creat fructum vitis etc. Si quintum poculum addebatur, dicendum erat hallel magnum quod tamen non uno modo definiunt; alii scil. a Ps. 118 usque ad 137; alii Ps. 120-137; alii 135-137. Quae ratio intercedat inter ritum coenae paschalis et s. liturgiam Missae erudite exposuit *G. Bickell* (Zeitschrift für kath. Theologie, Innsbruck 1880 p. 90; 1884 p. 402 et iam antea : Messe und Pascha, Mainz 1872); cf. Dublin Review 1889 Oct. p. 350; 1890 April p. 286; 1890 July p. 74, Oct. p. 337, ubi de s. liturgia *Gasquet* docte disputat.

c) Oratio Iesu in horto 14,27-42.

14,27. Et ait eis Iesus : Omnes scandalizabimini in me in nocte ista : quia scriptum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves.

14,27. Καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, Ὅτι πάντες σκανδαλισθήσεσθε [ἐν ἐμοὶ ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ]· ὅτι γέγραπται, Πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ τὰ πρόβατα διασκορπισθήσονται,

28. Sed postquam resurrexero praecedam vos in Galilaeam. 29. Petrus autem ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. 30. Et ait illi Iesus : Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 31. At ille amplius loquebatur : Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant.

32. Et veniunt in praedium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis : Sedete hic donec orem. 33. Et assumit Petrum, et Iacobum, et Ioannem secum; et coepit pavere, et taedere.

34. Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate. 35. Et quum processisset paululum, procidit super terram, et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora.

36. Et dixit : Abba pater, omnia tibi possibilia sunt; transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod tu. 37. Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro : Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare? 38. Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. 39. Et iterum abiens oravit, eundem sermonem dicens. 40. Et reversus, denuo invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati), et ignorabant quid responderent ei.

41. Et venit tertio, et ait illis: Dormite iam et requiescite. Sufficit : venit hora; ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 42. Surgite, eamus; ecce qui me tradet, prope est.

28. ἀλλὰ μετὰ τὸ ἐγερθῆναί με, προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. 29. Ὁ δὲ Πέτρος ἔφη αὐτῷ, Εἰ καὶ πάντες σκανδαλισθήσονται, ἀλλ' οὐκ ἐγώ. 30. καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Ἀμὴν λέγω σοι, ὅτι σὺ σήμερον ταύτῃ τῇ νυκτὶ πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, τρίς με ἀπαρνήσῃ. 31. ὁ δὲ ἐκπερισσῶς ἐλάλει, Ἐὰν δέῃ με συναποθανεῖν σοι, οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι. ὡσαύτως καὶ πάντες ἔλεγον.

32. Καὶ ἔρχονται εἰς χωρίον οὗ τὸ ὄνομα Γεθσημανεί καὶ λέγει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, Καθίσατε ὧδε, ἕως προσεύξωμαι. 33. καὶ παραλαμβάνει τὸν Πέτρον καὶ τὸν Ἰάκωβον καὶ τὸν Ἰωάννην μετ' αὐτοῦ. καὶ ἤρξατο ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. 34. καὶ λέγει αὐτοῖς, Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου· μείνατε ὧδε καὶ γρηγορεῖτε. 35. Καὶ προελθὼν μικρὸν, ἔπιπτεν ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ προσηύχετο, ἵνα, εἰ δυνατόν ἐστι, παρέλθῃ ἀπ' αὐτοῦ ἡ ὥρα· 36. καὶ ἔλεγεν, Ἀββᾶ, ὁ πατὴρ, πάντα δυνατά σοι. παρένεγκε τὸ ποτήριον τοῦτο ἀπ' ἐμοῦ· ἀλλ' οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ. 37. καὶ ἔρχεται καὶ εὑρίσκει αὐτοὺς καθεύδοντας, καὶ λέγει τῷ Πέτρῳ, Σίμων, καθεύδεις; οὐκ ἴσχυσας μίαν ὥραν γρηγορῆσαι; 38. γρηγορεῖτε καὶ προσεύχεσθε, ἵνα μὴ ἔλθητε εἰς πειρασμόν· τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής. 39. Καὶ πάλιν ἀπελθὼν προσηύξατο, τὸν αὐτὸν λόγον εἰπών. 40. καὶ πάλιν ἐλθὼν εὗρεν αὐτοὺς καθεύδοντας· ἦσαν γὰρ αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ καταβαρυνόμενοι, καὶ οὐκ ᾔδεισαν τί ἀποκριθῶσιν αὐτῷ.

41. Καὶ ἔρχεται τὸ τρίτον, καὶ λέγει αὐτοῖς, Καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε. ἀπέχει· ἦλθεν ἡ ὥρα· ἰδοὺ, παραδίδοται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου εἰς τὰς χεῖρας τῶν ἁμαρτωλῶν. 42. ἐγείρεσθε, ἄγωμεν· ἰδοὺ, ὁ παραδιδούς με ἤγγικεν.

In v. 27 σκανδ. sine addito in ℵ B C* D H L S V XΓ Δ Π² al 40 fere f q cop; addunt εν εμοι εν τη νυκτι ταυτη A C² E F K M N U al pl c g² sah syr (utr) arm aeth; pauci codd vulg habent in me (mt ox car lich val wil harl); lich ken scandalum patiemini. In v. 29 ει και ℵ B C G L aliq minusc arm; rell και ει; addunt εν σοι E G U aliq minusc, sixt in te (quod codd vulg non habent). In v. 31 εκ περισσου ελεγε μαλλον A X Γ Δ Π unc 9 al pler; k plura loquebatur magis; c ff² amplius loquebatur multa dicens; commori *tecum* mt ox wil. In v. 35 επιπτεν ℵ B L Ti W H; codd rell επεσεν; addunt (e Matth) επι προσωπον D G aliq minusc; in faciem a c ff² g² i k q gat lich arm; adorabat dub ept; D ωρα αυτη; d i q hora haec, f illa; k calix iste. In v. 36 quod ego *dico* a. In v. 37 vigilare *mecum* wil; F 2 minusc μετ' εμου (e Matth). In v. 38 ελθητε ℵ* B 346. Ti W

H; rell codd εισελθητε. In v. 40 και παλιν ελθων ℵ B L W H; al codd υποστρεψας Ti; reversus vulg syr (utr) arm aeth; ingravati am fuld hub* lich med lind harl Wordsworth. In v. 41 D απεχει το τελος και η ωρα; d q sufficit finis et hora; f adest finis, venit hora; c ff² adest enim consummatio et hora; a consummatus est finis, advenit hora; syr (utr) appropinquavit finis et venit hora. Singularia habet k : dormite iam nunc; ecce appropinquavit qui me tradit. et post pusillum excitavit illos et dixit iam hora est ecce traditur filius hominis in manus peccatorum. Etiam pl codd vulg *traditur*, uti am cav hub for med ox rush tol lind harl, Wordsworth.

Quamvis Christus saepius praedixisset suam passionem, tamen apostoli quando revera accidit maxime perturbati sunt; atque id quoque Christus eis vaticinatur v. 27 *et ait eis Iesus : omnes scandalizabimini (in me in nocte ista;* videtur transsumptum ex Matth. 26,31; nam cur in tot codd omissum esset difficile explicaretur; facile cur insertum sit patet) i. e. ex iis quae mihi accident desciscendi a me occasionem capietis (*Patr.*), offensi me deseretis. Scandalum quod passi sunt aliqui ita explicant, ut dicant eos amisisse fidem in Iesum, quippe qui nec se nec suos posset eripere neque esset Filius Dei, sed morte periret (cf. *Lap.* ad Matth. 26,31). Quae tamen sententia nimis dura videtur neque ullo pacto commendatur Ioan. 16,31. 32, ubi Christus apostolis dicentibus : nunc credimus quia a Deo existi, respondet : modo creditis? ecce venit hora et iam venit, ut dispergamini unusquisque in propria et me solum relinquatis. Quibus verbis solum dicitur eos non fore adeo fortes et constantes, ut quod credunt in summo discrimine sua apud Iesum praesentia aperte profiteantur. Cum enim id accideret quod minime exspectarant, pusillanimitate et timore victi fugam arripiunt videntes Iesum capi. Atque in hac fuga adeo celere et in illo maximo terrore quo perturbati plane redduntur immemores et verborum Christi et suarum promissionum consistere scandalum, etiam consequitur : *quia scriptum est : percutiam pastorem et dispergentur oves;* nonne in hac locutione parabolica vel in hac ipsa comparatione aliqua continetur excusatio fugae et perturbationis eorum? quid enim mirum quod oves timidae natura et pavidae dissipantur, si pastor hostili impetu male tractatur? Verba petita sunt ex Zach. 13,7; in hebr. Deus alloquitur gladium vel frameam : percute pastorem; quare cum iubeat percuti pastorem, sensus revera est : percutiam; de ipso oraculo vide meum Comment. in min. Proph. II p. 384 seq. Repetit *Beda* verba *S. Hier. :* « praedicit quod passuri sunt, ut cum passi fuerint non desperent salutem, sed agentes poenitentiam liberentur ». Insuper maiorem illis affert consolationem dicens (*Theoph. Cai.*) v. 28 *sed postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam;* « ex his quae Christo esset discipulorum caritas apparet luculenter; ne

enim putarent eum ipsorum infidelitate quam praedicebat adeo offensum iri ut ipsis nulla spes superesset cum eo in gratiam redeundi, simul praedicit se in vitam reversum una cum ipsis futurum » (*Patr.*). Galilaeam nominat, utpote patriam apostolorum, in qua plerumque cum eis versatus est, ut ea annuntiatione intelligant Iesum denuo per aliquod tempus ibi versaturum. Neque his contraria sunt quae Luc. 24,36 et Ioan. 20,19 habentur; neque enim dicit se *statim* in Galilaeam iturum neque ibi *primo* sese discipulis manifestaturum.

Petrus autem « vertex apostolorum praesumens de fervore caritatis quem tunc habebat, ignarus propriae infirmitatis » (*Alb.*) eiusmodi offensionem et ignaviam a se nunquam posse committi affirmat v. 29 *Petrus autem ait illi : et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego* εἰ καὶ si etiam omnes... ; καὶ εἰ (sensu parumper mutato) ne tum quidem, si omnes, ego scandalizabor; affert hic quoque *Beda* quod *S. Hier.* monuit : « non est temeritas nec mendacium, sed fides est apostoli Petri et ardens affectus erga Dominum Salvatorem ». Verum ab aliqua temeritate vix poterit absolvi, etsi pro ferventiore indole sine maiore consideratione solum secundum affectum quem tunc habebat locutus sit. Nam et antea iam expertus erat quam facile excideret ab animi fortitudine (Matth. 14,30) periculo instante, et hic ne repetitis quidem Iesu assertionibus suam relinquit praesumptionem atque solis suis confidit viribus; neque enim ei in mentem venit flagitare a Domino ut omne avertat periculum. Nam, ut *Vict.* notat, cum et propheta fugam praedicat et Christus eius sermonem confirmet, debuit Petrus petere a Domino : adiuva nos ita ut non separemur; at ille sibimet confidit; v. 30 *et ait illi Iesus : amen*, confirmatione utitur quia est de futuro et contingens (*Alb.*); proinde ut intelligere possit Petrus Dominum non loqui quasi hominem coniectantem et minitantem de iis quae fortasse possent contingere, verum scientia certa rerum futurarum, *dico tibi, quia tu hodie in nocte hac prius quam gallus vocem bis dederit ter me es negaturus;* nota quam certo affirmet et qua loquatur gradatione : *hodie*, cum dies a vespera inceperit; sed *hodie* accuratius determinatur : *in nocte hac*, quae usque ad solis ortum extenditur; demum etiam magis distincte : ante diluculum; *bis* a solo Marco refertur, certe Petro narrante, sicut etiam v. 68 et 72 bis gallum cantasse narrat. Quare etiam Christi verba non erunt explicanda de tertia noctis vigilia ante quam finitam Petrus sit negaturus, ut propter 13,35 *Weiss* vult (cf. *Schanz*), sicut iam *Fab.* quoque exposuit : non absolvetur hac nocte gallicinium, priusquam ter me negaveris.

Verum Petrus, uti homines fervidioris ingenii solent sententia dis-

crepante audita magis incendi et ad obstinationem provocari, acrius Domino contradicit et testimonio suae conscientiae confisus etiam maiora se praestaturum pollicetur v. 31 *at ille amplius loquebatur : et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo; similiter autem et omnes dicebant;* magnum itaque amorem quo nunc animi eorum afficiuntur in Iesum testificantur et ex hoc affectu de futuro iudicant; verum mox experientur humanam fragilitatem, ut discant non suis confidere viribus sed ad Dei opem confugere. Christus eorum testificationem amoris et benevole audit et simul noscens eorum fragilitatem misericordia movetur.

Iesus obviam it passioni; v. 32 *et veniunt in praedium*, χωρίον proprie est ager, fundus; Ioan. 18,1 dicitur κῆπος, hortus arboribus consitus, *cui nomen Gethsemani* i. e. torcular olei, uti communiter explicant i. e. גת שׁמן; *S. Hier.* interpretatur nomen vallem pinguissimam, proin גיא ש׳; est hortus ad radices montis olivarum; aliqui opinantur hortum et villam fuisse Mariae matris Marci (cf. Expositor, 4 ser. 3 vol. 1891 p. 222); res est plane incerta neque potest reddi certa ex v. 51 etsi adolescens ille censeatur Marcus. Uti Iesus solebat orare antequam aggrederetur negotium maioris momenti (1,35; 6,46. Luc. 3,2; 5,16; 6,12; 11,1), ita nunc quoque opus redemptionis oratione inaugurat; *et ait discipulis suis : sedete hic donec orem;* eos igitur fere in introitu horti remanere iubet: sed tres illos quos saepius prae aliis secum esse voluit, etiam hic longius secum progredi desiderat v. 33 *et assumit Petrum et Iacobum et Ioannem secum*, qui scil. testes erant gloriae eius in transfiguratione eosdem testes quoque facit suae agoniae, « ut illi ipsi qui gloriosa viderant videant et tristia » (*Theoph.*), ut sint spectatores et testes imbecillitatis quoque suae humanae, in qua hi ob conspectam prius gloriam et pleniorem de ipso cognitionem minus offendi poterant quam ceteri (*Ians.*).

Iam antequam corpus traderet tortoribus, in ipsa anima experiri ac pati voluit summam tristitiam et moestitiam et gustare omnes illos terrores et horrores quibus anima humana concuti solet instante cruciatu durissimo; *et coepit pavere* ἐκθαμβεῖσθαι attonitum fieri, obstupescere prae pavore, *et taedere* ἀδημονεῖν taedio et moestitia affici. Et quantopere anima eius excrucietur, eo ipso manifestum redditur quod coram apostolis de aerumna loquitur idque verbis gravissimis v. 34 *et ait illis : tristis est anima mea usque ad mortem* περίλυπος valde tristis, quasi undique tristitia obsepta et circumdata, cuius intentio ac gravitas declaratur : usque ad mortem, id quod non significat durationem (*S. Hier.*), sed : in eo sum ut moriar prae tristitia; tanto scil. pondere in animam incumbit eamque premit, ut mortem afferret nisi Iesus hunc

effectum impediret. Hac lugubri lamentatione in sinum familiarium apostolorum effusa eos iubet ibi consistere et vigilare; ipse autem paululum progressus orationi se dat; *sustinete* μείνατε manete hic et *vigilate;* ut secum in oratione vigilent exoptat, uti ex v. 38 consequitur.

Et quid sit quo adeo affligatur Christi anima indicatur subsequentibus, quibus simul denuo demonstratur quantis tribulationum fluctibus immersa sit v. 35 *et cum processisset paululum, procidit super terram,* ἔπιπτεν iterum iterumque procidebat in genua, in faciem suam (Matth. 26,39) positis genibus (Luc. 22,41); modo itaque in genua procumbens, modo plane prostratus orabat; ipsa situs mutatione animi afflictio et dolor ingens declaratur, sicut summa eius humilitate maximus in orando fervor et precatio impensissima, *et orabat, ut si fieri posset transiret ab eo hora* ὥρα, tempus, hora, usurpatur hoc loco pro re quae eo tempore imminebat; transit itaque hora ab homine, si id quod imminet non accidit, si homini parcitur. Ceterum quid flagitaverit, statim additur v. 36 *et dixit: abba Pater,* Christus utique voci aramaicae abba non addidit vocem graecam ὁ πατήρ, quamvis quandoque dictum sit Iesum et graeca voce esse usum, ut Ecclesiam suam ex Iudaeis et gentibus congregandam insinuaret (*S. Aug.* de cons. evang. 3,4. 14). Sed vox graeca videtur addita a Petro qui narrans de oratione Iesu ipsum illum sonum quo Iesus Patrem allocutus est retinere et aliis insinuare voluit, sed pro Romanis adiecit vocis explicationem. Alii censent ea dictione indicari Christum vocem abba geminasse ex intimo cordis affectu ad magnitudinem eius et filialis fiduciae significandam (*Cai. Lap.*). Alii censent ab evangelista esse additam (*Alb. Patr. Schegg, Fil. Keil*); sed si Marcus voces aramaicas ipse explicat, solet id indicare; vide 5,41 et 7,34. Alii demum censent formulam precandi abba Pater apud Christianos iam usitatam (cf. Rom. 8,15. Gal. 4,6) a Marco esse usurpatam et praeoccupatione quadam ipsi Christo attributam (*Schanz, Weiss*), qui modus explicandi per hysteron proteron (*Schanz*) neque necessarius est neque placet; *omnia tibi possibilia sunt;* provocat ad Patris omnipotentiam qua possit alio quoque modo ut opus peragatur redemptionis permittere; implorat itaque Patrem, ut quia fieri potest, dummodo Pater velit, hora a se transeat; quare bene notat *S. Aug.* idem esse *omnia tibi possibilia sunt* ac quod habetur Luc. 22,42 : si vis; *transfer calicem hunc a me* sortem hanc ac passionem quam mihi imminere video transfer a me; de metaphora calicis vide 10,38. Quantis cruciatibus Christi anima humana exerceatur ex hac ipsa precatione luculentissime patet. Attamen mediis in angustiarum et tribulationum fluctibus se plane committit beneplacito Patris et quo sensu precationem illam accipi velit

declarat addens : *sed non quod ego volo sed quod tu;* cum dicatur ἀλλ' οὐ, non potest sententia absolvi supplendo γενέσθω; neque opus est aliqua suppletione; nam oratio uti est et perspicua est et ex hac ipsa forma abrupta magis ad emphasin et ad affectus magnitudinem facta. In magnis enim animi commotionibus per membra abrupta incedere solet oratio.

De quanam re coeperit pavere et taedere et tristis esse usque ad mortem, hac precatione declaratur. Erat scil. de sorte quae ipsi subeunda proponebatur. Eo sensu accipiendum esse calicem patet ex usu metaphorae usitatae. Hunc calicem autem spectare ad passionem cui obviam eat elucet etiam ex eo quod Petro qui prohibere vult ne caperetur dicit : calicem quem dedit mihi Pater non bibam illum (Ioan. 18,11)? Christus igitur ex viva apprehensione passionis instantis et mortis magna tristitia affectus est; praevidebat enim et vivide sibi repraesentabat singula tormenta, flagella, spinas, opprobria, crucem etc. Ita Christum timore mortis tristem fuisse explicat *S. Ioannes damascenus* (de fide orth. 3,23; *M.* 94,1089), item *Vict. Theoph.* et *S. Thom.* 3 p. qu. 46 art. 6 inter doloris interioris causas apud Christum recenset amissionem vitae corporalis quae naturaliter sit horribilis humanae naturae; « vita autem corporalis Christi fuit tantae dignitatis, quod de eius amissione etiam ad horam magis esset dolendum quam de amissione vitae alterius hominis per quantumcumque tempus »; pariter advertit s. doctor animam Christi secundum vires interiores efficacissime apprehendisse omnes causas tristitiae; inter quas causas merito recensetur etiam praescientia Christi multos homines pro quibus tam horrenda pati debeat tamen perituros esse, recensetur horror ille et taedium summum quod experiri debuit de tot hominum flagitiis etc. (cf. *Salmeron* t. 10 tract. 11; *Ians. Lap. Sylv. Lamy* et recentiores).

Quod aliqui dicunt Christum non propter suam mortem et passionem tristem fuisse et doluisse nequit admitti. Non est assentiendum *S. Ambrosio* qui scribit : « cum in se nihil haberet quod doleret, nostris tamen angebatur aerumnis et sub tempore mortis moestitiam praetendebat, quam non ex metu mortis suae, sed ex mora nostrae redemptionis assumpserat... non propter mortem, sed usque ad mortem tristis est Dominus, quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit » (in evang. Luc. lib. 7 n. 133; *M.* 15,1734) et iterum : « dolet ergo, Domine, non tua, sed mea vulnera; non tuam mortem, sed nostram infirmitatem » (ita ad Luc. 22,42 : Pater, transfer calicem a me; *M.* 15,1818) et *Beda* verba S. Ambrosii suo commentario inseruit. Similiter etiam scribit *S. Hier.* (ad Matth. 26,37; *M.* 26,197) : « contristabatur autem non timore patiendi qui ad hoc venerat

ut pateretur et Petrum timiditatis arguerat, sed propter infelicissimum Iudam et scandalum omnium apostolorum et eversionem miserae Ierusalem ». Putabant aliqui spectare ad pietatem et ad Christi gloriam, ut censeatur Iesus non doluisse timore patiendi, sed solum misericordia, ut si possibile foret nullus periret, quemadmodum dicitur a Petro Polo (Mansiones morales t. 3 mans. 41 p. 331; Matriti 1737; qui ibi alios quoque pro ea sententia allegat). Verum cavendum est ne pietatis et gloriae Christi id esse arbitremur quod s. litteris non concordat. Uti iam monui, quid Iesus nomine calicis intelligat, indubie constat Ioan. 18,11 et etiam metaphora calicis in aliis locis; vide ad 10,38. Et dum unum affirmatur alterum non est negandum. Tristis erat propter mortem eamque adeo horribilem et tot cruciatibus septam, quae utique tristitia permultum augebatur ingratitudine hominum et perditione multorum praevisa et ingenti horrore de tot sceleribus, quae quasi in se assumere et pro quibus satisfacere voluit.

De ea tristitia Christi disputat *Suarez* ad 3 p. Thom. qu. 46, disput. 33 sect. 2 n. 6, fuisse eam summam in intensione et acerbitate; « nam obiectum eius secundum se maximum erat; primum mors, quod inter omnia humana mala censetur maximum et in Christo augebatur ex dignitate vitae eius quae divina erat propter unionem. Secundo, modus mortis ignominiosissimus et acerbissimus et cum aliis gravissimis doloribus coniunctus...; tertio, accedit perfecta et intensissima apprehensio horum omnium, quae maxime solet tristitiam excitare. Quarto, voluntas et appetitus Christi permissus est naturae suae, ut circa tale obiectum sic propositum, quantum naturae propensione et efficacia posset contristaretur et divinitus factum est, ut unus actus alium non impediret, nec gaudium unius partis in aliam redundaret nec denique aliquod aliud solatium adhiberetur quod tristitiam illam posset minuere vel levare... Fuit autem conveniens Christum tantam tristitiam assumere propter maiorem excellentiam suae satisfactionis etiam ex parte poenae assumptae et propter exemplum nostrum et praeterea ut evidentius veritatem naturae assumptae demonstraret ». Eiusmodi rationes cur voluerit tristari pluribus exponunt *Ians.* cap. 137 Concord. *Lap.* ad Matth. 26, *Sylv.* lib. 8 cap. 2 qu. 5 seq. etc. De timore et tristitia Iesu agit *Suarez* quoque in 3 p. S. Thom. qu. 15 art. 7 et qu. 18 disput. 38 sect. 3. De eadem re theologi scholastici tractant in commentariis ad 3 librum sententiarum dist. 15; ex recentioribus cf. *Rappenhoener,* Die Koerperleiden und Gemüthsbewegungen Christi, Düsseldorf 1878; *Stentrup,* de Verbo incarnato II p. 994 seq. Oeniponte 1882.

Hisce locis veteres quoque utebantur ad probandam veram naturam humanam in Christo; ita S. Iustinus c. Tryph. n. 99 (*M.* 6,708), S. Hilarius in Ps. 138,3; de Trinit. 10,23 (*M.* 9,794; 10, 361); Origenes c. Cels. 2,25 (*M.* 11,845), S. Ambr. Hier. Chrys. Vict. et Beda multa complexus scribit : hoc dixit *tristis est anima mea* et Manichaeus non credidit, Valentinus negavit, Marcion phantasma iudicavit; cf. S. Ioan. damasc. de fide orth. 3,23 qui etiam S. Athanasium pro ea re laudat.

Homines angustiis pressi varia tentare, modo huc modo illuc discurrere solent. Etiam hanc angustiarum significationem modumque Christus prae se ferre videtur; modo enim orat, modo quasi aliquid solatii ex discipulorum affectu et colloquio capturus (*Sylv.*) ad eos se confert. Sed simul eorum gerit curam eos admonens ut sese muniant contra periculum instans et suam in eos declarat ineffabilem mansuetudinem, quia eos iussa minime facientes non acerbo animo insectatur, sed mansuete compellat tacite solum notans eorum in promittendo infidelitatem (*Ians.*) v. 37 *et venit et invenit eos dormientes;* venit ad tres illos v. 33; Petrum enim, unum ex tribus qui remoti erant ab aliis octo alloquitur et ex accurata narratione apud Matthaeum et Marcum (aliter utique videri posset ex Luca 22,39. 40) hos tres vigilare iusserat, quod ab iis neglectum reperit. Christi verba de sua maxima tristitia, vultus eius et habitus subito adeo mutatus, ut eum paventem viderent et moestum v. 33 reddiderant ipsos quoque tristes et affectos moerore; adde tempus noctis; non mirum iis obrepsisse somnum. Prae ceteris autem Petrum alloquitur quippe qui ceteris maiora et ardentius pollicitus erat et qui ut reliquorum primus et antesignanus exemplo praeire debuerat *Ians. Sylv.*); *et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare?* mori mecum promisisti et iam non potes mecum vigilare? tanta tibi de te promittebas modo, et nunc ne somno quidem obsistere potes?

Haec verba Petro dicta unus retulit Marcus; Petrus in sua narratione se a Domino reprehensum exponere solebat; alios quoque esse reprehensos innuitur v. 38 *vigilate et orate, ut non intretis in tentationem;* Petrus qui alias adeo promptus, immo praeceps erat ad respondendum, silet pudefactus nec verbum proferre audet convictus inconstantiae et neglecti Domini mandati. Iesus autem repetit quae antea monuerat; addit ut orent; denuo demonstrat periculum augens vim admonitionis et gravitatem, ne neglecta oratione tentatio eos inveniat imparatos et infirmos et ope divina quam efflagitare neglexerint destitutos. Posse periculum lapsus et tentationem assidua vigilantia et oratione averti pariter eos docet. Atque ne suis viribus confidant neve ex praesenti affectu et animi consilio metiantur arbitrenturque quid facturi sint ingruente periculo, monet: *spiritus quidem promptus est, caro vero infirma;* πρόθυμον animus quidem paratus est ad bonum libenter amplectendum; sed ne haec promptitudo superetur et exstinguatur carnis infirmitate et ignavia, dum instet periculum, opus est ut voluntas auxilio divino roboretur ac sustentetur, quod auxilium a Deo efflagitetur oportet. Hac sententia ita in universum prolata Dominus simul videtur mitigare reprehensionem somnolentiae significans eos non ob contemptum mandatum sed propter infirmitatem carnis obdormivisse (*Theoph.* ad Matth.

Ians.). Aliqui, uti *Beda* quoque h. l. (alios recenset *Sylv.*), arbitrantur haec Christum de se dicere; id quod refutatione non indiget, cum oratione contexta sola aliis rationibus omissis satis superque repudietur. Neque cum *Vatablo* ad Matth. 26,41 explicandum est: tentator animosus est et potens, homo autem admodum imbecillis, ut sine Deo non possit resistere. Quod ultimum utique vere et bene dicitur; at πνεῦμα nequit de satana exponi neque modus loquendi ullo pacto ei acceptioni congruit: spiritus quidem i. e. quamvis spiritus promptus sit ac paratus, caro tamen infirma est.

Iesus iterum redit ad orandum v. 39 *et iterum abiens oravit eundem sermonem dicens,* unde elucet terribili illa agonia et angustiis et horroribus animam Iesu etiamtum fuisse pressam quibus inducebatur ut Patrem rogaret: transfer calicem a me. Verum ita rogat ut Patris beneplacitum suo desiderio omnino anteponi velit. Docet nos constantiam et perseverantiam orationis; « annon quivis liquido perspicit eum idcirco sic esse locutum, ut nos Dei solius opem in tentationibus invocare divinamque voluntatem nostrae anteponere doceret » (*Ioan. damasc.* l. c. 3,24); v. 40 *et reversus denuo invenit eos dormientes, erant enim oculi eorum gravati,* qua dictione gravis somnolentia optime describitur, cum teste experientia oculi quasi gravi pondere pressi aperiri nequeant. Etiam hic valet illud: corpus quod corrumpitur aggravat animam et terrena inhabitatio deprimit sensum multum cogitantem (Sap. 9,15), *et ignorabant quid responderent ei,* « huius rei testis nemo alius esse potuit nisi unus ex illis tribus discipulis; hi enim soli noverant se *ignorasse* quid responderent. Id Matthaeus narrare omisit. A quo ergo Marcus id didicit? a Petro inquam uno ex illis » (*Patr.*). Relictis illis iterum abiit et oravit tertio eundem sermonem dicens, ut Matth. 26,44 refertur. Atque id Marcus quoque innuit v. 41 *et venit tertio;* ergo a discipulis somno gravatis regressus erat ad orationem et nunc tertio ad eos redit, sed redit iam non tristis et afflictus, verum parta victoria tranquillus et fortis. Novit mox venturum esse proditorem. Per breve temporis spatium discipulos quiescere sinit; *et ait illis: dormite iam et requiescite;* haec non dici, uti aliqui putant, ex ironia, iam ad Matth. 26,45 disputatum est, et hoc loco praeterea suadetur, cum sequatur *sufficit;* ita ἀπέχει optime verti plerique recentiores quoque statuunt (*Reischl, Bisp. Schanz, Fil. Poelzl, Ewald, Bleek, Weizsaecker, Meyer, Weiss, Keil* aliique quos enumerant Schanz, Weiss). Sed de qua re dicatur controvertitur. Aliqui id Iesum de se dicere existimant: iam potestis dormire; satis certaminis subii et satis iam solatii et fortitudinis mihi praesto est; quare cum id iam habeam ad quod vestram sollicitavi orationem et vigilantiam, dormire poteritis (cf. *Reischl, Schanz, Weiss*). Sed

nonne hac ratione verba *dormite* fere ad ironiam reducuntur? et id quod ad *sufficit* suppleri debet nusquam exprimitur et a longe repeti debet. Quare cum *S. Aug. Bed. Alb. Cai. Fab. Ians. Lap. Bisp. Fil. Poelzl, Ed.* II p. 541 statuendum erit id dici post quietem illam discipulis permissam, cum iamiam proditor appropinquaret. Hac itaque voce monentur iam satis temporis esse quieti datum; *venit hora* quae ut a se transiret antea flagitaverat, sed quam nunc adesse discipulis victoria parta animo alacri et forti annuntiat et quam ulterius describit : *ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum;* mox tradar gentilibus qui potissimum peccatores dicebantur (*Lamy*); sed quia principes synagogae Messia culpabiliter reiecto a foedere divino iam recesserunt et defecerunt, merito accensentur gentibus et ipsi et designantur ut peccatores, ut alieni a foedere Dei Deoque exosi. Quid illud *sufficit* sibi velit porro declaratur v. 42 *surgite, eamus* obviam illis ne nos incautos se oppressisse dicant (*Lamy*); hac quoque voce docet se sponte et voluntarie sese tradere tortoribus et scire quae ventura sint (*Vict.*) : *ecce qui me tradet prope est;* « Christus post preces Deo adhibitas animos prae se fert longe alios ac prius v. 33-36, non quod ut tales sumeret ei opus esset precari, sed quo doceret quid ubi tales sumere volumus agendum nobis sit quique precum exitus et fructus exspectandus » (*Patr.*). Eosdem iam sensus alacriter profitetur quos ante agoniam : ut cognoscat mundus quia diligo Patrem et sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio; surgite, eamus (Ioan. 14,31).

Pro significatione ἀπέχει *sufficit, satis est* non possunt afferri nisi loci pauci iique temporis serioris (ita ex Pseudo-Anacr. 28,33, Cyrill. in Agg. 2,9 et Hesychii glossa (critice tamen valde dubia) : ἀπόχρη, ἐξαρκεῖ cf. *Wetstein, Schanz, Weiss*). Attamen plerique cum *vulg.* eam h. l. retinent notionem. Aliter autem explicat *Euth.* ἀπέχει, τουτέστιν ἔλαβε τὴν κατ' ἐμοῦ ἐξουσίαν ὁ διάβολος; sed accepisse diabolum adversus Iesum potestatem, profecto ea voce sola nequit exprimi. Secundam quoque proponit interpretationem ἢ ἀπέχει τὰ κατ' ἐμέ, ἤγουν, πέρας ἔχει, abscedunt quae de me sunt, vel finem habent; nam etiam apud Lucam dicit : ea quae sunt de me finem habent (Luc. 22,37). Quae interpretatio saepius est proposita; eam prae se fert lectio τέλος in D et in aliquibus codd. ital. (vide lect. var.) et versio syr.; eandem sequuntur *Erasmus, Lamy* (res nostra finem suum nacta est), a qua non abest quod alii exponunt : habet, peractum est (*Grotius* ad Matth. 26,45), actum est (*Hammond, Schegg*), de qua notione pluribus disputavit *Buttmann* in periodico *Studien und Kritiken* 1858 p. 506-516, qui v. 41 ita enarrat : dormite; iam non opus est vestra vigilantia; tempus impletum est, venit hora; cf. *Buttmann*, Grammatik des neutest. Sprachidioms p. 118.

d) Iesus comprehenditur 14,43-52.

14,43. Et, adhuc eo loquente, venit Iudas Iscariotes unus de duodecim, et

14,43. Καὶ εὐθὺς ἔτι αὐτοῦ λαλοῦντος παραγίνεται ὁ Ἰούδας, εἷς τῶν δώδεκα,

cum eo turba multa, cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus, et scribis, et senioribus. 44. Dederat autem traditor eius signum eis, dicens; Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute. 45. Et quum venisset, statim accedens ad eum, ait : Ave, Rabbi : et osculatus est eum. 46. At illi manus iniecerunt in eum, et tenuerunt eum.

47. Unus autem quidam de circumstantibus, educens gladium, percussit servum summi sacerdotis; et amputavit illi auriculam. 48. Et respondens Iesus, ait illis : Tanquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me? 49. Quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis; sed ut impleantur Scripturae.

50. Tunc discipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt.

51. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo; et tenuerunt eum. 52. At ille, reiecta sindone, nudus profugit ab eis.

καὶ μετ' αὐτοῦ ὄχλος μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν γραμματέων καὶ τῶν πρεσβυτέρων. 44. δεδώκει δὲ ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν σύσσημον αὐτοῖς, λέγων, Ὃν ἂν φιλήσω, αὐτός ἐστιν, κρατήσατε αὐτὸν, καὶ ἀπάγετε ἀσφαλῶς. 45. καὶ ἐλθὼν, εὐθὺς προσελθὼν αὐτῷ λέγει, Ῥαββεί, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. 46. οἱ δὲ ἐπέβαλαν τὰς χεῖρας αὐτῷ, καὶ ἐκράτησαν αὐτόν.

47. Εἷς δέ τις τῶν παρεστηκότων σπασάμενος τὴν μάχαιραν ἔπαισεν τὸν δοῦλον τοῦ ἀρχιερέως, καὶ ἀφεῖλεν αὐτοῦ τὸ ὠτάριον. 48. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς, Ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξήλθατε μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων συλλαβεῖν με; 49. καθ' ἡμέραν ἤμην πρὸς ὑμᾶς ἐν τῷ ἱερῷ διδάσκων, καὶ οὐκ ἐκρατεῖτέ με· ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαί. 50. Καὶ ἀφέντες αὐτὸν πάντες ἔφυγον.

51. Καὶ νεανίσκος τις συνηκολούθει αὐτῷ, περιβεβλημένος σινδόνα ἐπὶ γυμνοῦ· καὶ κρατοῦσιν αὐτόν. 52. ὁ δὲ καταλιπὼν τὴν σινδόνα γυμνὸς ἔφυγεν.

In v. 43 ιουδας ο ισκαριωτης A D K M U Π al plus 40 it vulg syr arm aeth Ti; sed solum Iudas ℵ B C E G H L N S V X Γ Δ al pl sah cop go W H; ceterum it et codd vulg fere omnes scribunt scarioth; solum οχλος ℵ B L 13. 69. a ff² for car lich val harl sah cop go arm; rell addunt πολυς; c ff² l addunt *missi*, item big mt ox steph hub theod sixt, uti alqi minusc απεσταλμενοι; pro lignis habent fustibus lich ken; dub lignis et fustibus. In v. 44 απαγετε ℵ B L D aliq minusc; rell απαγαγετε; solum *ducite* big cav for car ken rush tol harl; ducite cum omni sollicitudine mt ox, d. cum monitione lich; ducite eum fuld; abducite diligenter q; d. firmissime f etc. In v. 45 addunt χαιρε C² pl minusc sah a c; ait ave steph sixt; ait habe tol (quod ave ex Matth. depromptum est; codd vulg id non habent); sat multi codd gr syr (sch) arm go ponunt bis ραββει. In v. 48 cum gladiis et *fustibus* dub lich a c d f ff² k q. In v. 50 τοτε οι μαθηται N aliq minusc; tunc discipuli eius c g¹ ² l vulg sah arm. In v. 51 addunt οι νεανισκοι A C² N P X Γ Π unc 9 al pler q go arm aeth sah pl minusc; sed qui fuerint illi iuvenes qui eum tenuerint nequit explicari. In v. 52 addunt απ αυτων A D N P X Γ Δ Π unc 9 al pler it vulg go arm; non add ℵ B C L c k sah cop syr (sch) aeth.

Iam opere complentur quae Iesus praedixerat v. 43 *et adhuc eo loquente venit Iudas Iscariotes, unus de duodecim*, sicuti Iesus praedixerat v. 18. 20, quare id cum emphasi effertur : unus de duodecim, simul etiam ad perversitatem proditoris designandam qui ad apostolicam dignitatem evectus occisoribus Christi factus est dux (*Vict.*); ad detestationem proditoris adiectum est id, quod cum ex primo ordine esset

ita in magistrum insaniverit (*Theoph.*), *et cum eo turba multa cum gladiis et lignis* i. e. fustibus, baculis; ξύλων *fustibus* vertit interpres Matth. 26,47. 55 et Luc. 22,52; *a summis sacerdotibus et scribis et senioribus;* ab his scil. missi erant illi. Omnes ordines synedrii enumerantur; a summo magistratu Iudaeorum, a ducibus et doctoribus populi Iesus comprehendi iubetur; turbam mittunt armatam, ne quis audeat Iesum defendere. Rem pro sua parte agunt provide, cum sciant quanto studio multi ex plebe eum prosecuti sint hisce ultimis diebus. Quos vero miserint, homines scil. ab omni religione alienos, iam ex eo patet quia isti Iesum qui saepius ac diutius in urbe versatus est ne cognoscunt quidem; unde v. 44 *dederat autem traditor eius signum eis* σύσσημον signum quod ex composito datur; explicatur σύνθημα, συνθήκη (Etymol. apud Wetstein) *dicens : quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum et ducite*[1] *caute*, ἀσφαλῶς, uti Act. 16,23 (diligenter custodite); providete omni cura ne evadat. Sciebat Iudas Iesum iam saepius adversariorum insidias vitasse; fortasse coniiciebat eum hac sua potestate esse usurum. Unde ne in se quidquam culpae possit coniici, si Iesus evaderet, monet eos magna opus sollicitudine et diligentia. Quod quandoque explicatur : ducite eum sine ullo vestro timore, ineptum est. Aliter *Schegg :* ducite eum ita ut omnem tumultum vitetis et ostentationem, potest quidem censeri esse pars quaedam illius *caute* vel secure; at primo et per se id in voce non significatur. Solus Marcus refert tale consilium a Iuda esse datum.

Abhinc Marcus res gestas breviter perstringit, brevius quam alii evangelistae, omissis verbis Iesu quae ab aliis referuntur; v. 45 *et cum venisset* in hortum, *statim accedens ad eum ait : (ave) Rabbi, et osculatus est eum;* « osculum caritatis mutuae signum est; caritas autem declarat nos esse discipulos Iesu; nihil igitur hostilius osculo simulato » (*Erasmus*); v. 46 *at illi manus iniecerunt in eum*, bene iam *Alb.* notat ea dictione violentiam captivantium designari *et tenuerunt eum* comprehenderunt eum. Quod cum Petrus cerneret, intrepide Dominum defendit neque secum reputans quid ipse vel quid reliqui decem inermes (duos habebant gladios) contra turbam bene armatam valerent, sed solum impetui animi et amori in Iesum cedens, v. 47 *unus autem quidam de circumstantibus educens gladium percussit servum summi sacerdotis* qui censendus erit prope Petrum manus in Iesum iniecisse maiore ceteris impetu et violentia, *et amputavit illi auriculam;* Petrum novimus ex Ioan. 18,10. Cur Marcus, comes Petri qui Petro narrante

1. Nota dici κρατήσατε scil. de actione quae statim fieri debet et brevi absolvitur : comprehendite eum, sed ἀπάγετε quae actio diutius durat. Hoc enim assignatur discrimen imperativi aoristi et praesentis.

scribit eum non nominat? Censet *Theoph.* eum nomen Petri silentio pressisse ne videretur laudare praeceptorem suum qui maiorem pro Christo zelum ostendisset. Si quidem id Petro laudi tribuitur, melius dicemus ipsum Petrum in sua eius rei narratione nomen suum tacuisse. Et certe actio Petri animi erat intrepidi et Iesu amantissimi; eam *Beda* comparat zelo Phinees qui puniendo sacrilegos mercedem iustitiae sacerdotii perennis acceperat. Quare verisimile est quod habet *Fab.* Petrum non dixisse se eduxisse gladium, sed quendam ex circumstantibus ne se animosiorem ceteris apostolis praedicando videretur sibi arrogare gloriam, et similiter *Schegg;* aliter *Schanz,* qui censet ratione habita adversariorum nomen debuisse taceri, quia vi resistere magistratui semper reprobatum sit a Romanis. Sed si Marcus ea in opinione fuisset, potius censendum esset eum aut hunc eventum omnino omissurum fuisse aut saltem additurum verba quibus Christus impetum illum repressit. — Qui circumsteterint, sunt decem reliqui; non solum tres illi (v. 33) ut vult *Weiss;* nam turba non sine tumultu adveniente et manus in Iesum iniiciente reliqui quoque accurrerunt, uti quoque ex v. 50 patet.

Iesus autem, « ut sciatur quod non ex impotentia, sed ex dispensatione Dei fuit quod non se defendit » (*Alb.*) v. 48 *respondens* scil. ex illo armorum apparatu occasionem capiens *ait illis : tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis,* fustibus, baculis, *comprehendere me;* v. 49 *quotidie eram apud vos in templo docens et non me tenuistis;* « id Christus notasse videtur non adeo ut illos redargueret, qui cum facile et commode ipsum interdiu in templo quiete sedentem, sicut quotidie faciebat, comprehendere possent, maluerint id exsequi nocte intempesta eumque extra urbem veluti latronem persequi, quam ut ex hac ipsa re discerent se non sua ipsorum consilia perficere, *sed* Dei, *ut impleantur Scripturae,* hoc est, ea quae de ipsius Christi cruciatibus et morte fuerant praedicta » (*Patr.*). Cernitur ellipsis : *sed ut impleantur Scripturae;* verum facile ex oratione contexta suppletur : *sed* hoc fit, *ut* etc. cf. Ioan. 9,3; 15,25. « Intuere Iesum inter Iudae osculum, lictores et discipulos, singulis attendere, singulis prospicere et nihil omittere suavissimis tum verbis tum factis, ut intelligamus nihil in ipso turbulentum fuisse, sed serenissimum semper servasse animum, sermonem, gestum, motum ac universum suum opus » (*Cai.*). Merito monet *Theoph.* de vaticinio Is. 53,7 : sicut ovis ad occisionem ducetur. Cum ἵνα quandoque (sicuti apud profanos ὅπως) ad exprimendum imperativum adhibeatur (cf. 5,3. Eph. 4,29; 5,33; *Buttmann* l. c. p. 208), etiam hic verti posset : at impleantur Scripturae! per modum exclamationis. Sed prior explicatio, uti

magis consentanea est verbis, ita potiore sensu et significatione praestat.

Iesu autem apprehenso v. 50 *tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt;* cf. v. 27; « impletur sermo Domini quem dixerat quod omnes discipuli scandalizarentur in illo in ipsa nocte. Nam etsi turba permittente ad petitionem Domini fugerunt, ut Ioannes scribit, pavorem tamen ac timiditatem suae mentis ostendebant, quod ad fugae praesidium promptiores quam ad fiduciam patiendi cum Christo exstiterant » (*Beda*). En quomodo praesente periculo fortia illa consilia et promissiones magnanimae subito conciderunt et quasi in aerem evanuerunt (v. 31)! Quam debilis est homo suis viribus confisus et relictus! Periculum pariter et timorem altero exemplo describit v. 51 *adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo*, solum tectus linteo *et tenuerunt eum;* v. 52 *at ille reiecta sindone*, linteo relicto in eorum manibus, *nudus profugit* (*ab eis*); cum solum linteo cinctus sequeretur, probabilissimum videtur eum tumultu et strepitu adventantium et Iesum abducentium e somno et lecto esse excitatum et egressum, ut quid rei esset videret; quare domum incoluisse videtur in horto vel prope hortum. Cur Marcus id referat, ratio erit assignanda cum *Mald.*, ut declaretur quanta fuerit militum saevitia et quanti etiam periculi Iesum sequi et quam grave Iudaeorum odium non solum in Iesum, sed etiam in eos qui ipsum sequerentur (similiter *Ians. Tir. Schegg, Fil. Poelzl*). Fuisse adolescentem Christi studiosum, ex eo colligi posse communiter dicunt quod Marcus dicat eum Christum secutum esse et quod milites eum quasi Christi sectatorem et defensorem prehendere voluerint (*Mald.*). Quae tamen non adeo firma et certa sunt; nam συνηκολούθει αὐτῷ proprie dicit : una cum aliis, una cum turba eum secutus est vel comitatus est; eum vero ut sectatorem Christi esse prehensum non dicitur. Poterant milites id putare et verisimillime putarunt; poterant etiam eum velle vexare quia non erat unus ex eis. Subtilius est quod habent *Bed. Salmeron*, eum dici fugisse non a comitatu Domini vel ab eo sequendo, sed *ab eis*, ab hostibus quorum et praesentiam detestatus sit et facta.

« Quis iste fuerit adolescens non solum definire temerarium, sed etiam quaerere nimium curiosum dicerem, nisi bonos viderem auctores utrumque fecisse » (*Mald.*). Certum est eum unum ex apostolis non fuisse. Hoc certissime sequitur ex modo narrandi in v. 50. 51 : discipuli *omnes* iam fugerant; tum adolescens *quidam* una cum turba sequebatur Iesum. Quare nec cogitandum erit de Ioanne, quem adolescentem illum fuisse censent S. Chrysologus (serm. 78; *M.* 52,420), Gregorius (Moral. 14,49; *M.* 75,1068), Pseudo-Chrysostomus in Ps. 13 (*M.* 55,555), Beda in h. l. Erasmus, Baronius (ad an.

34 n. 67, qui etiam S. Ambrosium pro ea opinione laudat in eius expositione Ps. 36), neque de Iacobo fratre Domini, de quo locum accipiunt Epiphanius (haer. 78,13; *M.* 42,720), Pseudo-Hieronymus in Ps. 37 (*M.* 26, 939) et τινὲς apud Theoph. Euth. Neque facile credi potest quod Euth. Theoph. aliique afferunt eum fuisse e domo illa in qua Christus pascha manducaverat. Neque enim credibile est eum solo linteo tectum viam illam longam confecisse e coenaculo ad hortum ibique diutius esse commoratum, quamvis non esset vestitus neque decenter neque satis ad frigus nocturnum. Ex ipsa narratione illis forte erit assentiendum qui dicunt iuvenem illum fuisse ex familia villici cui cura horti erat commissa vel famulum eiusdem vel filium (*Cai.* h. l. et in ientac. 6; *Tir. Lap. Men. Sylv. Calm. Patr. Schegg,* cui sententiae quoque accedit *Suarez* in 3 p. qu. 46 disp. 34 sect. 3 n. 4). Ex recentioribus haud pauci Marcum ipsum intelligendum esse existimant, quia ipse solus hoc referat et quia cur referat vix alia ratio excogitari possit nisi ea quod ipse hac in occasione aliquid cum Domino passus sit. Quam sententiam eo libentius illi amplectuntur qui censent hortum Gethsemani et villam fuisse matris Marci (cf. Expositor, 4 ser. 3 vol. p. 222. 230). Quod aliqui obiiciunt teste Papia Marcum nunquam Dominum audivisse aut sectatum fuisse, non adeo obstat, cum certe Papias nihil aliud dicere voluerit nisi eum non fuisse inter discipulos qui Christum comitati sunt. Quare si in re adeo incerta aliquam opinionem amplecti volueris, poteris existimare eum iuvenem fuisse Marcum, uti putant *Reischl, Bisp. Grimm* (Einheit der Evang. p. 513 seq.), *Cornely* (Introd. III p. 84) et ex protestantibus *Olshausen, Lange, Klostermann, Ewald* (qui antea Saulum videre sibi visus est in illo adolescente), *Volkmar, Keil, Weiss, Ed.* II p. 545. Sed vix dicendum erit cum aliquibus nisi esset Marcus non posse afferri rationem sufficientem cur hic eventus esset narrationi insertus. Nam cur narratus sit iam *Mald. Ians. Tir.* afferunt nihil cogitantes de Marco; quare etiam ex recentioribus non desunt qui negent quidquam statui posse de illo iuvene (cf. *Schanz, Fil. Poelzl*).

e) Iesus coram synedristis 14,53-65.

14,53. Et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, et convenerunt omnes sacerdotes, et scribae, et seniores.

54. Petrus autem a longe secutus est eum, usque intro in atrium summi sacerdotis, et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. 55. Summi vero sacerdotes et omne concilium quaerebant adversus Iesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. 56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum; et convenientia testimonia non erant.

57. Et quidam surgentes, falsum testi-

14,53. Καὶ ἀπήγαγον τὸν Ἰησοῦν πρὸς τὸν ἀρχιερέα. καὶ συνέρχονται αὐτῷ πάντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ γραμματεῖς.

54. Καὶ ὁ Πέτρος ἀπὸ μακρόθεν ἠκολούθησεν αὐτῷ ἕως ἔσω εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως· καὶ ἦν συνκαθήμενος μετὰ τῶν ὑπηρετῶν, καὶ θερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς. 55. Οἱ δὲ ἀρχιερεῖς καὶ ὅλον τὸ συνέδριον ἐζήτουν κατὰ τοῦ Ἰησοῦ μαρτυρίαν, εἰς τὸ θανατῶσαι αὐτόν· καὶ οὐχ ηὕρισκον. 56. πολλοὶ γὰρ ἐψευδομαρτύρουν κατ' αὐτοῦ, καὶ ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν. 57. καί τινες ἀναστάντες ἐψευδομαρτύρουν κατ' αὐτοῦ

monium ferebant adversus eum, dicentes:

58. Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum aedificabo. 59. Et non erat conveniens testimonium illorum. 60. Et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Iesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea quae tibi obiiciuntur ab his? 61. Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti; 62. Iesus autem dixit illi: Ego sum: et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus coeli. 63. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? 64. Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.

65. Et coeperunt quidam conspuere eum, et velare faciem eius, et colaphis eum caedere, et dicere ei: Prophetiza; et ministri alapis eum caedebant.

λέγοντες, 58. ὅτι ἡμεῖς ἠκούσαμεν αὐτοῦ, λέγοντος, ὅτι ἐγὼ καταλύσω τὸν ναὸν τοῦτον τὸν χειροποίητον, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλον ἀχειροποίητον οἰκοδομήσω· 59. καὶ οὐδὲ οὕτως ἴση ἦν ἡ μαρτυρία αὐτῶν.

60. Καὶ ἀναστὰς ὁ ἀρχιερεὺς εἰς τὸ μέσον ἐπηρώτησεν τὸν Ἰησοῦν, λέγων, Οὐκ ἀποκρίνῃ οὐδέν; τί οὗτοί σου καταμαρτυροῦσιν; 61. ὁ δὲ ἐσιώπα, καὶ οὐκ ἀπεκρίνατο οὐδέν. πάλιν ὁ ἀρχιερεὺς ἐπηρώτα αὐτὸν, καὶ λέγει αὐτῷ, Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ εὐλογητοῦ; 62. ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν, Ἐγώ εἰμι, καὶ ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν καθήμενον τῆς δυνάμεως, καὶ ἐρχόμενον μετὰ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. 63. ὁ δὲ ἀρχιερεὺς, διαρήξας τοὺς χιτῶνας αὐτοῦ, λέγει, Τί ἔτι χρείαν ἔχομεν μαρτύρων; 64. ἠκούσατε τῆς βλασφημίας· τί ὑμῖν φαίνεται; οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν ἔνοχον εἶναι θανάτου.

65. Καὶ ἤρξαντό τινες ἐμπτύειν αὐτῷ, καὶ περικαλύπτειν αὐτοῦ τὸ πρόσωπον καὶ κολαφίζειν αὐτὸν, καὶ λέγειν αὐτῷ, Προφήτευσον· καὶ οἱ ὑπηρέται ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔλαβον.

In v. 53 συνερχονται αυτω A B N P X Γ Π unc 9 al pler, C προς αυτον syr (utr) al; codd pler vulg *conveniunt*. In v. 57 k *commentiebantur* et dicebant. In v. 58 post triduum fuld hub[1] theod wil steph sixt c ff[2] k l q; post tertium diem a d; in triduum lich: D αναστησω c suscitabo illud; a ff[2] aliud suscitabo. k excitabo. In v. 60 Τι ουδεν τι sine interpunctione; W H ουδεν; τι; a quae isti adv. te contestantur; c quare nihil respondes adversus accusationes eorum; d non respondes nihil quid isti tibi testantur; similiter sah cop syr (utr) go. In v. 61 filius benedicti (sine *Dei*) in am cav dub ept hub[*] ing for car med val corp lind harl: item a c d k l q Hil; Dei benedicti big hub[1] theod lich mt ox ken rush tol wil ff[2] Ambr. uti του θεου A K Π al 15 fere. In v. 61 virtutis *Dei* solum habent wil steph sixt (ex Luc. 22,69). In v. 65 c et coeperunt quidam irridere eum et conspuerunt in illum et velantes faciem eius colaphizabant eum et dicebant ei ministri: a et coeperunt quidam inspuere in faciem eius et colaphizabant eum; lich conspumere et inridere; tol prophetiza nobis xpe.

Impletur quod Christus praedixerat 10,33 : Filius hominis tradetur principibus sacerdotum etc.; v. 53 *et adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem;* intelligi Caipham patet ex sequentibus et serie narrationis *et convenerunt* συνέρχονται αὐτῷ et una cum eo, videlicet Iesu, conveniunt (utique apud Caipham pontificem) *sacerdotes* οἱ ἀρχιερεῖς ex familiis pontificum *et scribae et seniores*, integrum itaque synedrium. Alii quandoque vertunt : conveniunt ad eum, scil. pontificem, uti C

revera habet πρὸς αὐτόν; sed συνέρχεσθαί τινι Luc. 23,55 et Act. 1,21; 9, 39; 10,23. 45; 11,12 habet notionem una cum aliquo veniendi, quae etiam Ioan. 11,33 retineri debet; quare altera explicatio adoptanda est. Adde quod αὐτῷ etiam in v. 54 ad Iesum refertur; ergo valde inconcinnum esset, si id in v. 53 pontificem designaret. Petrus fuga capta mox ignaviae conscius et memor promissionum magnanimarum revertitur et saltem nosse vult qualem exitum res haec sit habitura; v. 54 *Petrus autem a longe secutus est eum*, non propius accedit ne eandem cum adolescente illo v. 51 sortem experiatur, *usque intro in atrium summi sacerdotis;* quomodo introductus sit, narratur Ioan. 18,15. 16; quod mox e fuga se receperit, licet attribuere cum *Theoph.* eius in Iesum amori, uti *Beda* quoque scribit: « verum in hoc maxima nobis est admiratione venerandus, quia Dominum non reliquit etiam cum timeret; quod enim timet naturae est; quod sequitur, devotionis; quod negat, obreptionis; quod pœnitet, fidei » (quod ex S. Ambrosio in Luc. lib. 10 n. 72 deprompsit; *M.* 15,1822); *et sedebat cum ministris ad ignem et calefaciebat se;* φῶς ignis; cf. 1 Mach. 12,29. Luc. 22,56; etiam apud profanos vox ea notione legitur.

Quamvis iam apud synedristas statutum esset ut Iesus moreretur, tamen formam quandam et speciem iudicii servare utile videbatur ac necessarium, etiam plebis causa quae tantum pro Iesu studium ultimis quoque diebus manifestaverat. Cum itaque legatur Deut. 17,6: in ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur, v. 55 *summi sacerdotes et omne consilium quaerebant adversus Iesum testimonium* ἐζήτουν diu multumque quaerebant et quo consilio? non ut quid verum esset deprehenderent, *sed ut eum morti traderent; nec inveniebant;* et quare nihil proficerent exponitur v. 56 *multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum et convenientia testimonia non erant* i. e. quia quamvis multi testes exsisterent, tamen ne duo quidem testimonia erant inter se aequalia; saltem duorum testium aequalia testimonia et consona requirebantur; cf. Deut. 19,15 non stabit testis unus contra aliquem; sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Ergo ut species iudicii servaretur necesse erat, ut saltem duo testimonia afferrentur inter se consona, aequalia. Hoc sensu dici potest eorum testimonia non fuisse idonea, non fuisse sufficientia; non ac si leviores protulissent accusationes quae ad mortis sententiam ferendam non essent sufficientes (ut *Cai. Calm.* volunt), sed quia testes ita inter se discrepabant, ut nulla accusatio posset sustineri forma iudicii servata; v. 57 *et quidam surgentes falsum testimonium ferebant adversus eum dicentes:* v. 58 *quoniam nos audivimus eum dicentem: ego dissolvam templum hoc manufactum et per triduum aliud non ma-*

nufactum aedificabo; accusatio haec gravissima erat quia tamquam sceleratus in templum traducebatur. Olim cum Ieremias propheta vaticinatus esset nomine Dei : dabo domum istam (templum) ut Silo, apprehenderunt eum sacerdotes et omnis populus dicens : morte moriatur (Ier. 26,6 seq.), et cum postea Stephanum morti tradere cuperent, statuerunt falsos testes qui dicerent : homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum (Act. 6,13). Et profertur accusatio ita ut templi destructio magno cum contemptu efferatur et loco vilis templi plane aliud idque sublimissimo modo dicatur ab ipso erigendum maxima arrogantia. Quam mendaciter hoc testimonium proferatur, iam monet *Viet.* addi ad invidiam et calumniam augendam *manufactum,* nec dixisse Iesum : ego dissolvam etc. (similiter *Bed. Alb.*). Contendit *Weiss* Marcum verba Iesu Ioan. 2,19) aliter intellexisse atque Ioan. 2,21 explicantur et testibus istis suam verborum interpretationem attribuisse; verum quam frivole talia affirmentur non opus erit pluribus demonstrare. Sed hi quoque testes non inter se conveniebant v. 59 *et non erat* καὶ οὐδὲ οὕτως et ne sic quidem *conveniens testimonium eorum;* in quanam re inter se dissenserint non dicitur; sed probabilius in ipsa criminis accusatione, non solum ratione temporis vel loci.

Si actio haec iudicialis confertur cum iis quae in talmude, in tractatu sanhedrin praescribuntur, statim varia deprehenduntur quae secundum normas ab ipsis rabbinis statutas a vero iudicio deficiunt. Bene quidem totum convenit synedrium. Nam illo tractatu 1,5 (*Surenhusius* IV p. 213) dicitur : tribus, pseudopropheta, sacerdos magnus non nisi 71 iudicum consessu iudicantur. Bene etiam testes admiserunt non omnes simul, sed unum post alterum, uti 3,6 p. 224 praescribitur. Id enim merito concluditur ex eo quod testimonia non reddebantur aequalia. Si enim alter testis audisset quid prior dixisset, certe idem dixisset ne ipse suum testimonium redderet inutile; erant quippe testes falsi quorum quid verum esset nihil intererat. At in causa capitali non licuit iudicia haberi nisi de die et pariter de die erat sententia dicenda, non noctu 4,1 p. 226. Porro in causa capitali exordium capi debebat ab iis quae reo favebant eumque a crimine esse immunem suadebant; proinde testes pro ipso erant conquirendi et audiendi l. c. p. 225. Verum nemo putabit synedristas id fecisse vel fuisse permissuros, ut quis pro Iesu prodiret, qui iam ante complures menses statuerant, ut si quis eum confiteretur Christum extra synagogam fieret (Ioan. 9,22). Porro testes antequam audirentur in re capitali erant severe admonendi ne quid ex coniectura aut rumore dicerent, etiamsi ex ore testis aut hominis fide digni audisse se affirmarent. Quam longe ab hac norma abfuerint satis elucet quia falsa testimonia omni studio conquirebant ut Iesum morti traderent. Illorum actio iudicialis non erat nisi larva quaedam et

simulatio turpis et mendacium foedissimum. De admonitione testium l. c. 4,5 p. 229.

Cum itaque testimonia illa tam misere conciderent, Caiphas in angustias redactus tentat ex ipso Iesu aliqua elicere quae forte carpi et crimini verti possent v. 60 *et exsurgens summus sacerdos in medium* i. e. exsurgens et procedens in medium; quod iudex subito a sede surgit et in medium, prope ad accusatum progreditur, satis iam indicii est eum haud mediocriter molestia premi tali testimoniorum exitu. Ne umbra quidem ulla criminis ad sententiam mortis ferendam haberi potuit. Quare impatientia exagitatus (*Alb.*) surgit *et interrogavit Iesum dicens : non respondes quidquam ad ea quae tibi obiiciuntur ab his?* « vult ipsum ad defensionem trahere, ut vel ex defensione et responso ipsum caperet » (*Theoph.*). Bene versio latina unam solum quaestionem effert, uti plerique recentiorum quoque; atque merito, nam ἀποκρίνεσθαί τι etiam significat ad aliquid respondere et duas statuere quaestiones non possumus, quia altera satis mire poneretur : quid isti contra te testantur? Essent quidem duae interrogationes breves omnino aptae ad animum concitatum declarandum; sed tum altera debuit esse : quanta sunt, quam gravia quae contra te testantur? id quod simplici τί exprimi nequit dici. Iesus autem sicut tacebat dum multi illi falsi testes sua effunderent commenta, ita silet interrogatus a Caipha v. 61 *ille autem tacebat et nihil respondit;* nota discrimen : *tacebat* per totum tempus accusationis; nihil *respondit* ad quaestionem tum positam; quare dici nequit duobus sententiae membris idem enuntiari. Hoc Christi silentium omnibus accusantibus et tumultuantibus dignitatis est et maiestatis.

Omnes accusationes per ipsos accusatores ad nihilum redactae sunt, ita ut ad speciem iudicii servandam ne umbra quidem causae vel criminis relicta sit. Ita ex divino consilio fieri debuit. Debuit enim Iesus a synedrio morti adiudicari propter solam rationem quia erat Messias, ut coram omnibus palam fieret Messiam esse reiectum et occisum a primoribus synagogae. Quare res ita disponuntur, ut pontifex iam nullam habeat iudicii causam nisi poneret hanc ultimam quaestionem : *rursum summus sacerdos interrogabat eum et dixit ei : tu es Christus filius (Dei) benedicti?* ὁ εὐλογητός celebratus, celebrandus, hebr. ברוך (cf. Gen. 9,26); « notissimum est Deum Hebraeis dici ברוך הוּא הקדוש » (*Schoettgen,* Horae hebr. I p. 544). Respondet Iesus et affirmat clarissime se esse Messiam et pro ea veritate attestanda subit sententiam mortis v. 62 *Iesus autem dixit illi : ego sum;* quod ut confirmet duo addit documenta unum spectans ad tempus mox futurum,

alterum ad consummationem saeculi : *et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis (Dei)*; ἡ δύναμις. potentia scil. divina, Deus omnipotens, uti apud rabbinos adhibetur הגבורה (v. g. quid respondit Moyses coram Potentia? sic dictum est ex ore Potentiae etc. : vide *Buxtorf*, Lexic. chald. p. 385) i. e. gloriam eius et potentiam experientur, videbunt eum exaltari gloria et potentem se demonstrare (*Vict.*); ipso scil. rerum cursu, propagatione evangelii, miraculis apostolorum, iudicio in urbem et populum infidelem devoluto videbunt eum regnantem potestate divina (cf. *Cai.*); « implendum praedicit oraculum descriptum in Ps. 109,1, quod quarto ante die cum in templo doceret ipsis, coram quibus ut reus ante iudices nunc adest, interpretandum proposuit » (*Patr.*). Praedicit itaque se ad summum potestatis divinae fastigium ac participationem iri elevatum (a dextris; cf. 3 Reg. 2,19) et fore ut tamquam talis illis invitis innotescat; praeterea *venientem cum nubibus coeli*, in maiestate et gloria divina veniet ad iudicium universale; uti in appellatione Filii hominis, ita in hac sententia ea de se dici affirmat quae habentur Dan. 7,13. Proinde prout in *ego sum* se tamquam Messiam declarat, ita sibi attribuens quae Ps. 109 et Dan. 7 leguntur, sibi vindicat summum rerum imperium, se designat eum cui Deus dat potestatem et honorem et regnum, et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna quae non auferetur et regnum eius quod non corrumpetur (Dan. 7,14; ceterum vide ad Matth. 26,64).

Caiphas hypocrita qui iam diu antea mortem Iesu decreverat, quia sibi et primoribus populi expediret ne scil. ipsi a sede et auctoritate deiicerentur (Ioan. 11,50), nunc simulat zelum gloriae Dei et indignationem non vulgarem de iniuria Deo illata v. 63 *summus autem sacerdos scindens vestimenta sua*, τοὺς χιτῶνας nobiliores enim duas tunicas interiores gerebant; habebant praeter כְּתֹנֶת (χιτών) etiam מְעִיל (cf. Iud. 14,12. Is. 3,23. Prov. 31,24); scindere vestimenta[1] signum erat doloris de re aliqua maxime deploranda; vide Num. 14,6. Ios. 7,6. Iud. 11,35. 1 Reg. 4,12. 2 Reg. 1,11 etc.; fiebat quoque in signum indignationis et detestationis audita blasphemia cf. Is. 36,22; 37,1. 1 Mach. 2,14; 4,39; *ait : quid adhuc desideramus testes?* cum caerimonia illa luctum et dolorem de iniuria Dei simularet, verbis tamen e contrario quid vere senserit manifestat; ipsa enim exclamatione declarat gaudium quod ea Iesu confessione ab omni angustia liberatus sit in quam testium contradictionibus inciderat v. 64 *audistis*

1. Rabbini quoque accurate definiunt, quomodo et in quantum iudices debeant vestes scindere et quomodo eas liceat iterum consuere et qua ratione id fieri non liceat; cf. *Surenhusius* IV p. 242.

blasphemiam; quid vobis videtur? qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis; en impletur quod Iesus dixerat 10,33 : et damnabunt eum morte; *omnes* qui aderant; nam Ioseph decurio, βουλευτής, non consenserat consilio et actibus (τῇ πράξει) eorum; vel si ipse quoque interfuit, modus loquendi adhibetur ratione quadam generali qua *omnes* dicimus longe plerosque et fere omnes (vide Luc. 23,51).

Summa barbarie et contra omne fas incipiunt variis eum ignominiarum et vexationum generibus onerare v. 65 *et coeperunt quidam*, i. e. ex synedristis (cf. *Salmeron, Schegg, Schanz*) ita enim τινές intelligendi sunt scil. aliqui ex illis omnibus, de quibus in v. 64 et quia isti *quidam* distinguuntur a ministris, de quibus postmodum mentio fit; quare non iam isti τινές de servis explicari possunt (ut explicare volunt *Theoph. Patr. Fil.*) *conspuere eum*, quanta haec sit ignominia, etiam collige ex Num. 12,14 et Iob 30,10, *et velare faciem eius et colaphis eum caedere* κολαφίζειν, aliquem manu lata, palma, in faciem percutere *et dicere ei : prophetiza;* quid per irrisionem eum iubeant vaticinari, patet ex eo quod velata facie eum percutiunt; scil. quod habetur Matth. 26,68 : quis est qui te percussit (Luc. 22,64)? Cum a populo habitus sit et appellatus propheta (ita in die sollemnis in urbem ingressus Matth. 21,11), ei tamquam prophetae rabie quadam belluina (*Ians.*) illudunt. Iam impleri coeptum est quod praedictum erat Is. 50,6 : corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. — Barbariem principum et dominorum servi imitari non cunctantur *et ministri alapis eum caedebant,* ἔλαβον eum *accipiebant* alapis, cum illis traderetur ut eum usque ad diei ortum custodirent; ῥάπισμα alapa cf. Ioan. 18,22; 19,3; alias ea voce ictus virgarum denotantur; quam male habitus sit ea nocte vide Matth. 26,67. Luc. 22,63-65.

f) Petri negatio triplex 14,66-72.

14,66. Et quum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis. 67. Et quum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait : Et tu cum Iesu Nazareno eras. 68. At ille negavit, dicens : Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit.

69. Rursus autem quum vidisset illum ancilla, coepit dicere circumstantibus : Quia hic ex illis est. 70. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui

14,66. Καὶ ὄντος τοῦ Πέτρου κάτω ἐν τῇ αὐλῇ, ἔρχεται μία τῶν παιδισκῶν τοῦ ἀρχιερέως, 67. καὶ ἰδοῦσα τὸν Πέτρον θερμαινόμενον ἐμβλέψασα αὐτῷ λέγει, Καὶ σὺ μετὰ τοῦ Ναζαρηνοῦ ἦσθα τοῦ Ἰησοῦ. 68. ὁ δὲ ἠρνήσατο λέγων, Οὔτε οἶδα, οὔτε ἐπίσταμαι σὺ τί λέγεις. καὶ ἐξῆλθεν ἔξω εἰς τὸ προαύλιον· [καὶ ἀλέκτωρ ἐφώνησεν.] 69. Καὶ ἡ παιδίσκη ἰδοῦσα αὐτὸν εἶπεν τοῖς παρεστηκόσιν, Ὅτι οὗτος ἐξ αὐτῶν ἐστίν. 70. ὁ δὲ πάλιν ἠρνεῖτο. Καὶ μετὰ μικρὸν πάλιν οἱ παρεστῶτες ἔλεγον τῷ Πέ-

adstabant, dicebant Petro : Vere ex illis es : nam et Galilaeus es. 71. Ille autem coepit anathematizare, et iurare : Quia nescio hominem istum, quem dicitis. 72. Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Iesus : Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et coepit flere.

τρῳ, Ἀληθῶς ἐξ αὐτῶν εἶ· καὶ γὰρ Γαλιλαῖος εἶ. 71. ὁ δὲ ἤρξατο ἀναθεματίζειν καὶ ὀμνύναι, Ὅτι οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον τοῦτον, ὃν λέγετε. 72. καὶ εὐθὺς ἐκ δευτέρου ἀλέκτωρ ἐφώνησεν. Καὶ ἀνεμνήσθη ὁ Πέτρος τὸ ῥῆμα ὡς εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Ὅτι πρὶν ἀλέκτορα δὶς φωνῆσαι, τρίς με ἀπαρνήσῃ, καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιεν.

In v. 67 μετα του ναζ. ησθα του τω ℵ B C L Ti W H. In v. 68 ου τι B C L N U Δ aliq minusc Ti W H; omittitur και αλεκτωρ εφ. in ℵ B L 17 ev c cop; sed cum in longe pler codd maiusc et in al fere omn habeatur et in versionibus et insuper in v. 72 supponi videatur, retinendum erit cum Ti. In v. 69 παλιν non habetur in B M 50. f sah cop aeth; ea voce omissa explicatio redditur facilior; c *altera* ancilla; k *illa* ancilla; B ειπεν, similiter sah cop aeth; rell ηρξατο λεγειν. In v. 70 add και η λαλια σε ομοιαζει (ℵ δηλοι) A N Ξ Γ Δ Π unc 8 al pler q go syr (utr) arm aeth, id quod ex Matth fluxit. In v. 72 omittitur ευθυς in A C N Ξ Γ Δ Π unc 7 al pler sah cop go; omittitur εκ δευτερου in ℵ L; uti *iterum* deest in c med. In fine D και ηρξατο κλαιειν, uti etiam it vulg sah syr (utr) arm go (aeth et flevit), quae lectio utique facilior est.

Quemadmodum in antecedentibus sedulo ostendit evangelista esse impleta vaticinia quae Iesus edidit de se (10,33 cf. 14,53. 64) et de scandalo discipulorum (14,27. 50), ita nunc narrat quomodo Iesu praedictio de trina Petri negatione v. 30 minime exitu caruerit. Id cum referre intenderit, iam supra v. 54 Petrum usque in atrium pontificis ingressum esse scripsit. Ad quod adnectit v. 66 *et cum esset Petrus in atrio deorsum* « Matthaeus : foris in atrio; atrium enim et *foris* erat, si ad interiorem aedium partem spectes, et *deorsum*, si ad superiorem ad quam per scalas ascensus patebat » (*Patr.*) vel ex atrio in conclave, in quo synedristae cum Iesu erant, aliquantum ascendebatur, *venit una ex ancillis summi sacerdotis*, censet *Patr.* eam fuisse illam ipsam ostiariam quae Petrum ad ostium foris stantem in atrium introduxerat; apud omnes evangelistas negationis initium a muliere efficitur v. 67 *et cum vidisset Petrum calefacientem se aspiciens illum* ἐμβλέψασα αὐτῷ i. e. acriter eum intuita, oculis in eum defigens, *ait : et tu cum Iesu Nazareno eras*. Petrus ita subito interpellatus in medio atrii circumsedentibus aliis (Luc. 22,35) quantum pro se periculum exsistere posset extemplo apprehendit; quare id quod ancilla innuit omnino a se avertere studet v. 68 *at negavit ille dicens : neque scio neque novi quid dicas* nullo modo intelligo quid verba tua sibi velint; « ecce columna firmissima ad unius aurae impulsum tota contremuit! ubi est illa promittentis audacia et de se plurimum praefidentis » (*S. Aug.* tract. 113 in Ioan. *M.* 35,1933)?

Petrus merito timens ne alii audito ancillae sermone sibi crearent molestiam *exiit foras ante atrium* ἔξω εἰς τὸ προαύλιον foras in vestibulum, εἰς τὸν πυλῶνα Matth. 26,71; scil. ingredientibus obvium erat ad ianuam vestibulum, προαύλιον pars aedium ante aulam; vide ad Matth. 26,71; *et gallus cantavit;* uti in praedictione de duplici galli cantu mentio facta est, ita in narratione accurate assignatur bis gallum cecinisse; cf. v. 72. Adeo accurate Marcum referre ait *Vict.* quia id a Petro didicerit; galli cantu commemorato eo magis manifestari Petri infirmitatem et declarari quanto timore exanimatus fuerit. Ita enim animus eius praeoccupatus erat, ut galli cantus nullatenus ei verba Domini in mentem revocaret. Neque aedibus excessit; voluit scil. videre finem (Matth. 26,58). Cum toto habitu et vultu differret ab aliis, iterum interpellatur ab alia ancilla quae eo ipso quod novit eum non esse ex servis et ministris pontificis suspicari poterat eum esse discipulum Iesu v. 69 *rursus autem cum vidisset illum ancilla coepit dicere circumstantibus* καὶ ἡ παιδίσκη, ex Matth. 26,71 erat *alia* ancilla, et ita narratio Marci quoque intelligi debet; neque obstat articulus (propter quem plerique recentiorum, etiam *Patr.*, uti olim iam *Theoph.*, eam eandem esse putant, de qua v. 66); nam articulo aeque bene solum significatur ancilla[1] quae tum prope aderat (cf. Ioan. 3,5). Neque obiici potest dici πάλιν. Nam πάλιν saltem dubium est (vide lect. var.); neque si retinetur, ita oportet explicari ut iterum ancilla (eadem) locuta sit, verum debet referri ad *dicere;* iterum scil. dictum est de Petro quod antea iam dictum fuerat. Atque hoc modo debere πάλιν coniungi patet ex v. 70, ubi manifestum est πάλιν spectare ad ea quae iterum dicuntur, non ad eos qui astabant quia hos antea locutos esse non dicitur.

Dicit igitur alia ancilla : *quia hic ex illis est;* v. 70 *at ille iterum negavit; et post pusillum rursus qui astabant dicebant Petro : vere ex illis es, nam et Galilaeus es;* nam loquela eum manifestum fecit, uti Matth. 26,73 dicitur. Quamvis itaque Marcus non narraverit nisi Petrum negasse, cum ancilla diceret circumstantibus, tamen ex eo quod eum tamquam Galilaeum esse agnitum refert sequitur Petrum colloquia miscuisse cum illis vel pluribus se ab illa accusatione defendisse. Rem breviter narrat Marcus in id solum intentus ut ter Petrum negasse evadat manifestum; v. 71 *ille autem coepit anathematizare,* cum negatio simplex iam non sufficeret illique instarent et alia quoque afferrent

1. Fortasse modus loquendi ἡ παιδίσκη ad Petri narrationem referendus est, qui scil. dum tristem illum eventum commemoraret τὴν παιδίσκην cuius voce tum perterrefactus est quasi mente cernens ita locutus sit. Ita enim in eo quod ipsi experti sunt homines loqui solent determinate.

quibus Petrum esse discipulum sibi constare assererent, Petrus incipit sibi imprecari dira, si scil. mentiretur, diris sese devovere; eiusmodi exsecrationes et imprecationes saepius innuuntur verbis illis : haec mihi Deus faciat et haec addat (1 Reg. 3,17; 14,44 etc.) *et iurare* omnia igitur quibus homines uti solent ad sermonem confirmandum in subsidium vocat; tantopere perterritus est vehementissime desiderans ne agnoscatur; immo cum contemptu quoque de Domino loquitur : *quia nescio hominem istum quem dicitis;* en quam inania sunt optima hominis consilia et proposita, si suis nimium confidit viribus nec Dei opem efflagitat!

Praedictio Iesu est impleta; Petrus ter negavit, v. 72 *et statim gallus iterum cantavit; et recordatus est Petrus verbi quod dixerat ei Iesus : priusquam gallus cantet bis, ter me negabis;* quomodo maxima Domini misericordia Petrus ad peccati cognitionem et poenitentiam adductus sit, narrat Lucas : et conversus Dominus respexit Petrum (22, 61); *et coepit flere,* « ut flendo dilueret maculas quas negando contraxit » (*Alb.*) vel ut Lucas habet : egressus foras flevit amare, « ut amaritudo referatur ad cordis compunctionem, fletus autem ad commissi delicti verecundam recognitionem, et egressus ad operis mali et pravae societatis derelictionem » (*Alb.*). Quod communiter legitur καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιεν (vide lect. var.), varie explicatur; probabilior et apud recentiores plerumque recepta interpretatio est ἐπιβαλὼν (τὸν νοῦν, quae vox alias quoque apud profanos omittitur) : et cum advertisset flebat, cum id recogitaret flebat (cf. *Wilke,* Lexicon graeco-lat. ed. Loch s. v. *Bisp. Schanz* aliique, uti *Wetstein, Kypke, de Wette, Meyer, Bornemann* Studien und Kritiken 1843 p. 139, *Volkmar, Keil, Weiss;* etiam *Buttmann* l. c. p. 127 dicit grammatice commendari quam maxime eam interpretationem, ut sit idem quod ἐννοήσας, qua voce gradatio quaedam habeatur ad ἀνεμνήσθη; *Cook*).

Ex multis quae feruntur explicationibus has referre sufficiat : *Theoph.* duas proponit : ἐπικαλυψάμενος τὴν κεφαλὴν ἢ ἀντὶ τοῦ ἀρξάμενος μετὰ σφοδρότητος. Priorem interpretationem : veste capiti iniecta, vel capite obvoluto flebat adoptarunt Calovius, Bos, Wolf, Krebs, Paulus, Fritzsche, Lindner (Studien und Kritiken 1862 p. 562 et 1874 p. 547), etiam Lamy, Calmet, aliique quos recensent Schanz et Weiss. Sed hac interpretatione supplendum est id quod neque contextu neque usu verbi exigitur vel suaderi potest. Petrum prae pudore et confusione caput pallio obvolvisse utique valde credibile est; at inde nondum sequitur vocem posse trahi ad notionem inusitatam. Alteram ἀρξάμενος etiam *Euth.* habet (ad Matth.); eam aliquae versiones exhibent et lectio illa quam D habet (cf. lect. var.); explicant ἐπιβαλὼν adiiciens, addens : unde praeterea flevit (Grotius, Ians.); Erasmus : « erumpens, sive subito flevit, aut prorupit in fletum; siquidem ἐπιβάλλειν inter varias significationes interdum declarat *aggredi* sive *impetum sumere* ad aliquid agendum, hinc ἐπιβολὴ pro *impetu;* hoc igi-

tur verbo Marcus exprimere voluit vehementem ac subitam Petri mutationem » et Vatablus : prorupit in fletum. Frequentius : sese proripiens vel cum se foras proiecisset; ita Stephanus (vide Critic. sacr. VI Marc. p. 170), Rosenmüller, Lange, Schegg p. 304 qui similem notionem ex 4,37 derivat, Fillion. Cum ἐπιβάλλειν saepius usurpetur notione excipiendi alterum colloquio, Ewald vertit : galli cantum excipiens flevit, fletu excepit galli cantum, ita ut fletu suo quasi responderit ad galli cantum; quae acceptio et subtilior est et usum vocis ad aliud genus transfert. Pariter arbitrarium est explicare cum Hammond : oculis (in Iesum) coniectis flebat, quam interpretationem iam Clericus reiecit (cf. Novum Test... illustravit Clericus, editio secunda, Francofurti 1714 p. 266, quo relatas invenies quoque explicationes Casauboni, Salmasii; etiam plures dabit Synopsis Criticorum vol. IV Ultraiecti 1686 p. 823).

Cur Deus Petrum ita cadere permiserit, variae rationes afferuntur. Et *S. Aug.* quidem ita aliquando explicuit : « et audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant qui iam sibi placendo ceciderant; salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quam sibi placuit quando praesumpsit » (Civ. D. 14,13; *M.* 41, 422). Similiter dicit *S. Ambrosius* eum esse mulctatum quia dixerit imprudenter praesumens se animam ponere pro Iesu, quod non humanae infirmitatis, sed divinae sit potestatis; et : nihil mihi nocuit quod negavit Petrus; profuit quod emendavit; didici cavere alloquia perfidorum; haec scripta sunt ut sciamus neminem iactare se debere (in Luc. lib. 10 n. 74. 89. 91 etc. *M.* 15,1822 seq.). Alii efferunt, ut tamquam pastor Ecclesiae in sua culpa disceret quomodo aliorum deberet misereri (*S. Leo* serm. 9 de pass. *Greg.* hom. 21 in evang. n. 4). Atque *Vict.* monet sanctorum peccata in s. litteris referri ut eorum in poenitentia evadamus imitatores; hoc enim remedium poenitentiae a Deo benignissimo nobis esse concessum idque referri propter eos qui negent poenitentiam et idem adnotat *Theoph.* contra Novatianos : ecce et Petrus suscepto immaculato corpore et sanguine cum negasset propter poenitentiam susceptus est; erubescant Novatiani etc., et antea advertit : permisit autem Deus istud singulari dispensatione fieri, ut ne extolleretur, et ad hoc ut compateretur labentibus a seipso eruditus quanta sit humana imbecillitas. Docemur itaque, ut *Alb.* dicit, quod apostolus inculcat « ut non simus confidentes in nobis; noli altum sapere sed time! si enim ipse quem Deus principem constituit et Ecclesiae fundamentum sic ad vocem ancillae negavit, quid tu facturus eris si te similis inveniat tentatio »? Plura de ea re vide apud *Salmeron* t. 10 tract. 23 et praesertim *Sylv.* lib. 8 cap. 5 qu. 10; agit quoque *Suarez* in 3 p. qu. 46 disp. 35 sect. 1 n. 10. Alia quae quaeri solent de negatione Petri vide in Comment. in Matth. II p. 481 seq. De ordine, loco negationum et quomodo quattuor narrationes a variis sint inter se conciliatae scripsit nuper *Azibert*, Revue biblique I p. 282-292.

g) Iesus coram Pilato 15,1-15.

15,1. Et confestim, mane consilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus, et scribis, et universo concilio, vincientes Iesum, duxerunt, et tradiderunt Pilato.

2. Et interrogavit eum Pilatus : Tu es Rex Iudaeorum? At ille respondens, ait illi : Tu dicis.

3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. 4. Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens : Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. 5. Iesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus.

6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. 7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium; 8. Et quum ascendisset turba, coepit rogare, sicut semper faciebat illis. 9. Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Iudaeorum? 10. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes.

11. Pontifices autem concitaverunt urbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. 12. Pilatus autem iterum respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Iudaeorum? 13. At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum. 14. Pilatus vero dicebat illis : Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant : Crucifige eum.

15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Iesum flagellis caesum, ut crucifigeretur.

15,1. Καὶ εὐθὺς πρωὶ συμβούλιον ποιήσαντες οἱ ἀρχιερεῖς μετὰ τῶν πρεσβυτέρων καὶ γραμματέων, καὶ ὅλον τὸ συνέδριον δήσαντες τὸν Ἰησοῦν ἀπήνεγκαν καὶ παρέδωκαν τῷ Πειλάτῳ. 2. καὶ ἐπηρώτησεν αὐτὸν ὁ Πειλᾶτος, Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς αὐτῷ λέγει, Σὺ λέγεις. 3. Καὶ κατηγόρουν αὐτοῦ οἱ ἀρχιερεῖς πολλά. 4. ὁ δὲ Πειλᾶτος πάλιν ἐπηρώτα αὐτὸν λέγων, Οὐκ ἀποκρίνῃ οὐδέν; ἴδε πόσα σου κατηγοροῦσιν. 5. ὁ δὲ Ἰησοῦς οὐκέτι οὐδὲν ἀπεκρίθη, ὥστε θαυμάζειν τὸν Πειλᾶτον.

6. Κατὰ δὲ ἑορτὴν ἀπέλυεν αὐτοῖς ἕνα δέσμιον, ὃν παρῃτοῦντο· 7. ἦν δὲ ὁ λεγόμενος Βαραββᾶς μετὰ τῶν στασιαστῶν δεδεμένος, οἵτινες ἐν τῇ στάσει φόνον πεποιήκεισαν. 8. καὶ ἀναβὰς ὁ ὄχλος ἤρξατο αἰτεῖσθαι, καθὼς ἐποίει αὐτοῖς. 9. ὁ δὲ Πειλᾶτος ἀπεκρίθη αὐτοῖς λέγων, Θέλετε ἀπολύσω ὑμῖν τὸν βασιλέα τῶν Ἰουδαίων; 10. ἐγίνωσκεν γὰρ ὅτι διὰ φθόνον παραδεδώκεισαν αὐτὸν [οἱ ἀρχιερεῖς]. 11. οἱ δὲ ἀρχιερεῖς ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, ἵνα μᾶλλον τὸν Βαραββᾶν ἀπολύσῃ αὐτοῖς. 12. ὁ δὲ Πειλᾶτος πάλιν ἀποκριθεὶς ἔλεγεν αὐτοῖς, Τί οὖν ποιήσω, λέγετε, τὸν βασιλέα τῶν Ἰουδαίων; 13. οἱ δὲ πάλιν ἔκραξαν, Σταύρωσον αὐτόν. 14. ὁ δὲ Πειλᾶτος ἔλεγεν αὐτοῖς, Τί γὰρ ἐποίησεν κακόν; οἱ δὲ περισσῶς ἔκραξαν, Σταύρωσον αὐτόν.

15. Ὁ δὲ Πειλᾶτος, βουλόμενος τῷ ὄχλῳ τὸ ἱκανὸν ποιεῖν, ἀπέλυσεν αὐτοῖς τὸν Βαραββᾶν· παρέδωκεν δὲ τὸν Ἰησοῦν φραγελλώσας ἵνα σταυρωθῇ.

In v. 1 ℵ C L ετοιμασαντες Ti; add D εις την αυλην, (perduxerunt) in atrium a c q, ff k in praetorium; πειλατω ℵ A B D; rush pontio pylato. In v. 3 add N U Δ minusc. mu αυτος δε ουδεν απεκρινατο, pariter a c lich ken : ipse vero nihil respondit; item syr (p) arm aeth Or; cf. Matth 27,12. Luc 23,9. In v. 4 καταμαρτυρουσιν A E G H K M N S U V X Γ Δ Π al pler sah syr (utr) arm go; κατηγορουσιν ℵ B C D 1. 48 ev it vulg Or (interpr); dub lich *rides*. In v. 6 aliq minusc ειωθει ο ηγεμων απολυειν; item a c ff² l vulg solebat; k consueverat remittere. In v. 7 στασιαστων ℵ B C D K 1. 13. 69 al 10 fere; rell συστας.; *fecerant* k hub med ox. In v. 8 αναβας ℵ B D it vulg sah cop go; rell αναβοησας; item syr (utr) arm; a accensa tota turba; αει *semper* non habetur in ℵ B Δ sah cop syr (sch) aeth c k; illis *per diem sollemnem ut dimitteret unum vinctum* lich ken. In v. 10 B 1. 13 ev 47 ev cop omittunt αρχιερεις; tol sciebat *autem*. In v. 11 D επεισαν; item per-

suaserunt a c d ff² k; suaserunt a d; sah arm. In v. 12 θελετε ποιησω A D N X Γ Π al pler it vulg syr (utr) arm go aeth Ti; non habent θελετε ℵ B C Δ aliq minusc sah cop W H; ον λεγετε ℵ C N X Γ ΔΠ unc 8 al pler cop syr (utr) aeth go; B solum λεγετε; non habent ον λεγ. A D aliq minusc it vulg sah arm; lich ut faciam illi quem dicitis.

Feria sexta mane iterum congregatos esse synedristas omnes tres synoptici consentiunt (Matth. 27,1. Luc. 22,66). Habitum esse consilium in domo Caiphae, uti nocte, concludendum est quia Ioan. 18,28 narratur Iesum a Caipha (ἀπὸ τοῦ K.) adductum esse in praetorium. Duo in illo concilio acta sunt. Unum refert Lucas, Iesum esse denuo interrogatum et cum se Christum et Filium Dei esset professus denuo mortis reum pronuntiatum. Cur acta agunt? forte, ut iudicium nocte habitum quod irritum censeri poterat confirmantes speciem iustitiae servare viderentur. Alterum indicatur Matth. 27,1 : ut eum morti traderent; scil. ut deliberarent et statuerent quali accusatione apud Pilatum esset utendum, ut Iesum crucifigeret. Perspexerunt enim Pilatum accusationem blasphemiae minime esse curaturum. Eos autem voluisse Iesum crucifigi patet ex clamore et postulatione plebis quam concitaverant. Cupiebant enim summopere, ut mortis genere quam maxime ignominioso et servili et crudelissimo auferretur. Nam et suum in Iesum odium explere volebant et omnem Iesu apud populum auctoritatem honoremque funditus evertere et delere. Hac sua insania sapientissimo Dei consilio inscii serviebant. Debuit enim Iesus pro nobis fieri maledictum, ut nos redimeret de maledicto; et maledictus omnis qui pendet in ligno (Gal. 3,13); v. 1 *et confestim mane consilium facientes* ποιήσαντες deliberatione facta; quale consilium accusandi Iesum ceperint, elucet ex v. 2 ex interrogatione Pilati; cum enim Iesus se Messiam declararet, illi eam Messiae notionem quam ipsi quidem ardentissime fovebant sed quam Iesus semper repudiaverat in medium proferunt et eum apud praesidem accusant quasi regiam affectaret dignitatem et rebellionem in Romanos moveret; *summi sacerdotes cum senioribus, scribis et universo concilio* (καὶ ὅλον τὸ συνέδριον) effert Marcus integrum synedrium, summum Iudaeorum magistratum, in crimine contra Iesum nihil non omisisse, *vincientes Iesum duxerunt et tradiderunt Pilato;* ita fit quod Iesus praedixerat 10,34 : et tradent eum gentibus. Erat Pontius Pilatus quintus Iudaeae procurator, ex quo haec regio anno 6 p. Ch. pulso in exsilium Archelao Herodis regis filio Syriae provinciae a Caesare Augusto adiecta erat. Successerat Pilatus in procurationem Valerio Grato anno 25 p. Ch. eamque tenuit usque ad annum 36. Iudaei dominationem romanam odio habebant; imprimis autem Pontium Pilatum detestabantur propter eius contemptum rerum iudaicarum, saevum imperium, crudelitatem, avaritiam, supplicia quae saepissime infligebat nullo iudicio prae-

misso [1] et caedes et continuam et intolerabilem saevitiam. Inde concludere licet quanto in Iesum odio flagraverint, cum eum ad talem procuratorem quem abominabantur deferrent et ab eo crucifixionem eius efflagitarent.

Quale crimen Iesu apud Pilatum imputaverint colligitur ex verbis Pilati v. 2 *et interrogavit eum Pilatus : tu es rex Iudaeorum? At ille respondens ait illi : tu dicis;* affirmat Iesus se vere esse regem; sed eum simul explicasse quale esset suum regnum, quo nihil damni inferretur imperio romano, ita ut ad satisfactionem Pilati accusatio plane destrueretur, patet ex modo quo Pilatus talem regem Iudaeorum dimittere liberum studet v. 9. 12. 14 eiusque ab omni crimine immunitatem palam enuntiat. Quare brevissima Marci narratio sufficienter ex sequentibus illustratur. Quomodo Iesus naturam sui regni procuratori exposuerit narratur Ioan. 18,33-38. Atque Pilatus eo facilius verbis eius fidem adhibuit iisque acquievit quia eum minime latebat Iudaeos aegre ferre dominationem romanam eamque velle excutere; unde statim perspexit illam accusationem non niti veritate, sed proferri ob causam longe diversam; eos enim qui contra Romanos quidquam moliebantur tantum abfuisse sciebat ut accusarent Iudaei ut omni ratione eos foverent et celebrarent. Qua de re vide apud Iosephum, Antiq. 18,1. 1. 6; et ipse Pilatus iam expertus erat non semel quanta contumacia Iudaei obsisterent mandatis suis (cf. Antiq. 18,3. 1. 2; Bell. iud. 2,9. 2 seq.). Cum igitur prima accusatione nihil esset effectum, alia afferebant v. 3 *et accusabant eum summi sacerdotes in multis;* πολλά posset per se intelligi aut : *multa* ei crimina obiiciebant, aut *multum* et vehementer eum accusabant. Esse prius explicandum patet tum ex rei natura; cum enim prima accusatio concidisset aliae debebant proferri; tum patet ex quaestione Pilati v. 4 πόσα etc.; quaenam protulerint, discimus Luc. 23,2-5; v. 4 *Pilatus autem rursum interrogavit eum dicens : non respondes quidquam? vide, in quantis te accusant;* v. 5 *Iesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus;* procuratori quantum satis erat causam Iesus exposuit; ille iam perspexit falso et mendaciter Iesum accusari neque repetitis accusationibus a sententia dimovetur, quia varia tentat ut Iesum libere dimittat; erat itaque dignitatis Iesu iam nihil respondere; mirabatur autem Pilatus quia cum posset per defensionem abstergere calumnias nihil diceret, sed sustineret fortiter calumnias; miratur eius celsitudinem (*Vict. Theoph.*).

1. Philo, de legatione ad Caium § 38 accusat in eo τὰς δωροδοκίας, τὰς ὕβρεις, τὰς ἁρπαγὰς, τὰς αἰκίας, τὰς ἐπηρείας, τοὺς ἀκρίτους καὶ ἐπαλλήλους φόνους, τὴν ἀνήνυτον καὶ ἀργαλεωτάτην ὠμότητα. Vide *Schürer*, Geschichte des jüd. Volkes im Zeitalter Christi I p. 409. Etiam ab Agrippa I in epistola apud Philonem Pilatus describitur τὴν φύσιν ἀκαμπὴς καὶ μετὰ τοῦ αὐθάδους ἀμείλικτος.

Marcus breviter narrationem expedit. Id unum ostendere vult Iesum innocentem postulante plebe a procuratore esse condemnatum. Quantopere procuratori persuasum fuerit Iesum falso accusari ostenditur variis illis quibus eum odio primorum eripere tentavit. Non audet eum pro sua potestate liberum dimittere. Timet furorem synedristarum, variorum scelerum conscius sibi, quorum ne accusetur apud Caesarem, veretur principes nimium offendere. Opportuna se ei offert occasio rem deferendi ad populum; quodsi populus Iesum liberat, ipse liberatur ab invidia primorum. Iam eam occasionem qua prudenter et callide uti voluit explicat Marcus v. 6 *per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis quemcumque petissent;* κατ' ἑορτήν (cf. 14,49) quovis festo scil. paschatis[1]; de hoc usu nos docent sola evangelia. Consuetudo haec referri videtur ad memoriam liberationis ex oppressione aegyptiaca (*Alb.*); esse probabilius veterem Iudaeorum morem, vide Comment. Matth. II p. 497. Quo certius populus Iesum ut liberaretur peteret, hominem insigniter facinorosum simul cum Iesu adducere statuit v. 7 *erat autem qui dicebatur Barabbas* ὁ λεγόμενος i. e. nomine Barabbas, eo nomine notus; nomen בר אבא etiam apud talmudistas sat est usitatum; *qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium* οἵτινες quippe qui fecerant; ἐν τῇ στάσει quae seditio fuerit nescimus; aliqui cogitarunt de seditione orta propter aquaeductum quem Pilatus sacrarum pecuniarum impensis facere volebat (Antiq. 18,3. 2), cum qua seditione etiam id coniungunt quod Luc. 13,1 habetur.

Secundum hanc narrationem populus incipit rogare v. 8 *et cum ascendisset turba* scil. ad locum ante palatium Pilati *coepit rogare* ut faceret, *sicut semper faciebat illis;* haec non, ut *Weiss* vult, contradicunt iis quae Matth. 27,17 habentur; nam si ibi narratur : congregatis illis dixit Pilatus : quem vultis dimittam vobis, non negatur populum ante rogasse ut sibi pro more fieret. Immo haec Marci narratio optime pandit quomodo subito turbae appareant coram palatio Pilati, cum eousque etiam apud Matthaeum de solis synedristis qui per ministros Iesum adduxerunt sermo fuerit. Turbae itaque pro more tempore statuto conveniunt, ut unum ad diem festum in libertatem vindicent. Ea itaque occasione magnus fit populi concursus. Etiam apud Lucam tum demum plebis fit mentio, cum res iam in eo est ut Iesus simul cum Barabba populo sistatur (23,13 seq.). Ioannes quidem Pilatum loquentem facit : est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in pascha (18,39), neque tamen eo modo probatur ipsum procuratorem, non plebem, rem proposuisse. Nam eo loco manifestum est Ioannem

1. Intelligi pascha patet ex ratione temporis et ex Ioan. 18,39.

pluribus omissis breviter narrare. Debuit tamen, ut intelligi posset eius quaestio de Iesu dimittendo et postulatio plebis, consuetudinem illam commemorare. Ceterum cur non etiam Pilatus dicere potuisset, postquam populus rogare coepit : cum itaque vobis sit consuetudo, ut unum dimittam etc.? Proin immerito Marcum aliis contradicere asseritur. Ea igitur opportunitate utitur Pilatus v. 9 *Pilatus autem respondit eis et dixit : vultis, dimittam vobis regem Iudaeorum?* certe non ironice dicit regem Iudaeorum, sed eum qui tamquam talis apud ipsum accusatus sit; sensus itaque quaestionis est idem qui fertur Matth. 27,17 : dimittam Iesum qui dicitur Christus? Messias enim ut rex Iudaeorum exspectabatur. Et cur Iesum a populo peti velit, ratio affertur v. 10 *sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes :* eum latere non potuit quanta auctoritate eousque Iesus apud populum valuisset; dein ex ipso crimine Iesu obiecto quod falsum esse deprehendit (et si verum fuisset, novit synedristas nullo modo eum fuisse delaturos) colligere debuit actores et accusatores propelli invidia et odio in eum, qui tanti a populo aestimaretur et qui in suis reprehensionibus minime pepercisset primatibus. Nam magistratum romanum non plane ignorasse quaedam quae ad Iesum spectarent, supponi potest pro ordinaria cura et vigilantia qua incolae difficiles et morosi, quales Iudaei erant, observari solent. Praeterea ex tempore Iudae galilaei exsistebat secta hominum, qui, ut Iosephus ait, libertatem sic amant ut eam mordicus tueantur et qui varias mortes subire cognatorumque supplicia et amicorum nihili faciunt, dummodo hominum neminem dominum appellent (Antiq. 18,1. 6 ; Bell. iud. 2,8. 1). Nominabantur hi zelotae. Cum itaque adessent qui iugum romanum excutere vellent, magistratum romanum singulari quoque cura plebi invigilasse merito putandum erit. Quare haud improbabile est procuratorem rerum aliquarum de Iesu notitiam habuisse.

Quae opportunitas data sit pontificibus populum concitandi ad petendum Barabbam et ad crucem pro Iesu postulandam, nobis refertur Matth. 27,19; cum enim Pilatus populum interrogasset quem vellent Barabbam an Iesum, nuntium ei misit uxor eius; v. 11 *pontifices autem concitaverunt turbam ut magis Barabbam dimitteret eis,* Iesum vero perderent postulantes ut crucifigeretur, quemadmodum ex inconditis clamoribus v. 13. 14 sequitur. Cum turbae peterent Barabbam, Pilatus poterat opinari potius illum postulari quia ille ob homicidium poenae capitali esset obnoxius, dum Iesum utpote nullius criminis convictum alioquin liberandum esse existimarent. Quare verisimile est eum putasse turbam pro Iesu contra synedristas suffragia laturam v. 12 *Pilatus autem respondens ait illis : quid ergo vultis faciam regi Iudaeorum?* ur-

get : quid faciam, dicite, regi Iudaeorum (vide lect. var.)? lectio in B servata videtur genuina, cur ὃν sit insertum facile patet; at ὃν λέγετε iam propter v. 9 repudiandum est; v. 13 *at illi iterum clamaverunt* πάλιν propter v. 11, ubi clamore virum homicidam sibi donari petebant (Act. 3,14); prius autem solum Barabbam eos postulasse, etiam Matth. 27,21 narratur; quare hic quoque ex *iterum* colligi nequit (cf. 14,70) eos statim prima vice etiam simul cum Barabba crucifixionem Iesu postulasse; *crucifige eum!* en in tantum pontifices plebi mobili imposuerunt. Pilatum id minime exspectasse, verum indignatione quadam et obstupefactione esse commotum ipsius verba produnt v. 14 *Pilatus vero dicebat illis : quid enim mali fecit? enim* denotat indignationem hic quam concipit de re sibi inopinanti quae accidit : cur id vultis, quid enim fecit mali? τί-γαρ-κακόν; ipsa collocatione habetur emphasis qua declarat suam admirationem, si quidquam ei impingere possint mali; *at illi magis clamabant,* ut clamore vincerent qui de veritate nihil obiicere habebant (*Alb.*) *crucifige eum!* Iudex autem ignavus et suorum scelerum conscientia timens odium primatum, ne ab iis accusaretur apud Caesarem, cum etiam populus ad quem causam ipse detulerat ipsum non iuvaret in iustitia tutanda, cedit tandem furori principum et insaniae turbarum v. 15 *Pilatus autem volens populo satisfacere dimisit illis Barabbam et tradidit Iesum flagellis caesum ut crucifigeretur;* de flagellatione vide quae notavi ad Matth. 27,26. Marcus rem breviter perstringit; Matthaeus aliqua effert quae speciali modo Iudaeos attingunt. Sed Marcus quoque satis ostendit Iesum innocentem per malitiam primatum et per ignaviam iudicis esse morti ignominiosissimae et crudelissimae addictum. Impletum esse ostenditur Iesu vaticinium 10,34 : et flagellabunt eum et interficient eum, et Matth. 20,19 : et tradent eum gentibus ad flagellandum et crucifigendum.

Notant *Vict. Theoph :* « tradiderunt Iudaei Iesum Romanis; traditi sunt vicissim et ipsi a Domino manibus Romanorum, et implentur Scripturae quae dicunt : vae iniquo, mala erunt ei secundum opera manuum suarum; et iterum : secundum opera manuum suarum da eis; et rursum : sicut fecisti, ita erit et tibi retributio tua » (cf. Is. 3,11. Lament. 3,64).

h) Iesus illuditur et crucifigitur 15,16-28.

15,16. Milites autem duxerunt eum in atrium praetorii, et convocant totam cohortem;

17. Et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam. 18. Et coeperunt salutare eum : Ave,

15,16. Οἱ δὲ στρατιῶται ἀπήγαγον αὐτὸν ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστιν πραιτώριον, καὶ συνκαλοῦσιν ὅλην τὴν σπεῖραν, 17. καὶ ἐνδιδύσκουσιν αὐτὸν πορφύραν, καὶ περιτιθέασιν αὐτῷ πλέξαντες ἀκάνθινον στέφανον, 18. καὶ ἤρξαντο ἀσπάζεσθαι αὐτὸν,

Rex Iudaeorum. 19. Et percutiebant caput eius arundine, et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum. 20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis; et educunt illum, ut crucifigerent eum.

21. Et angariaverunt praetereuntem quempiam, Simonem Cyrenaeum, venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem eius. 22. Et perducunt illum in Golgotha locum : quod est interpretatum Calvariae locus. 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum; et non accepit. 24. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta eius, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.

25. Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. 26. Et erat titulus causae eius inscriptus : Rex Iudaeorum. 27. Et cum eo crucifigunt duos latrones : unum a dextris, et alium a sinistris eius.

28. Et impleta est scriptura, quae dicit : Et cum iniquis reputatus est.

Χαῖρε, βασιλεῦ τῶν Ἰουδαίων· 19. καὶ ἔτυπτον αὐτοῦ τὴν κεφαλὴν καλάμῳ, καὶ ἐνέπτυον αὐτῷ, καὶ τιθέντες τὰ γόνατα προσεκύνουν αὐτῷ· 20. Καὶ ὅτι ἐνέπαιξαν αὐτῷ, ἐξέδυσαν αὐτὸν τὴν πορφύραν, καὶ ἐνέδυσαν αὐτὸν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, καὶ ἐξάγουσιν αὐτὸν, ἵνα σταυρώσωσιν αὐτόν. 21. καὶ ἀγγαρεύουσι παράγοντά τινα Σίμωνα Κυρηναῖον, ἐρχόμενον ἀπ' ἀγροῦ, τὸν πατέρα Ἀλεξάνδρου καὶ Ῥούφου, ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ.

22. Καὶ φέρουσιν αὐτὸν ἐπὶ τὸν Γολγοθᾶν τόπον, ὅ ἐστιν μεθερμηνευόμενος Κρανίου τόπος. 23. Καὶ ἐδίδουν αὐτῷ ἐσμυρνισμένον οἶνον· ὃς δὲ οὐκ ἔλαβεν. 24. Καὶ σταυροῦσιν αὐτὸν, καὶ διαμερίζονται τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, βάλλοντες κλῆρον ἐπ' αὐτὰ, τίς τί ἄρῃ. 25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. 26. Καὶ ἦν ἡ ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας αὐτοῦ ἐπιγεγραμμένη, Ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. 27. Καὶ σὺν αὐτῷ ἐσταύρωσαν δύο λῃστὰς, ἕνα ἐκ δεξιῶν καὶ ἕνα ἐξ εὐωνύμων αὐτοῦ. [28. καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα, Καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη.]

In v. 16 *intro* in atrium big cav ept (marg) ing for car lich mt ken rush tol val wil harl. In v. 17 ενδιδυσκουσιν ℵ B C D F D aliq minusc Ti W H; k superponunt; D επιτιθεασιν; d coronam factam de spinis; D c d ff^2 omitt πλεξαντες. In v. 18 *hare* am dub ept med ken rush lind harl; *habe* big cav for ox tol corp; uti in v. 19 codd vulg (excipe lich) scribunt harundine; D 71* 253. 32 ev k omitt και τιθεντες etc. In v. 22 lind golgoltha. In v. 23 εδιδουν sine addit ℵ B C* L Δ cop arm n; add πιειν A C^2 D P X Γ Π unc 9 al omn sah syr (utr) aeth go it vulg ev hier, codd vulg pler murratum. In v. 24 σταυρουσιν B L; crucifixerunt c d ff^2 k sah cop arm aeth; rell σταυρωσαντες; lich super ea. In v. 25 ωρα εκτη syr (p marg) aeth et Breviar. in Ps. 77 (inter opp Hier. *M* 26, 1046) horam tertiam in Marco dicitur esse errorem scriptorum : et in Marco hora sexta scripta fuit, sed multi episemum graecum putaverunt esse γ; at τριτη habetur in ℵ B C^3 D L P X Γ Δ Π^2 unc 8 al pler it vulg sah cop etc.; item τριτη ωρα A C* X Π* al pauc ev hier; D non habet εσταυρωσαν sed και εφυλασσεν; item ff^2 k n; utrumque ken. In v. 27 εσταυρωσαν B, item c d ff^2 k n big wil go syr (utr); c unum a dextris nomine zoathan et alium a sinistris nomine chammatha. Habetur v. 28 in E F G H K L M P S U V Γ Δ Π al pl it (excipe d k) vulg cop syr (utr) go arm aeth ev hier; non habetur in ℵ A B C* D X al 45 fere sah Ti W H; videtur transsumptum ex Luc. 22,37.

Impletur quod Iesus praedixerat : et illudent ei (10,34). Flagellationi enim dirissimae petulantia militum alii adduntur cruciatus v. 16 *milites autem duxerunt eum* a loco quo ad columnam alligatus flagella exceperat *in atrium praetorii*, ἔσω τῆς αὐλῆς in interiorem aulam, ὅ ἐστιν

πραιτώριον; proin aula interior intelligi debet de ipso praetorio vel palatio, in cuius parte inferiore milites quoque collocati erant; *et convocant totam cohortem,* alios scil. milites qui in praesidio practorii erant et simul custodes corporis procuratoris erant. Cum milites audivissent Iesum accusari regiae dignitatis arrogatae, statuunt eum per ludibrium regem consalutare; v. 17 *et induunt eum purpura,* veste purpurea i. e. chlamyde coccinea (Matth. 27,28); pallium eius coloris ei circumdederunt, ut colore regiam vestem ad ludibrium imitarentur. Et ad maiorem irrisionem eos selegisse vetustum quoddam pallium laceratum satis credibile erit. Verum modo longe atrociore regiam coronam imitantur *et imponunt ei plectentes spineam coronam* πλέξαντες coronam ex spinis consertam et contextam capiti eius imponunt et tamquam sceptrum regale posuerunt arundinem in dextera eius (Matth. 27,29); v. 18 *et coeperunt salutare eum : ave, rex Iudaeorum* v. 19 *et percutiebant caput eius arundine* id quod non poterat non afficere caput eius acutissimis doloribus propter spinas quae magis ex omni parte in caput protrudebantur *et conspuebant eum*, exhibentes ad ludibrium et imitantes oscula quibus reges a subditis honorabantur, *et ponentes genua adorabant eum,* ludicro modo profitentes honorem regiae dignitatis; orientales enim coram rege sese prosternere solebant ad suam significandam subiectionem et reverentiam.

Uti ministri pontificis postquam Iesus declaratus erat reus mortis et aliquot etiam synedristae Iesu atrociter illuserunt (14,65), ita milites crudeliore modo idem repetunt simul odium suum et contemptum in hominem Iudaeum effundentes et testificantes; « militare genus semper conviciis gaudet ac tumultibus et sibi simile est » (*Theoph.*). Milites conscribi solebant ex incolis Palaestinae qui non erant originis iudaicae (cf. *Schürer* l. c. I p. 383) et eorum magna pars fuisse videntur Sebasteni i. e. milites ex regione samaritana conscripti; id quod pro tempore Christi ex eo concludi potest quia et ante et post certis testimoniis constat adfuisse in Iudaea magnum numerum militum Sebastenorum. Samaritanos autem peculiari odio in Iudaeos flagrasse notum est. Ceterum pro militum carnificumque feritate et crudelitate Iesum cruciatus subiisse terribiles nemo negaverit. Varia hic quoque Marcus silentio premit quae ex narratione Ioannis 19,4 seq. supplentur. Properat ad ostendendum quomodo illud impletum sit : et interficient eum (10,34) v. 20 *et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura et induerunt eum vestimentis suis et educunt illum ut crucifigerent eum;* vestibus consuetis indutus facilius ab omnibus agnoscitur qui nunc tamquam homo maxime facinorosus ad supplicium servile educitur. Qui sententiam audierant : ibis ad crucem, patibulum ipsi

portare debebant. Iesum quoque per aliquod tempus crucem suam baiulasse testis est Ioannes 19,17. Iesus autem crudeli flagellatione aliisque vexationibus iam maxime viribus erat exhaustus; quare ne in ipsa via succumberet v. 21 *angariaverunt* coegerunt; subditi adigebantur ad varia onera subeunda et opera praestanda in itineribus, vecturis etc.: hoc dicitur angariari; cf. ἄγγαρος Xenoph. Cyrop. 8,6. 17; Herod. 3,126; vox dicitur originis persicae; etiam apud talmudistas reperitur אנגריא i. e. coactio ad currendum, ad ferendum onus aut faciendum opus publicum (cf. *Buxtorf*, Lexicon chald. p. 131) *praetereuntem quempiam, Simonem Cyrenaeum*, oriundum ex Cyrene, urbe olim florentissima Libyae pentapolitanae, in qua multi degebant Iudaei (cf. Act. 2,10; 11,2; idem ostenditur apud Iosephum, Antiq. 14,7. 2; 16,6. 1), *venientem de villa* ἀπὸ ἀγροῦ; sensus non potest esse, uti volunt *Schegg, Reischl, Winer*, eum venisse rure, eum habitasse extra urbem ideoque rure nunc tendere in urbem; nam cum dictum sit Iesum esse eductum, plane inutile esset addere eum qui extra urbem occurrerit venisse ex regione extra urbem sita (cf. *Schanz, Weiss*). Quare explica *ab agro* et cf. 13,16 i. e. ab aliquo labore quem in agro exercuit. Unde hic habes indicium diem mortis Iesu non fuisse ipsam sollemnitatem paschatis; *patrem Alexandri et Rufi*, cum ex filiorum nominibus pater accuratius designetur, merito censent filios notos fuisse insigniore quodam modo inter Christianos et ut videtur addendum esse inter Romanos. Nomina illa quidem sat sunt frequentia; at cum Marcus scribat Romanis, cogitare licebit cum *Patr. Schegg, Fil.* aliisque de Rufo, de quo S. Paulus Rom. 16,13 et fortasse etiam de Alexandro, Act. 19,33, « ibi Lucas Alexandrum, de quo alibi ne unum quidem verbum scripsit quemque nunquam nominavit, ex improviso ita nominat ut qui iis qui librum lecturi erant notus omnino esset; atqui hunc librum Romae a Luca conscriptum esse et Christianis Romae degentibus destinatum relictumque satis constat » (*Patr.*). Cur autem *Fil.* censeat Act. 19,33 parum honorabilem mentionem Alexandri fieri ideoque hunc Alexandrum filium Simonis ibi haud posse intelligi me fugit. Sed cum alii censeant istum Alexandrum non fuisse Christianum (cf. *Felten*, Die Apostelgeschichte p. 368), res in dubio relinquenda erit. Existimant *Vict. Theoph.* filios solum nominari ad maiorem rei narratae confirmationem. In una familia habes nomen hebraicum, graecum, latinum[1].

Simon itaque adactus est a militibus secundum ius illud vel potius tyrannidem angariae, *ut tolleret crucem eius;* scil. postquam Chri-

1. Ce simple fait suffit pour montrer jusqu'à quel point le Judaïsme tendait à se désagréger, pour devenir cosmopolite (*Fil.*).

stus aliquamdiu portavit crucem, postea Simoni imposita et ab eo gestata est. Simon autem per se ipsum crucem portat, « non, ut quidam putant, una cum Iesu, quos ipsa haec Marci et Matthaei verba refutant atque etiam plenius verba Lucae : imposuerunt illi crucem portare post Iesum » (*Patr.*) et *Beda* quoque repetit h. l. fere verba *S. Hier. :* « primo namque a Domino portata (crux) ac deinde Simoni quem exeuntes forte obvium habuerunt portanda imposita est; et hoc congruo satis ordine mysterii, quia nimirum ipse passus est pro nobis relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia eius ». Atque ita rem concipiunt *S. Aug.* (de cons. ev. 3,10. 37), *S. Leo* (serm. 8 de pass. Simon, in quem lignum crucis transfertur a Domino) *Vict. Theoph. Salmeron* tract. 33, *Suarez* in 3 p. qu. 46 disp. 36 sect. 2 n. 2, *Ians. Lap. Sylv.* apud quos alios quoque eius sententiae patronos invenies recensitos; v. 22 *et perducunt illum in Golgotha locum quod est interpretatum Calvariae locus;* « ita tunc temporis Iudaei hoc nomen proferebant pro Golgolta, dempta quemadmodum et in aliis vocibus fecere posteriore litera *l,* cum Syri e contrario dempta priore proferrent Gogulto; hoc nomen factum est exiguo cuidam tumulo a figura *calvariae* quam referebat extra Hierosolymam proxime urbis muros inter boream et occasum posito, qui sequioribus aetatibus intra novae urbis ambitum inclusus est » (*Patr.*). Cum collis iste appellaretur *calvaria*[1] numero singulari, non calvariae vel locus calvariarum, iam ipso nomine refutatur opinio aliquorum collem accepisse nomen ex calvariis reorum quae ibi fuissent. Ceterum vide ad Matth. 27,33; v. 23 *et dabant ei bibere myrrhatum vinum, et non accepit*, vinum myrrha conditum; erat enim consuetudo, ut qui morte erant plectendi acciperent potum aliquem ad sensus obtundendos ne adeo sentirent cruciatus; de qua re varios locos rabbinorum refert *Wetstein :* iis qui sententia iudicum occiduntur dant bibendum vinum et thus ne affligantur, et : exeunti ut capite plectatur dant bibendum granum thuris in poculo vini, ut alienetur mens eius; pro quo more rabbini provocant ad Prov. 31,6; est traditio mulieres hierosolymitanas honestiores spontaneo motu tale vinum attulisse. Cum autem Iesus tormenta non vitare, sed perferre vellet et sentire, ea potione qua sensus obstupefierent non usus est; cum gustasset, noluit bibere (Matth. 27,34); vinum felle mistum (μετὰ χολῆς) apud Matthaeum notione non differt.

1. *S. Cyrillus* hier. nomen calvariae prophetice esse impositum ait, quia ibi verum *caput* Christus crucem subiit; « caput in loco calvariae passum est! o magnam et prophetiae plenam appellationem, propemodum enim te nomen ipsum admonet veluti aiens : ne crucifixo tamquam mero homini attende; caput est omnis principatus et potestatis, quod est cruci affixum » (cat. 13,23; *M.* 33,802).

Ostenditur impletum esse : et interficient eum (9,30; 10,34) v. 24 *et crucifigentes* (vide lect. var.) et crucifigunt eum vel postquam crucifixerunt eum; de modo crucifixionis, de numero clavorum, de crucis forma pluribus egi in Comment. Matth. II p. 519 seq.; *diviserunt vestimenta eius mittentes sortem super eis quis quid tolleret;* de qua re plenius narratur Ioan. 19,23. 24; v. 25 *erat autem hora tertia et crucifixerunt eum;* designatio temporis si cum ea comparatur quam legimus Ioan. 19,14 : hora quasi sexta et dicit (Pilatus) Iudaeis : ecce rex vester, est satis difficilis vel vaga (de qua re postea pluribus). Ex iis quae legimus Matth. 27,38-44 et Luc. 23,34-44 oportet concludere Christum esse cruci affixum aliquo temporis spatio ante horam sextam i. e. ante tenebras obortas; nam plura peraguntur antequam tenebrae ingruant. Ceterum post illa Pilati verba : ecce rex vester (apud Ioannem) etiam plura fiunt : clamores Iudaeorum repetiti, Iesus educitur baiulans crucem, angariatur Simon, Iesus alloquitur mulieres, via erat conficienda a palatio Pilati ad Calvariam; quare etiam quod Ioannes dicit de hora fere sexta, ita debebit intelligi, ut temporis spatium non adeo breve concipiatur ante horam sextam[1], praesertim etiam propterea quia non statim post crucifixionem tenebrae ortae sunt. Quare etiam quod Ioannes dicit vago quodam modo concipi debet. Neque id mirum est, cum apostoli non haberent solaria vel horologia et insuper duratio horae secundum varia anni tempora non esset eadem.

1. S. Ioannem horas computasse a solis ortu, ita ut hora sexta sit ex nostro loquendi modo hora meridiei, hora 12, certum est. Ad hanc enim rationem solum congruit 4.6 hora sexta, quae cum iter illud factum sit mense novembri vel decembri non potest esse neque hora sexta matutina neque vespertina; item v. 52 hora septima nequit esse ex eadem ratione septima matutina aut vespertina. Romani quoque usu populari et communi horas numerabant a solis ortu ad occasum (cf. Expositor, 4 series vol. 4 p. 396; p. 397 mentio fit solarii romani antiqui, in quo meridies signatur numero VI). Nota sunt quae habet Martialis, Epigr. 4,8 : Prima salutantes atque altera continet hora, Exercet raucos tertia causidicos, In quintam varios extendit Roma labores etc. Atque Plinius haec habet : ipsum diem alii aliter observavere. Babylonii inter duos solis exortus, Athenienses inter duos occasus, Umbri a meridie in meridiem, *vulgus omne a luce ad tenebras,* sacerdotes romani et qui diem finiere civilem, item Aegyptii et Hipparchus a media nocte in mediam (nat. hist. 2,79 al. 77). Verum hisce quoque omissis ipsa res loquitur. Nam *ut factus est dies* habitum est concilium synedristarum (Luc. 22, 66), dein Christus adductus ad Pilatum, sequitur accusatio, interrogatio Pilati, mittitur Iesus ad Herodem, qui eum multis sermonibus interrogat, illudit; remittitur ad Pilatum, qui explicat neque se neque Herodem causam invenire quare turbis proponit Iesum et Barabbam; interea sacerdotes persuadent plebi, ut petant Barabbam. Quod repetitis clamoribus fit; tunc Iesus flagellatur; spinis coronatur et variis modis a militibus illuditur. Sequitur dein id quod narrat Ioannes 19,4-13 et tunc demum *hora quasi sexta.* Iam vero quomodo haec omnia fieri ita potuerint ut a concilio habito usque ad verba Pilati ecce rex vester vix una effluxerit hora, immo ne una quidem praeterierit hora, plane incredibile est. Ergo hora quasi sexta nequit esse hora 6 $\frac{1}{2}$ matutina et mirum est a Wieseler, Keil aliisque propugnari Ioannem more romano a media nocte ad mediam noctem horas computasse.

Causa supplicii solebat indicari; quare v. 26 *et erat titulus causae eius inscriptus rex Iudaeorum;* ut Ioannes narrat, exhibebatur titulus hebraice, graece, latine; apud Marcum in brevi hac formula inscriptio latina nobis servari videtur. De usu tituli vide Suetonium Calig. 32 et Domitian. 10 haec habet : « patrem familias quod Threcem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum ex spectaculis in arenam canibus obiecit cum hoc titulo : impie locutus parmularius », iis scil. verbis iudicium Domitiani carpserat. Singulari providentia Dei factum est, ut dignitas Iesu messiana in ipso crucis supplicio annuntiaretur; nam ex tempore quo concidit tabernaculum David, Iudaei ex vaticinio Ezechielis alium regem iam non poterant exspectare nisi regem Messiam, quia corona regia a Deo ponitur eversio, donec veniat qui eius ius habet et cui Deus illam est daturus (21,31. 32 hebr. cf. meum Comment. in Ez. p. 215 seq.), quare ab angelo quoque annuntiatur tamquam is cui Dominus daturus sit sedem (θρόνον) David patris eius (Luc. 1,32).

Crux erat poena latronum v. 27 *et cum eo crucifigunt duos latrones unum a dextris et alium a sinistris eius;* diligenter hoc adnotant Matth. 27,38. Luc. 23,33. Ioan. 19,18 quoque singulari modo affert : medium autem Iesum. Ita maxima ignominia afficiebatur Iesus tamquam qui esset omnium scelestissimus; v. 28 *et impleta est Scriptura quae dicit : et cum iniquis reputatus est;* cf. Is. 53,12. Luc. 22,37; ceterum vide lect. var.; cum in antiquioribus codicibus haec verba non legantur et cum Marcus alias quoque vaticinia non afferat, nisi 1,2 et praeterea facile explicetur cur haec verba addita sint ex Luca, difficile vero cur in melioribus et antiquioribus codicibus omissa, plerique versum hunc referunt ad interpolationem. Eum defendit *Fil.*

Ut discrimen illud explicetur vel removeatur quod habetur inter horam tertiam Marci et horam fere sextam Ioannis, varia excogitata et proposita sunt. Unum iam commemoravi in lect. var., eorum scil. qui apud Marcum corrigere velint horam sextam; esse scriptum per errorem Γ pro F; verum ex auctoritate codicum et versionum tanta et tam concordi id fieri nequit. Alii errorem assumunt scribarum in evangelio Ioannis ita ut legendum sit : hora fere tertia. Haec utique sententia non caret testimoniis antiquis; ita τριτη praebent $\aleph^c$ D L X Δ 72. 88. 151, et in Chronico paschali asseritur ita praebere τὰ ἀκριβῆ βιβλία, immo αὐτὸ τὸ ἰδιόχειρον τοῦ εὐαγγελιστοῦ quod gratia Dei usque nunc asservetur in sanctissima ecclesia Ephesiorum ibique a fidelibus honoretur (cf. *M.* 92, 533). Pro eadem lectione *Severus* antiochenus in epistola ad Thomam episcopum Germaniciae laudat Eusebium qui in interrogationibus et solutionibus ad Marinum dicit errorem esse scriptionis commissum ab omnibus qui ab initio evangelia transscripserint;

Ioannem uti Marcum tertiam horam designasse, solum amanuenses mutasse τὸ γάμμα εἰς τὸ ἐπίσημον (cf. Catena gr. Patrum ed. Cramer, Oxonii 1844 II p. 389). Eodem modo rem explicat Ammonius in scholio quod cat. Corderii 436 praebet, scriptum esse ἀντὶ τοῦ γάμμα τὸ ἐπίσημον, ὅ καλοῦσιν οἱ Ἀλεξανδρεῖς γαμέξ. Eandem lectionem confirmat *Nonnus* : ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη (vide *Tischendorf* ad Ioan. 19,14). Etiam *Theoph.* horam tertiam apud Ioan. esse statuendam censet. Atque idem *Calm.* existimat et e recentioribus *Schegg*, *Patr. Corluy* (Comment. in ev. S. Ioan. Gandavi 1880 p. 439). Quae sententia multum commendatur eo quod iam Eusebius adnotavit Iesum esse crucifixum ante horam sextam, quia ab hora sexta tenebrae ortae sint. Uti supra iam monui, varia facta sunt ante exortas tenebras; quare profecto oportet poni spatium temporis haud exiguum inter verba illa Pilati Ioan. 19,14 et horam sextam. Sed quominus animus ei emendationi apud Ioannem acquiescat, obstant tot testimonia codicum, versionum, Patrum quae eo graviora sunt quia differentia illa a Marco et difficultas exinde exorta neminem latebat. Pro *sexta* enim militant ℵ* A B E H I K M S U Γ Λ Π al pler it vulg cop syr (utr, hr) arm aeth perss; item apud Irenaeum, Hippolytum, Cyrillum, Hesychium, Augustinum, Hieronymum, in Resp. ad orthodoxos etc. Quare ex rationibus criticis nefas est textum tot testimoniis ex omni parte stabilitum immutare.

Alii a Marco commemorari horam tertiam volunt, quia eo tempore Iudaei magnis clamoribus crucifixionem eius postularint; « veracissime demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamaverunt » *S. Aug.* de cons. ev. 3,13. 42; *M.* 34,1184; simili modo *Hesychius* cat. Cr. ad Ioan. 19,14, etiam τινὲς apud *Viet. Bed. Euth.* (qui explicat : erat hora tertia quando pati coepit a militibus Pilati), *Lamy* scribit eleganter dixisse S. Augustinum hora tertia Iesum crucifixum esse linguis Iudaeorum, hora sexta manibus militum. Atque e recentioribus *Danko* explicat : erat autem hora tertia, nempe cum iuridicus ille processus agi coepit; tum designata hora accusationis Iudaeorum et sententiae Pilati abruptam narrationis seriem redintegrat additque : et crucifixerunt eum (Hist. revel. div. novi test. Vindob. 1867 p. 255); *Godet* autem hora tertia designari ait tempus flagellationis. Apud Romanos flagellatio infligebatur ante crucifixionem et erat quasi initium exsecutionis et crucifixionis; id quod *S. Hier.* quoque indicat scribens ad Matth. 27,26 : « sciendum est Pilatum romanis legibus ministrasse quibus sancitum est ut qui crucifigitur prius flagellis verberetur ». Proinde posset aliquis dicere Marcum Romanis scribentem hora tertia voluisse designare initium crucifixionis i. e. flagellationem. Quae acceptio tolerari posset, si designatio temporis non poneretur postquam dictum est Iesum esse eductum, cruci affixum, vestes eius divisas. — Multo magis improbabile est quod *Masius*, *Rosenmüller* paucique alii excogitarunt : erat hora tertia postquam crucifixerunt eum, quando scil. vestes inter se diviserunt.

Omissis aliis explicandi conatibus (quos videsis apud *Lightfoot*, Hor. hebr. ad hunc locum, *Estium*, *Ians. Mald.*) referendus est modus cui sat multi suffragati sunt. Cum enim nox divideretur in quattuor partes seu vi-

gilias et cum in evangeliis et Act. saepius sermo sit de hora tertia, sexta, nona, collegerunt diem quoque in quattuor partes seu stationes dividi, ita ut designari possit hora prima tempus primae partis diei ab hora 1 usque ad 3 a solis ortu (ab h. 6 matutina usque ad 9), hora tertia autem altera diei pars ab hora 9 matutina usque ad 12 etc.; igitur dici a Marco Iesum esse crucifixum in secunda diei statione. Immo aliqui dicunt has partes vel stationes diei clangore tubae esse annuntiatas; ita *Grotius* : erat autem hora tertia, id est iam audita erat tuba horae tertiae quod dici solebat donec caneret tuba horae sextae; idem de tubis et quattuor partibus diei statuit *Sepp* (Leben Jesu 6 p. 296). Tubis omissis eodem modo tertiam horam exponunt de spatio horarum trium, ita ut Christus dicatur crucifixus in secunda diei statione (hora 9-12) intra tempus huius secundae partis diei *Salmeron, Ians. Mald. Lap. Sylv. Lamy, Friedlieb* (Archaeologie der Leidensgeschichte p. 127; Leben Jesu Chr. 1887 p. 465) *Bisp.* neque abnuit *Cornely* (Introd. III p. 276) et *Schanz* quoque eam acceptionem probabilem censet (Commentar über das Ev. d. h. Johannes 1885 p. 553) quam *Cook, Weiss* quoque adoptarunt (alios eiusdem sententiae, uti Osiandrum, Zegerum etc. vide apud Criticos sacros et in Synopsi criticorum). Quae sententia de hac diei divisione mihi videtur haud posse probari. Duo enim obstant (ut omittam illud de tubis a nullo firmari aliquo testimonio); sermo etiam fit in evangeliis de hora septima, decima, undecima; dein Marcus statim postea v. 33 scribit; et facta hora sexta tenebrae factae sunt usque in horam nonam et hora nona exclamavit Iesus; iam evidens est hic hora sexta et hora nona minime designari tertiam et quartam diei partem neque spatium declarari (hora sexta et nona) horarum, a 12 usque ad 6 vespertinam. Cur itaque liceret paulo ante tertiam horam interpretari ut secundam diei partem? Adde, etsi iste modus dividendi diem et tres horas una appellatione computandi apud Iudaeos in usu fuisset, num censendus esset Marcus Romanis scribens eo ita usurus fuisse ut nihil adderet explicationis? alias consuetudines Iudaeorum diligenter explicat; cf. 7, 3-6, 11; 15,42. Quare nil aliud restare videtur quam ut dicamus, uti Ioannes hora fere sexta modo satis vago locutus sit, ita Marcum quoque cum diceret horam tertiam [1], nisi dicere malueris (quod nemo probabit) cum aliquibus quos meminit Estius, Marcum tertiam nominasse non quae esset in Palaestina, sed quae esset Romae, « nam tribus fere horis serius emergit sol occidentalibus quam

1. Ceterum de accurata determinatione temporis non adeo sollicitum esse oportere ea quoque demonstrant quae tract. sanhedrin 5,3 (*Surenhusius* IV p. 231) leguntur. Quamvis enim in aliis rebus maxima quaedam testium consensio requiratur ad vim testimonii, tamen aliqua de tempore dissensio non officit : si unus dixerit hora 2, alter 3, recipitur testimonium. Et rabbi Iehuda docet etiam recipiendum esse, si unus testis assignet horam 3, alter 5; neque tamen si ab uno hora 5 ab altero 7 edicatur; « nam quinta sol versus orientem, septima autem occidentem versus situs est ». Itaque ex solis situ posse discerni sitne tempus ante meridiem vel post, at in ipso tempore antemeridiano vel pomeridiano posse facile oriri in aestimatione horae discrimen unius horae vel etiam duarum neque ex hac differentia enasci errorem. Iam vero quod populari loquendi consuetudine usitatum est, id ab evangelista quoque sine ulla erroris nota dici posse nemo negaverit.

Palaestinis » (?). Verum Estius iam perspexit id non posse admitti ex sequentibus, ubi Iudaeorum more sextam et nonam horam nominat Marcus.

Notat *Gretserus* (de s. cruce lib. I cap. 19) : « nullum dubium esse debet duos latrones cum Christo eodem modo nempe clavis crucifixos, licet vulgus et pictores contra nitantur... exstant duae epistolae Ioannis Francisci Mirandulani de hac quaestione, utrum latrones suae quisque cruci clavis fuerint affixi. Nec pro vulgo stat eruditus ille princeps, sed pro eruditorum sententia quam erudite quoque multis argumentis confirmat. Clavis infixi duo cruciabantur, ait S. Augustinus qui et haec habet : manus clavis inhaerebant, pedes transfixi erant. Alibi de bono latrone : in semetipso erat clavis confixus, et non saucium intellectum neque confixum sensum habebat » (cf. tract. in Ioan. 37,9; *M.* 35,1674; ad Simplicianum lib. 1 qu. 2 n. 19; serm. 130 de temp. qui solet allegari inter opera spuria relegatus est; est in append. serm. 155,6). Accedit quod Scriptura cum de latronibus loquitur eodem crucifigendi vocabulo utitur quo cum loquitur de Christo. Et, ut Gretserus dicit, Abulensis recte notare videtur consuetudinem funibus alligandi latrones in cruce ex indiscreta aliquorum devotione esse introductam, qui ut gravitatem dominicae passionis et crudelitatem Iudaeorum exagitarent, Dominum clavis fixum, latrones solis restibus adstrictos commenti sunt — SS. Patrum locos quibus dicunt latrones quoque clavis esse affixos afferunt Gretserus l. c. Lorinus ad Ps. 21, 17, Kraus, der heilige Nagel in d. Domkirche zu Trier p. 17. Adduci solet S. Athanasius, hom. in parasceve; sed iste sermo non est eius (cf. *M.* 28, 1057). Eandem sententiam omnes asserunt qui in historia inventae crucis referunt dubitatum fuisse quaenam ex tribus esset crux dominica; aperte enim supponitur omnes tres habuisse similia foramina; cf. S. Ambrosius, sermo de obitu Theodosii n. 45 (*M.* 16 in fine). Eam sententiam etiam asserit S. Cyrillus cat. 13, 30 (*M.* 33, 808).

i) Iesus in cruce illuditur et moritur 15,29-39.

15,29. Et praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reaedificas : 30. Salvum fac temetipsum descendens de cruce. 31. Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum scribis dicebant : Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. 32. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.

33. Et facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam. 34. Et hora nona exclamavit Iesus voce magna dicens : Eloi, Eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? 35. Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat. 36.

15,29. Καὶ οἱ παραπορευόμενοι ἐβλασφήμουν αὐτόν, κινοῦντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, καὶ λέγοντες, Οὐά, ὁ καταλύων τὸν ναὸν, καὶ οἰκοδομῶν ἐν τρισὶν ἡμέραις, 30. σῶσον σεαυτὸν καταβὰς ἀπὸ τοῦ σταυροῦ. 31. ὁμοίως καὶ οἱ ἀρχιερεῖς ἐμπαίζοντες πρὸς ἀλλήλους μετὰ τῶν γραμματέων ἔλεγον, Ἄλλους ἔσωσεν, ἑαυτὸν οὐ δύναται σῶσαι. 32. ὁ Χριστὸς ὁ βασιλεὺς Ἰσραὴλ καταβάτω νῦν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμεν. καὶ οἱ συνεσταυρωμένοι σὺν αὐτῷ ὠνείδιζον αὐτόν.

33. Καὶ γενομένης ὥρας ἕκτης, σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐνάτης. 34. καὶ τῇ ἐνάτῃ ὥρᾳ ἐβόησεν ὁ Ἰησοῦς φωνῇ μεγάλῃ, Ἐλωὶ, Ἐλωὶ, λαμὰ σαβαχθανεί; ὅ ἐστιν μεθερμηνευόμενον, Ὁ Θεός μου, [ὁ Θεός μου] εἰς τί ἐγκατέλιπές με; 35. Καί τινες τῶν ἑστηκότων ἀκούσαντες ἔλεγον, Ἠλείαν φωνεῖ. 36. ὁραμὼν δέ τις

Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum.

37. Iesus autem, emissa voce magna, expiravit. 38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.

39. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat.

γεμίσας σπόγγον ὄξους, περιθεὶς καλάμῳ ἐπότιζεν αὐτὸν, λέγων, Ἄφετε, ἴδωμεν εἰ ἔρχεται Ἠλείας καθελεῖν αὐτόν.

37. Ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀφεὶς φωνὴν μεγάλην ἐξέπνευσεν. 38. καὶ τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο, ἀπ' ἄνωθεν ἕως κάτω· 39. Ἰδὼν δὲ ὁ κεντυρίων ὁ παρεστηκὼς ἐξ ἐναντίας αὐτοῦ, ὅτι οὕτως ἐξέπνευσεν, εἶπεν, Ἀληθῶς οὗτος ὁ ἄνθρωπος υἱὸς Θεοῦ ἦν·

In v. 29 codd plur vulg *destruit*, *aedificat* (et sic edidit Wordsworth); reaedif. theod steph sixt. In v. 30 και καταβα A C X Γ Π unc 9 al plcr c d ff^2 go syr (utr) arm aeth Eus ev hier; rush discende; *Dei* addunt for steph; alibi non reperitur. In v. 31 codd vulg mu *ludentes*. In v. 34 codd plur heloi, uti minusc ἑλ. Ti; B omitt alterum ο θεος μου; rell omn habent. In v. 35 vocat *iste* lich ken gat. In v. 36 τις ℵ B L Δ aeth; rell εις. In v. 38 D εις δυο μερη; item c d ff^2 i k n gat in duas partes uti lich ken. In v. 39 ουτως sine additamento ℵ B L cop; add κραξας A C X Γ Δ Π unc 8 al omn fere it vulg syr (utr) go aeth Aug.

Etiam magis impletur illud : et illudent ei (10,34) et impletur quod iam Ps. 21,8 praedictum erat de eo, cuius manus et pedes foderunt : omnes videntes me deriserunt me. Irrisio autem haec facta est, ut *Alb.* dicit, a tribus hominum generibus, a praetereuntibus, sacerdotibus, latronibus. Omnes igitur, summi et infimi, gentiles et Iudaei, sacerdotes et vulgus profanum Iesum contumeliis et opprobriis onerant verbis et gestibus v. 29 *et praetereuntes,* locus erat prope civitatem; propter festum ingens hominum multitudo in urbe versabatur; narrat *Iosephus* sub Cestio Gallo (an. 63-66 p. Ch.) tempore sollemnitatis paschalis adfuisse in urbe « virorum purorum et mundorum (qui scil. nulla immunditie levitica ab esu agni prohibebantur) ut denos epulatores singulis victimis demus vicies septies centena millia » (de bell. iud. 6,9.3), *blasphemabant eum moventes capita sua,* quod est signum insultationis; cf. 4 Reg. 19,21. Ps. 108,25. Eccli. 13,8. Is. 37,22. Lament. 2,15 et impletur prophetia Ps. 21,8 : locuti sunt labiis et moverunt caput, *et dicentes : vah,* vocula est admirantis et acclamantis, quae hic ironice usurpatur et cum sarcasmo[1], *qui destruis templum* (*Dei*) *et in tribus diebus reaedificas*, v. 30 *salvum fac temetipsum descendens de cruce* scil. qui tantam potentiam tibi attribuisti, nunc ostende quid possis! Cum et testes (14,58) et hic praetereuntes hoc Iesu effato utantur, discimus quam vehementer commoti sint omnium animi primo illo Christi in

1. Vide Ps. 35,21 et 40,16 הֶאָח.

templum adventu. Utique inscii iis fere utuntur verbis quibus Iesus suam praedixit resurrectionem; v. 31 *similiter et summi sacerdotes illudentes ad alterutrum cum scribis dicebant : alios salvos fecit,* utut rabie et odio in Iesum incensi sunt, tamen sanatos esse aegrotos a Iesu non solum non negant, sed sponte profitentur; proinde agnoscunt miracula ab eo esse patrata, sicuti propter eadem miracula constituerunt ei mortem machinari (Ioan. 11,47).

Verum hac voce se ipsos condemnant. Opera enim illa quae norunt et se nosse profitentur testimonium perhibent de Iesu; *seipsum non potest salvum facere;* quam falso hoc dicerent, poterant cognoscere ex responsione Iesu in horto 14,49: v. 32 *Christus, rex Israel,* irridentes repetunt duo illa propter quae Iesus mortis reus declaratus est a synedristis et a Pilato, *descendat nunc de cruce,* ita simul exprimunt gaudium crudele et voluptatem, quod tandem eum cernunt affixum cruci, *ut videamus* scil. eum esse revera quem se dixit, Christum et regem Israel, *et credamus;* qui tot signis fidem negarant, num huic crediturі fuissent[1]? *et qui cum eo crucifixi erant conviciabantur ei;* adeo vilis Iesus habetur, ut a latrone cruciario, vilissimo homuncione oneretur contumeliis. Iam *Vict.* notat Lucam accuratius rem narrare vel ab initio utrumque latronem convicia in Iesum iactasse (cf. *Theoph. Patr.*); posse numerum pluralem de uno quoque adhiberi *S. Aug.* praeter alia exempla sacra (Hebr. 11,33. 37) modo loquendi ostendit communi : « quid est usitatius verbi gratia quam ut dicat aliquis : et rustici mihi insultant, etiamsi unus insultet » (de cons. ev. 3,16. 53). Haec autem convicia in Iesum esse iacta irrisionesque ante exortas tenebras et ipsa narrationis serie apud tres synopticos apparet (Ioannes tenebrarum non facit mentionem) et etiam ipsa re suadetur. Tenebrae enim ita subito contra naturae cursum ortae omnibus sane timorem incutiebant animosque tenebant suspensos quid rei esset et a contumeliis compescebant. Quare simul sequitur aliquo tempore ante horam sextam Iesum esse in cruce suspensum eumque per plus tres horas cruciatus illos horrendos et tormenta omnium membrorum inenarrabilia sustinuisse.

Nuper petierant signum de coelo (8,11. Matth. 16,1), iam illis datur (*Vict.*) v. 33 *et facta hora sexta tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam;* approbat *Mald.* sententiam Origenis tenebras factas esse in sola Iudaea[2], quia factae sunt propter solos Iudaeos eosque

1. Perorat hic *Ps. Hier.* : « vos ipsos consulo, vos ipsos iudicium peto : quanto mirabilius est mortuum posse resurgere, quam adhuc vivum de cruce velle descendere! Parva petistis, dum maiora provenerint. Sed infidelitas vestra non potuit sanari signis multo fortioribus quam petistis ».

2. De istis tenebris lege notam quam Vallarsi adiecit ad annum 33 S. Hier. interpretatio-

ubi evangelium Iesus praedicaverat, ut eius divinitas et doctrina confirmaretur; porro monet manifestum esse evangelistas non solum miraculum narrare voluisse quod factae fuerint tenebrae, sed ita narrare voluisse quod hora sexta i. e. meridiana factum fuisse miraculum declararent; in his ergo locis, ubi meridies non erat, non factum esse miraculum. Neque, uti patet, ἐφ' ὅλην τὴν γῆν necessario designat orbem universum; nam γῆ saepissime unum terrae tractum, unam regionem dicit, sicut *terra* (verti itaque omnino potest germanice über das ganze Land); simili modo Luc. 4,25 ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν et cf. Matth. 9,26. 31. Cur vero tenebrae ortae sint, variae afferuntur rationes; uti reliquis miraculis in morte Christi testimonium reddebatur divinitati eius, ita hoc quoque miraculo tenebrarum (cf. *Mald.*), vel ad iram divinam declarandam, prout in s. litteris ira divina in homines et res adversae tenebris declarari solent, vel ad significandam detestationem tanti sceleris a Iudaeis admissi; « videtur mihi clarissimum lumen mundi, hoc est luminare maius retraxisse radios suos ne aut pendentem videret Dominum aut impie blasphemantes sua luce fruerentur » (*S. Hier.* ad Matth. 27,45) vel significari caecitatem Iudaeorum, « in vos, Iudaei, coelum et terra sententiam tulit, vobis sol servitutem suam diemque subtraxit, vobis famulatum suum elementorum ordines denegarunt et recedente a legibus suis ministerio creaturae vestra obcaecatio, vestra est significata confusio » (*S. Leo,* serm. de pass. 2,2; cf. serm. 10,5; *M.* 54,318. 348) vel decuisse ut ubi Christus sol iustitiae occubuit etiam sol obscuraretur (*S. Cyrillus* hier. cat. 13,34; *M.* 33,813) vel coelum edidisse luctum, « moesta nebularum mole perfusus funereas dies celebravit exsequias; sol radiis remotus absconditis tetra velatus palla delituit orbemque luctibus alienae noctis infecit; talem siquidem vultum patris orbata solatiis meruerunt elementa sortiri, ut cuius ortu laetata sunt tristarentur occasu; sicut enim Domino nascente lux claruit, ita moriente discessit » (*Sedulius,* opus pasch. lib. 5; *M.* 19,730; cf. carmen pasch. 5,234 seq.). Plura vide apud *Salmeron* t. 10 tr. 42 versus fin., *Sylv.* lib. 8 cap. 19 qu. 2. Demum, ut olim in Aegypto ante mactationem agni paschalis tenebrae Aegyptiis incubuerunt, ita ante mortem et immolationem veri Agni Dei merito ortae sunt tenebrae (cf. *Vict.*).

Insuper istis tenebris etiam significari videtur illa derelictio de qua Iesus in tantis cruciatibus verbis Ps. 21 testimonium reddit v. 34 *et hora nona exclamavit Iesus voce magna dicens : Eloi, Eloi lamma sabacthani, quod est interpretatum : Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me!* proinde testatur accessisse ad horrenda illa omnium mem-

nis chronic. Eusebii *M.* 27,572; ipse accedit etiam sententiae Origenis, quae in apocrypho Petri evangelio quoque exprimitur.

brorum tormenta etiam acerbissimos animae dolores. Est scil. Iesus derelictus, ut *Suarez* explicat, quia privatus fuit omni consolatione in inferiore portione, derelictus quoad poenam, quia destitutus fuit omni ope ad illam leniendam (in 3 p. qu. 15 disp. 33 sect. 1 n. 4 et qu. 50 disp. 38 sect. 5 n. 2). Uti igitur Iesus in horto animae cruciatus, tristitiam, timorem, taedium sustinuit, ita in cruce quoque eiusmodi carentia omnis gaudii et consolationis et maxima quadam desolatione in anima secundum partem inferiorem affligebatur. Haec dolorum incrementa quae aliter in nostram notitiam venire non poterant clamore ostendit (*Salmeron*). Iesus factus pro nobis maledictum (Gal. 3,13), quantum fieri potuit, iram Dei et vindictam peccatoribus debitam in se experiri voluit. Quare omni consolatione ex Dei visione subtracta in profundissimam quandam moestitiam anima eius immersa est. — Forma aramaica vel syriaca enuntiatur Eloi[1] pro hebr. אֵלִי אֵלִי, uti codd. pler. ad Matth. 27,46 praebent. Propter irrisionem et ludibrium ex Elia concluserunt aliqui Iesum dixisse ἠλί; sed cum illi vocem Christi malitiose detorquerent quod in utraque forma aeque fieri potuit, ex illo ludibrio nihil colligi potest, utra forma Iesus revera usus sit; v. 35 *et quidam de circumstantibus audientes dicebant : ecce Eliam vocat;* hoc ludibrium a sacerdotibus profectum esse censendum erit, non a militibus (ut multi volunt) quorum fortasse nemo unquam de Elia quidquam audivit. Apud Iudaeos autem Elias celebratus erat ut praecursor Messiae et in libris talmudicis saepe tamquam opitulator in rerum angustiis apparet (*Wünsche* p. 356). Quare sacerdotes illudunt Iesum qui sibi opem ferre non posset demum opem implorare Eliae et ita suam palam profiteri imbecillitatem.

Uti in Ps. 21,16 tormenta sitis describuntur, ita Iesus mox post haec verba dixit *sitio* (cf. Ioan. 19,28). Quae enim apud Matthaeum et Marcum de aceto sequuntur, nos docet Ioannes facta esse propter illam Iesu vocem v. 36 *currens autem*, scil. post verbum illud *sitio* (*Bed. Salm. Patr. Schegg, Schanz* etc.) *unus et implens spongiam aceto* ὄξους, intellige poscam, *circumponensque calamo* quo usque ad os Christi pertingere posset (*Alb.*), hyssopo i. e. calamo hyssopi (Ioan. 19,29) *potum dabat ei,* cum spongia et calamus praesto essent praeter poscam, provisum erat, ut cruciariis qui plurimum siti laborabant aliquid potus porrigi posset; *dicens : sinite* ἄφετε, permittite, ne impediatis; ita scil. dicit iis qui ei suadent ne potum porrigat, de qua suasione refertur Matth. 27,49; *videamus, si veniat Elias ad deponendum eum;*

1. Eloi repraesentare formam aramaicam עֱלָהִי docet *Neubauer* (Studia biblica, Oxford 1885 p. 56).

nam si non aliquid refectionis ei porrigitur, viribus exhaustus morietur, antequam Elias veniat; proin ut videamus, venturusne sit Elias, opus est ut diutius vivat; ergo sinite ut eum reficiam. Quo animo haec dixerit non consentiunt; aliqui volunt ea dici per iocum et ludibrium (cf. *Schanz*), alii cum ironia contra sacerdotes vel pharisaeos, qui volebant impedire : sine, i. e. omitte, videamus etc.; alii cum solum adoptasse modum loquendi talem, ut id perficere posset ad quod vera miseratione impelleretur (cf. *Weiss*), quare etiam ut opponeretur illudentibus et ab iis separaretur adhibitam esse particulam δέ; sed nonne nimis oneratur et premitur haec particula? Ceterum cum actio porrigentis potum sit laude digna et verba non necessario opprobrium contra Iesum redoleant, posset ille censeri benevolo egisse animo, praesertim si Luc. 23,36 de alia re explicatur, id quod probabilitate non caret (cf. *Poelzl* p. 349).

Eo tempore quo sacrificium vespertinum singulis diebus offerri solebat et quo illo die in templo agni paschales immolabantur, etiam pascha nostrum immolatus est Christus v. 37 *Iesus autem emissa voce magna exspiravit,* vocem emittit magnam, ut ostendat ὅτι κατ' ἐξουσίαν τὸ πρᾶγμα γίνεται (*Vict.*); similiter *Theoph.* : moritur tamquam dominus, moritur pro sua potestate. Cum ima voce sive sine voce nos morimur qui de terra sumus, ille vero cum exaltata voce exspirat qui de coelo descendit (cat. S. Thom.); ostendit illo clamore se nunc pro sua libertate permittere et potestate, ut causae naturales, cruciatus, defectio et exhaustio virium suum consequantur effectum et animam morte separent a corpore; cf. Ioan. 10,18 nemo tollit eam (animam) a me, sed ego pono eam a meipso et potestatem (ἐξουσίαν) habeo ponendi eam. Clamor hic ad miraculum referri debet; « non enim fieri poterat ut haberet naturalem virtutem ac robur ad eum clamorem emittendum corpus pene exsangue ac vitalibus spiritibus et consequenter viribus fere exhaustum; et in hoc miraculo ostendit suam potentiam; sicut enim potuit resistere et superare debilitatem corporis ad sic clamandum, ita potuit morti resistere si vellet et ideo ait d. Thomas declarasse Christum illo facto se esse dominum vitae ac mortis et non necessitate absoluta, sed sponte mortem suscipere, cui facile resistere posset si vellet » (*Suarez* in 3 p. qu. 50, disp. 38 sect. 1 n. 9).

Morte Christi vetus foedus iure cessavit, novum conditur; idque signo manifestatur v. 38 *et velum templi scissum est in duo a summo usque deorsum;* ut apostolus docet, id significavit Spiritus sanctus nondum propalatam esse sanctorum viam adhuc priore tabernaculo habente statum (Hebr. 9,8). Verum Christus initiavit nobis viam et introitum in sanctuarium coeleste per carnem suam discissam, per mortem suam,

qua scil. per proprium sanguinem introivit in sancta aeterna redemptione inventa (Hebr. 9,12; 10,20). Ad quod significandum velum templi quo aditus ad sancta sanctorum occludebatur scissum est. Illud enim sanctuarium terrestre institutione sua declarabat habitudinem inter Deum et populum. Uti aditus ad ipsum sanctum sanctorum erat clausus, ita nemo ad ipsum sanctuarium coeleste, ad faciem Dei, pertingere potuit. Verum quamprimum Christus cum sanguine suo sacrificali apparebat coram facie Dei (id quod in eius morte fiebat sacrificio consummato), aditus ad coelum patebat redemptis; quare velum templi scinditur. Morte Christi veterem abolitam esse legem apostolus quoque alibi docet (Rom. 7,4. Gal. 2,19). Idem quoque veli scissione declarari certum est; abolitione autem veteris inducitur novum foedus; quare scribit *S. Leo :* « tunc a lege ad evangelium, a synagoga ad Ecclesiam, a multis sacrificiis ad unam hostiam evidens est facta translatio, ut emittente spiritum Domino velum illud mysticum quod templi penetralia sanctumque secretum suo intercludebat obiectu, a summo usque ad imum vi subita scinderetur, quoniam figuras veritas auferebat et superflui erant nuntii sub praesentia nuntiati » (serm. de pass. 17,3); similiter *Euth. Alb. Salmeron* etc. Ex abolitione legis porro consequitur eos iri abiectum a Deo qui nihilominus perfracte legi abolitae adhaerere et novum foedus spernere malunt. Quare merito ex scissione veli etiam infertur abiectio templi veteris et populi contumacis (cf. *Theoph.*) et bene utrumque, inductionem novi et veteris abolitionem significari affirmant *S. Leo* (serm. de pass. 10,5), *Ambrosius* (in Luc. lib. 10 n. 128; *M.* 15,1836) *Vict. Suarez* (l. c. sect. 2 n. 1) aliique et immerito *Schegg* unam solum significationem templi a Deo abiecti esse agnoscendam contendit. De quaestione utrum velum scissum sit, vide Comment. Matth. II p. 536.

Romanis refert Marcus centurionem romanum in Iesu morte agnovisse eius dignitatem longe maiorem homine v. 39 *videns autem centurio qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait : vere hic homo Filius Dei erat; clamans* (vide lect. var.) rectum est interpretamentum. Cum enim cruciarii confectione virium mortem obire solerent, in valido illo clamore merito divinam quandam agnovit potentiam. Vocat eum Filium Dei; audiverat quod primores synagogae illudentes Iesu exprobraverant : dixit enim : quia Filius Dei sum (Matth. 27,43) et nunc cognoscit et fatetur Iesum de se vere testatum esse et irrisiones synedristarum sua confessione condemnat. Centurio hoc uno signo fidem adhibet testimonio Iesu quamvis eum videret a suis popularibus abiectum et morte maxime ignominiosa interemptum, Iudaeorum plurimi tot signis visis non credunt neque ei quem a mortuis surrexisse negare

non poterant sese subiiciunt. Etiam hic cernitur regnum esse auferendum a Iudaeis et dandum gentibus (Matth. 21,43) et iam quasi quodam auspicio declaratur virtus crucis et mortis Domini ad conversionem gentium. Vide ordinem inversum, ait *Theoph.*, Iudaei interficiunt, gentilis confitetur. Statim itaque Christi mortem sequitur glorificatio non solum a creaturis ratione carentibus sed etiam a rationalibus (*Ians.*; cf. Matth. 27,54. Luc. 23,48).

k) Iesus sepelitur 15,40-47.

15,40. Erant autem et mulieres de longe aspicientes; inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Iacobi minoris et Ioseph mater, et Salome, 41. Et quum esset in Galilaea, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliae multae, quae simul cum eo ascenderant Ierosolymam.

42. Et quum iam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum), 43. Venit Ioseph ab Arimathaea nobilis decurio, qui et ipse erat exspectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Iesus. 44. Pilatus autem mirabatur si iam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si iam mortuus esset. 45. Et, quum cognovisset a centurione, donavit corpus Ioseph.

46. Ioseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti. 47. Maria autem Magdalene, et Maria Ioseph aspiciebant ubi poneretur.

15,40. Ἦσαν δὲ καὶ γυναῖκες ἀπὸ μακρόθεν θεωροῦσαι, ἐν αἷς καὶ Μαρίαμ ἡ Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία ἡ Ἰακώβου τοῦ μικροῦ καὶ ἡ Ἰωσῆτος μήτηρ, καὶ Σαλώμη, 41. αἳ ὅτε ἦν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ ἠκολούθουν αὐτῷ, καὶ διηκόνουν αὐτῷ, καὶ ἄλλαι πολλαὶ αἱ συναναβᾶσαι αὐτῷ εἰς Ἱεροσόλυμα.

42. Καὶ ἤδη ὀψίας γενομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ, ὅ ἐστιν προσάββατον, 43. ἐλθὼν Ἰωσὴφ ὁ ἀπὸ Ἀριμαθαίας, εὐσχήμων βουλευτὴς, ὃς καὶ αὐτὸς ἦν προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ· τολμήσας εἰσῆλθεν πρὸς Πειλᾶτον, καὶ ᾐτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. 44. ὁ δὲ Πειλᾶτος ἐθαύμασεν εἰ ἤδη τέθνηκεν· καὶ προσκαλεσάμενος τὸν κεντυρίωνα, ἐπηρώτησεν αὐτὸν εἰ ἤδη ἀπέθανεν, 45. καὶ γνοὺς ἀπὸ τοῦ κεντυρίωνος, ἐδωρήσατο τὸ πτῶμα τῷ Ἰωσήφ. 46. καὶ ἀγοράσας σινδόνα, καθελὼν αὐτὸν, ἐνείλησεν τῇ σινδόνι καὶ ἔθηκεν αὐτὸν ἐν μνήματι ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας· καὶ προσεκύλισεν λίθον ἐπὶ τὴν θύραν τοῦ μνημείου. 47. ἡ δὲ Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ καὶ Μαρία ἡ Ἰωσῆτος ἐθεώρουν ποῦ τέθειται.

In v. 40 solum B 131 και η ιωσητος; c d ff² l q vulg Aug *Ioseph*. In v. 42 D πριν σαββατον; c quod est parasceve sabbati. In v. 43 k ausus est et introivit; constanter c d ff²; n audenter. In v. 44 ει παλαι codd longe pler; ει ηδη B D; si *iam* it vulg, item cop syr (hr) ita Ti; (sed ev hier praebet כבר quod παλαι exprimere *Smith*, Thes. syr. affirmat; frequentius *fortasse* significat) arm aeth go; syr (utr) si ante tempus. In v. 45 πτωμα א B D L aeth; rell σωμα. In v. 46 k empta palla deposuit eum et involvit; in fine add ken et abiit; lich abiit autem, uti G D aliq minusc. In v. 47 ιωσηφ A 258. l vulg aeth; D ff² n ιακωβου, c Iacobi et Ioseph; item ev hier mater Iacobi et Iose; g² gat wil Maria Iacobi et Maria Ioseph; c d ff² q notaverunt; k n viderunt.

Vide ordinem conversum : discipuli fugiunt, mulieres manent

(*Theoph.*) v. 40 *erant autem et mulieres de longe aspicientes*, scil. extra turbam (*Alb.*), *inter quas erat Maria Magdalene*, ut ab aliis eiusdem nominis Mariae distingueretur, cognomen habuit a Magdala, vico in Galilaea (de ea pluribus egi in Comment. Matth. II p. 399 seq.) *et Maria Iacobi minoris* τοῦ μικροῦ vel iunioris aetate vel parvi statura; habet cognomen ut ab altero Iacobo, filio Zebedaei distinguatur; vide ad 3,18 *et Ioseph mater*, graece Ἰωσῆτος, Iosis, *et Salome*, mater filiorum Zebedaei; v. 41 *et cum esset in Galilaea, sequebantur eum et ministrabant ei* de facultatibus suis (Luc. 8,3), uti *S. Hier. Beda* notant, consuetudinis iudaicae fuit nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum praeceptoribus ministrarent; hoc quia scandalum facere poterat in nationibus Paulus abiecisse se memorat (1 Cor. 9,5) *et aliae multae quae simul cum eo ascenderant Ierosolymam;* aliqui mirati sunt quod mater Iesu non nominaretur; unde putarunt *S. Chrys.* (hom. in Matth. 88, al. 89; *M.* 58,777) *Vict. Theoph.* Mariam Iacobi esse matrem Iesu et dici matrem Iacobi, quia quatenus Iosepho desponsata fuit etiam mater i. e. noverca fuerit filiorum Ioseph. Quam opinionem iam aliqui apud *Vict.* et *Euth.* reiiciunt. Marcus eas nomine effert quae eum secutae sunt in Galilaea eique suis facultatibus ministrarunt, inter quas mater eius non erat. Harum mulierum fortitudo et amor in Iesum et fidelitas summopere laudari debet et commendari, quae dum discipuli omnes Ioanne excepto non se sisterent ad crucem Domini, spretis contumeliis non verebantur prae se ferre quanta veneratione prosequerentur eum quem primores, milites, vulgus tamquam vilissimum hominem illudebant.

Illas quantum licuit etiam corpus Iesu ad sepulturam curasse et comitatas esse ex v. 47 satis colligitur. Qua in re utique aliis indigebant adiutoribus qui pro ea gloria quae Iesu demortuo debebatur ex oraculo Isaiae (53,9 hebr.) non deerant. Ponitur itaque iam a v. 40, uti merito dicit *Alb.*, descriptio eorum qui officium funeri Domini impenderunt pietatis v. 42 *et cum iam sero esset factum*, tempus scil. post horam nonam iam vergebat ad finem diei, *quia erat parasceve quod est ante sabbatum* προσάββατον cf. Iudith 8,6; redditur ratio cur Iesum deponi de cruce et cito sepeliri necesse fuerit; instabat enim iam sabbatum quod ab occasu solis incipiebat; παρασκευή significat apparationem, praeparationem; eo nomine designatur dies quo praeparabantur quae ad sabbatum necessaria erant. Dies itaque quo Christus crucifixus est appellatur παρασκευή; disceptant utrum ea voce tum temporis solum significata sit feria sexta hebdomadis an potius dies praeparationis vel ad sabbatum vel ad diem festum generatim. Et

Schegg quidem opinatur, cum addita declaratione dicatur προσάββατον vocem non posse significare nisi feriam sextam; sed haud immerito advertit *Schanz* etiam dies festos quandoque vocari sabbatum (ita festus dies expiationis et pascha Lev. 16,31; 23,32. 39) et nostro loco eo magis potuisse et debuisse dici προσάββατον quia παρασκευή revera fuerit feria sexta, ita ut censeri possit Marcum dedisse explicationem vocis non in universum sed eam quae illi diei propria fuerit. Ad unam feriae sextae notionem vox non videtur adstricta nisi tempore seriore [1] (cf. *Suicerus* s. v.). Notant uti Adam parens generis nostri sexta die formatus est, ita Christum alterum Adam et reparatorem damni ab illo illati sexta quoque die morte sua redemptionem perfecisse et humanae reparationis arcanum perfecisse (*Vict. Bed. Ians.*). Et ut conditor septima die ab opere requievit, ita Christum sabbato, die quietis, in sepulcro requievisse, octavo autem die resurgentem tamquam hominem novum sua resurrectione mundum innovasse vetustate peccati et mortis consumpta.

Igitur versus vesperam v. 43 *venit Ioseph ab Arimathaea*, de Ramathaim (1 Reg. 1,1) hebr. cum articulo הרמתים, LXX Ἀρμαθαίμ, urbs erat in tribu Iuda inter Bethlehem et Hebron (cf. *de Hummelauer*, Comment. in 1 Sam. p. 30 seq.), *nobilis decurio* βουλευτής, senator, membrum synedrii, uti ex Luc. 23,51 quoque colligitur; εὐσχήμων i. e. ἐπίσημος (*Vict.*), σεμνός, εὐλαβής, ἄμεμπτος (*Theoph.*); σεμνὸς καὶ κόσμιος (*Euth.*), vox proprie dicit decorum et honestum, optimam habentem formam et figuram, dein honore, auctoritate, opibus insignem, *qui et ipse* (vel sicut mulieres vel quamvis esset ex primoribus qui generatim Iesum repudiabant) *erat exspectans regnum Dei*, qui regnum messianum praestolabatur Iesumque Messiam agnoscebat, *et audacter introivit ad Pilatum et petiit corpus Iesu*, τολμήσας non potest referri ad petitionem quam Pilato proposuit. Cum enim Pilatus Iesum saepius ab omni culpa immunem declarasset et cum invitus et a Iudaeis coactus supplicio tradidisset, talis petitio nullam criminis vel suspicionis maculam in Iosephum coniicere poterat apud Pilatum, neque putandum est cum *Weiss* eum eiusmodi dubitationes Pilati quales prodit v. 44 timuisse; nam Iosephus scivit Iesum esse mortuum; cur igitur de tali cogitatione ei in mentem veniret? Sed cum tali petitione se profiteretur fautorem Iesu, non poterat non in se concitare odium et furorem principum sacerdotum aliorumque synedristarum (*Theoph. Salm. Schanz*). Hanc eius audaciam declaratam

1. Quod apud *Iosephum* Antiq. 16,6. 2 in decreto Caesaris legitur ἐν σάββασιν ἢ τῇ πρὸ ταύτης παρασκευῇ certe afferri nequit, ut ostendatur vocem solum significare feriam sextam; cur enim adderetur πρὸ ταύτης?

quoque cernimus eo quod Ioan. 19,38 refertur eum fuisse discipulum Iesu, occultum autem propter metum Iudaeorum. Ecce iam alius fructus mortis Christi; excutit istum timorem et quem non ausus est confiteri patrantem miracula et a populo festiva acclamatione salutatum, hunc crucifixum et opprobriis oneratum et mortuum generoso ac forti animo palam confiteri et agnoscere Dominum non veretur. Nunc post mortem Christi multum audet (*Vict.*); passio et mors Iesu ei attulit fortitudinem.

Cruciarii admodum lente conficiebantur, adeo ut quidam compluribus diebus penderent antequam morerentur (*Patr.*) qui scil. non, uti Iesus, cruciatibus anteactis et crudelissima flagellatione aliisque ludibriis iam pene esset enecati ante crucifixionem. Pilatus pro sua levitate et lentitudine parum curans de rebus Iesu iam oblitus esse videtur quot et quanta Iesus sustinuisset; v. 44 *Pilatus autem mirabatur, si iam obiisset, et accersito centurione interrogavit eum, si iam mortuus esset;* vide quot testimoniis mors Christi constet; ceterum cf. Ioan. 19,33. 34; v. 45 *et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Ioseph; donavit*, ea in re Pilatus ab avaritia, cuius haud immerito accusatur, sibi temperavit. Utique valde probrosum habebatur vendere interfectorum sepulturam, id quod v. g. Cicero Verri crimini vertit (5,45. 51; alia exempla vide apud *Wetstein*, *Schegg*); v. 46 *Ioseph autem mercatus sindonem;* habes iterum aliud indicium eum diem non fuisse diem maximae sollemnitatis (cf. v. 21.42; *Schanz*, *Weiss*), vide quoque Ioan. 19,39; *et deponens eum* de cruce, utique non solus, aderat Nicodemus quoque et ex discipulis saltem Ioannes, *involvit sindone*, « et ideo etiam Ecclesia corpus eius non nisi in panno lineo involvit » (*Alb.*) *et posuit eum in monumento quod erat de petra* « ditiorum Iudaeorum sepulcra in rupibus in modum cubiculi excavata erant aditusque ad ea patebat per ostium quod lapide erecto occludebatur » (*Patr.*). Censet *Salmeron* non sine divina providentia in petra fuisse excisum sepulcrum, ne possent Iudaei corpus effossum e terra per cuniculos secretos et sic a discipulis raptum calumniari, *et advolvit lapidem ad ostium monumenti*, qui erat magnus valde (16,4); ostendit saxum magnum absque auxilio plurimorum sepulcrum non potuisse reserari (*S. Hier.*).

« Laudibus celebrantur in sacris litteris qui serio operi pio mortuos sepeliendi incumbunt et inter alios summe commendatur Tobias senior et a Davide commendantur viri Iabes Galaad quod cum vitae discrimine corpus Saul ex muro Bethsan in quo fuerat appensum attulerint et honeste tumulaverint... quanta igitur sit gloria, honor et commemoratio in Ecclesia Dei Iosephi et Nicodemi, qui honorifice

Christi corpus magnaque cum fide sepulcro condiderunt testantur quattuor evangelistae quorum unusquisque non putavit hanc historiam sibi esse silentio supprimendam » (*Salmeron*, tract. 49). Neque minus commendandae sunt piae mulieres quae sicut Christo in cruce pendenti adstiterunt ita ab eo in sepulcro condito separari non posse videntur v. 47 *Maria autem Magdalene et Maria Ioseph*, Ἰωσῆτος, *aspiciebant ubi poneretur* τέθειται ubi positus esset; qui ipsum iam non possunt contemplari, amore et dolore perfusae oculos fixos habent ibi ubi Iesus conditus iacet. Ita scil. est amantium, qui si amicus iam non aspici potest oculis quaerunt absentem, oculis sequuntur abeuntem, oculos animosque pascunt contemplatione eorum quae eius memoriam revocant. Plerique tamen ideo aspexisse eas explicant, ut congruo tempore redirent ad sepulcrum et ungerent corpus Iesu officium pietatis et devotionis funeri impendentes (*Bed. Alb. Salm. Fil.*). Verum solummodo locum notasse, ut postea rite eum invenirent, certe nimis ieiunum est; saltem addi debet eas constitui testes uti mortis, ita sepulturae, quo meliores quoque evaderent testes resurrectionis. Sed in ἐθεώρουν prius illud exprimi censeo eas magno cum Iesu desiderio contemplatas esse eius sepulcrum et iam suo exemplo et sua devotione praeisse omnibus illis qui per saecula non verebantur nec verentur subire itineris longi molestias, ut ipsi quoque aspicerent ubi positus esset.

TERTIA PARS 16,1-20.

a) **Angelus annuntiat Iesum surrexisse 16,1-8.**

16,1. Et quum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Iacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum. 2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum orto iam sole. 3. Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? 4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. 5. Et introeuntes in monumentum viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.

6. Qui dicit illis : Nolite expavescere, Iesum quaeritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hic; ecce locus ubi posuerunt eum. 7. Sed ite, dicite discipulis eius, et Petro, quia praecedit vos

16,1. Καὶ διαγενομένου τοῦ σαββάτου, Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Σαλώμη ἠγόρασαν ἀρώματα, ἵνα ἐλθοῦσαι ἀλείψωσιν αὐτόν. 2. καὶ λίαν πρωὶ μιᾷ τῶν σαββάτων ἔρχονται ἐπὶ τὸ μνημεῖον, ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. 3. καὶ ἔλεγον πρὸς ἑαυτάς, Τίς ἀποκυλίσει ἡμῖν τὸν λίθον ἐκ τῆς θύρας τοῦ μνημείου; 4. καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀνακεκύλισται ὁ λίθος· ἦν γὰρ μέγας σφόδρα. 5. καὶ ἐλθοῦσαι εἰς τὸ μνημεῖον, εἶδον νεανίσκον καθήμενον ἐν τοῖς δεξιοῖς, περιβεβλημένον στολὴν λευκήν· καὶ ἐξεθαμβήθησαν. 6. ὁ δὲ λέγει αὐταῖς, Μὴ ἐκθαμβεῖσθε. Ἰησοῦν ζητεῖτε τὸν Ναζαρηνὸν τὸν ἐσταυρωμένον· ἠγέρθη, οὐκ ἔστιν ὧδε· ἴδε ὁ τόπος ὅπου ἔθηκαν αὐτόν. 7. ἀλλ' ὑπάγετε, εἴπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ Πέτρῳ, ὅτι

in Galilaeam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. 8. At illae exeuntes, fugerunt de monumento : invaserat enim eas tremor et pavor; et nemini quidquam dixerunt; timebant enim.

προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν· ἐκεῖ αὐτὸν ὄψεσθε, καθὼς εἶπεν ὑμῖν. 8. Καὶ ἐξελθοῦσαι ἔφυγον ἀπὸ τοῦ μνημείου· εἶχεν γὰρ αὐτὰς τρόμος καὶ ἔκστασις· καὶ οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον, ἐφοβοῦντο γάρ.

In v. 1 D nihil nisi και πορευθεισαι ηγορασαν etc; similiter n, k et sabbato exacto abierunt et adtulerunt aromata; codd vulg ungerent *eum*; Iesum K ^{2} M X mu minusc. In v. 2 μια ℵ B L Δ pauc minusc cop Eus : al της μιας; D ανατελλοντος; item *oriente* sole Aug c n q (q et sole oriente dicebant). Ita v. 4 ην γαρ μεγ. σφοδρα και ερχονται και ευρισκουσιν αποκεκυλισμ. τον λιθον D Eus, item c d ff ^{2} n syr (hr); k vero haec addit : subito autem ad horam tertiam tenebrae diei factae sunt per totum orbem terrae et descenderunt de caelis angeli et surgent (?surgentes) in claritate vivi Dei simul ascenderunt cum eo et continuo lux facta est. Tunc illae accesserunt ad monimentum et vident revolutum lapidem, fuit enim magnus nimis. In v. 5 B 127. ελθουσαι; rell εισελθουσαι. In v. 6 D ff ^{2} αυταις ο αγγελος; k quid stupetis? In v. 7 aliq minusc ειπατε οτι ηγερθη απο των νεκρων και ιδου προαγει. In v. 8 E al non mu εξελθουσαι ταχυ.

Iam impletur illud quoque : et tertia die resurget (**9,31** ; **10,34**). Primus nuntius resurrectionis affertur piis mulieribus eaeque tamquam nuntiae ad discipulos mittuntur; constantia sua et pietate hoc praemium meruerunt; v. **1** *et cum transisset sabbatum* i. e. post occasum solis (*Cai.*); nam simulac sabbatum esset finitum, commercia et negotia denuo fervere incipiebant, *Maria Magdalene et Maria Iacobi et Salome emerunt aromata;* id contrarium esse ei quod Lucas refert, *Weiss* contendit : revertentes paraverunt aromata et unguenta et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum (Luc. **23,56**). Sed nisi quis perfracte contrarietates exquirere vult, utraque narratio modo obvio ac facillime conciliatur. Utique non opus est ad id cum aliquibus (Grotius, Rosenmüller) ἠγόρασαν tamquam plusquamperfectum explicare. Narrat Lucas eas postquam reversae erant a sepulcro aromata parasse (ὑποστρέψασαι, non *revertentes*); narrat autem id eas sabbato non fecisse, sed religiose ab omni opere quievisse. Nihil est quod Marco contradicat. At dicunt secundum Lucam ante sabbatum, ex Marco post sabbatum emerunt aromata. Verum Lucas non dicit eas *ante* sabbatum emisse; vel quid contrarii in eo si vespere feriae sextae inceperint *parare*, dein sabbato transacto ad id quod paraverant aliud *emunt?* Aromata, odoramenta, herbae odoriferae admiscebantur unguentis, *ut venientes ungerent Iesum;* ei enim quem viventem dilexerant etiam mortuo studio humanitatis obsequuntur (*S. Greg.* hom. 21 in evang. n. 2; *Beda.*). Tam parum intellectum est repetitum illud : tertia die resurget! « non sapiebant enim dignitatem divinitatis Christi nec resurrectionis eiusdem, sed amabant tenerrime Iesum ut hominem et prophetam, licet iam mortuum » (*Lap.*).

Et quam primum illucescente die licet se ad opus accingunt; v. 2 *et valde mane una sabbatorum* i. e. prima die hebdomadis; notum est ex usu hebr. אֶחָד etiam εἷς *primus* usurpari (cf. Matth. 28,1); uti שַׁבָּת hebr. (Lev. 23,15; 25,8) et in talmude et apud Syros etiam pro hebdomada adhibetur, ita τὰ σάββατα et etiam τὸ σάββατον (cf. Luc. 18,12) *veniunt ad monumentum orto iam sole;* etiam hic Marcum repugnare aiunt narrationi Lucae 24,1, et Ioan. 20,1, immo sibi ipsi (*Weiss*); nam *valde mane* et *orto iam sole* non satis concordare. At notum est in Palaestina diluculum esse multo brevius quam apud nos, ita ut diluculo exorto statim etiam sol appareat. Quare *valde mane* i. e. tempore diluculi sese dant in viam vel etiam prope sepulcrum adveniunt; verum sine longiore intervallo regio iam solis luce illustratur. Quod Ioan. 20,1 habetur : mane cum adhuc tenebrae essent, de diluculo erit explicandum; nam mulieres per densas tenebras ambulasse et ad sepulcrum pervenisse tamen incredibile est, praesertim cum statim addatur *visum* esse lapidem sublatum. Facilius rem componit *S. Aug.* qui legit *oriente* iam sole (vide lect. var.) i. e. « cum coelum ab orientis parte iam albesceret, quod non fit utique nisi solis orientis vicinitate, eius enim est ille fulgor qui nomine aurorae appellari solet; ideo non repugnat ille qui ait : cum adhuc tenebrae essent; die quippe surgente aliquae reliquiae tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux » (de cons. evang. 3,24. 65).

Dum in via essent, sollicitae erant de lapide v. 3 *et dicebant ad invicem*, ita quoque explica πρὸς ἑαυτάς inter se, non : apud se dicebant vel cogitabant, *quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* ergo de custodibus et sigillo apposito nihil audierunt; id quod minime mirum est; nam sabbato quo custodes positi sunt et lapis signatus (Matth. 27,62-66) illae ἡσύχασαν quieverunt, domi in luctu et moerore versatae sunt; discipuli quoque ob timorem Iudaeorum se domi continebant foribus clausis (cf. Ioan. 20,19); quis itaque eis talem attulisset nuntium? Quare ridiculum est quod aliqui ex ignoratione mulierum concludunt rem a Matthaeo narratam esse ad fabulas reiiciendam. Verum quam primum satis prope accedunt v. 4 *respicientes* ἀναβλέψασαι oculis elevatis, lugentes incedunt oculis demissis; ad locum sepulcri erat ascendendum, unde sursum aspicientes *viderunt revolutum lapidem*[1]; *erat quippe magnus valde* « reddit causam sollicitudinis mulierum » (*Alb.*); ita addi quod proprie pertinet ad v. 3 merito ad-

1. Quem lapidem *S. Cyr.* hier. ad hunc usque diem (μέχρι σήμερον) prope monumentum iacere saepius asserit (cat. 13,39 et 14,22); *S. Hier.* ep. 27 olim, nunc 108 (epitaphium Paulae) : « ingressa sepulcrum resurrectionis osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti removerat angelus » (*M.* 22,884).

mittitur (*Dion. Schegg, Bisp. Schanz*); alii explicant visum esse lapidem quia erat magnus valde (*Fil. Keil, Weiss*) iam a longinquo; sed a longinquo gratuito verbis additur; neque opus est cum *Lamy* statuere ellipsin : viderunt lapidem revolutum id quod commode ipsis evenit, quia magnum erat saxum.

Pleraque sepulcra saxis excisa constant duobus, aliqua tribus, immo et septem cubiculis (*Iahn*, Archaeol. bibl. § 207). Cum Iosephus sepulcrum pro se excidendum curasset, duo cubicula sufficiebant; in interiore recondebatur corpus; spelunca prior pro vestibulo erat, de qua mentionem facit *S. Cyrillus* hier. sed quam iam non apparere dicit, eo quod praesentium ornamentorum instituendorum gratia (διὰ τὴν παροῦσαν εὐκοσμίαν, aedificium a Constantino erectum intellige) olim erasa sit anterior spelunca (cat. 14,9; *M.* 33,833); v. 5 *et introeuntes in monumentum viderunt iuvenem sedentem in dextris*, Marcus describit eum ex specie et forma qua apparuit, Matthaeus eum nominat angelum designans naturam; angelus erat in specie adolescentis visus. « Viderunt angelum sedentem ad meridianam partem loci illius, ubi positum fuerat corpus Iesu; hoc namque erat in dextris » (*Beda*); *coopertum stola candida*, « stola candida coopertus apparuit quia festivitatis nostrae gaudia nuntiavit; candor enim vestis splendorem nostrae denuntiat sollemnitatis; nostrae dicamus an suae? sed ut fateamur verius, et suae dicamus et nostrae. Illa quippe Redemptoris nostri resurrectio et nostra festivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit et angelorum festivitas exstitit, quia nos revocando ad coelestia eorum numerum implevit. In sua ergo et nostra festivitate angelus in albis vestibus apparuit, quia dum nos per resurrectionem dominicam ad superna reducimur, coelestis patriae damna reparantur » (*S. Greg.* in evang. hom. 21,2; *Beda*), vel ut *Alb.* ait, candor vestis significat amictum luminis quo Christus iam corporaliter indutus est. Apte quoque *Dion.* in candida veste designari dicit angelicae puritatis splendorem et sanctitatem, quae vestis eum decuit qui erat nuntius verae lucis et civis supernae claritatis. Lux symbolum est beatitatis; Deus lumine amictus in s. litteris describitur; qui ergo Deo proxime assistunt et eius gloria fruuntur, merito apparent in veste candida; ad visionem autem coelestem quae adeo inexspectato illis offertur *obstupuerunt*, ἐξεθαμβήθησαν attonitae et perterrefactae sunt, uti accidere solet si ad hominem mortalem apparitio colestis accedit (cf. Is. 6,5 hebr. Ez. 2,1. Dan. 7,15; 10,7. Luc. 1,12. 29; 2,9).

Blande eas alloquitur v. 6 *qui dixit illis : nolite expavescere; Iesum quaeritis Nazarenum*, etiam Iesus ipse se dicit Nazarenum Act. 22,8, quasi nomen ab aliis contemptui habitum sibi velit gloriae singulari

vertere; cf. Matth. 2,23; simul eo nomine veritas vitae eius humanae asseritur; *crucifixum*, non veretur eum vocare crucifixum; nam in eo est salus hominum et omnium bonorum summa (*Vict. Theoph. Lap.*); evanuit radix amara crucis, flos enim vitae cum fructibus erupit (*Ps. Hier.*); *non est hic; ecce locus ubi posuerunt eum;* v. 7 *sed ite*, ἀλλά significat sermonem inceptum quasi abrumpi et celeriter transiri ad admonitionem (cf. Matth. 9,18. Marc. 9,21. Luc. 7,7. Ioan. 12, 27. Act. 10,20; vide *Winer* § 53,7). Alii tacitam aliquam oppositionem fingunt vel ad unctionem quae iam non sit necessaria, vel ad *ecce locus*, ne scil. in eius contemplatione diutius versentur, sed statim tendant ad discipulos. At haec nimis subtiliter excogitata sunt; *dicite discipulis eius et Petro quia praecedit vos in Galilaeam, ibi eum videbitis;* prima quasi resurgentis Domini cogitatio et cura est de discipulis; eo ipso quod promittit per angelum se ad eos venturum, tristes maxime consolatur, dolentes de fuga et erigit et se illos prisco amore etiamnum complecti ostendit. Si verba haec discipulis solatio et gaudio esse debebant, recte concludendum erit cum plurimis *et Petro* qui singulari ratione ex omnibus nominatur, cui itaque ea speciali quodam modo dicenda sunt, ob negationem omnem eximi timorem et Dominum eum ex nomine vocasse, quo certior esset de venia et amore Iesu (cf. *S. Greg.* hom. 21,4, *Vict. Euth. Ps. Hier. Bed. Alb. Cai. Fab. Mald. Lap. Fil. Keil, Cook*); huic rationi alii adiungunt alteram, designari Petrum et honorari tamquam primum et primatem inter discipulos (*Theoph. Dion. Salm. Sylv. Calm.*) et recentiores (*Schegg, Reischl, Bisp. Schanz, Poelzl*) solum hanc alteram rite afferri contendunt. Sed cum certe nuntius discipulis missus sit ad eos erigendos, consolandos, reddendos certiores de eodem quo antea in eos Iesu amore, non video cur cum *Schanz* dicendum sit priorem explicationem nunc merito generatim (?) reiici; immo altera potius posset esse suspecta, quia quae ad Petri dignitatem et eminentiam spectant neque Petrus narrare neque Marcus litteris consignare consuevit, uti ipse *Schanz* p. 17 monet res praecipuas quae Petro honori sint desiderari in Marci evangelio. Aliter *Weiss*, Petrum nominari quia specialis de eo ab aliis referatur Christi apparitio. Sed ut alia mittam, si Marcus id spectasset, debuit Iacobum quoque nomine efferre, cum ipse quoque speciali apparitione honoratus sit (1 Cor. 15,17).

Demum angelus id addit quo discipuli et mulieres quoque quae Iesum quasi in sepulcro perpetuo maneret ungere volunt leniter reprehenduntur: *sicut dixit vobis;* cf. 14,28; dein saepius suam praedixerat resurrectionem futuram die tertio, ita ut ipsi synedristae eius praedictionis haberent notitiam (Matth. 27,62). Quare merito innuit

angelus quam parum discipuli et mulieres rationem habuerint verborum Christi : en haec omnia vobis dixit et vos! — Venerant mulieres ad sepulcrum cum luctu, dolore, sollicitudine: apparitione illa inexspectata et incognita perterrefactae sunt: quae angelum loquentem audierant, illis quoque accidunt minime opinantibus; praeterea subita tot affectionum successione et mutatione exagitantur; quare ad animorum praesertim muliebrium conformationem plane consentaneum est quod sequitur v. 8 *at illae exeuntes fugerunt de monumento; invaserat enim eos tremor et pavor* τρόμος corpore tremebant, ἔκστασις vehementi agitatione quasi mentis abalienationem et stuporem passae; *et nemini quidquam dixerunt, timebant enim;* Marcus itaque refert quae mulieres eo ipso tempore expertae sunt et quae reduces a sepulcro omiserunt. Verum manifestum est mulieres sedata paulatim illa animorum agitatione et excitatione quae vehementissime in corpus quoque redundaverat, verba angeli secum perpendisse eaque intellexisse et de Iesu resurgente esse gavisas. Certum quoque est illud *nemini quidquam dixerunt* ita esse intelligendum, ut quod ab angelo iussae erant non statim reduces a sepulcro, uti angeli verba praecipiunt, discipulis enarraverint. Eas postea de iis quae viderant et audierant etiam aliis narrasse et narrasse, praesertim cum Magdalene et Petrus et Ioannes sua quoque quae in sepulcri loco viderant exposuerint, quis in dubium vocabit? Unde facile patet Matthaeum et Lucam scribere potuisse illas exiisse cum timore et *gaudio* et nuntiasse haec omnia undecim et ceteris omnibus. Hi enim rem quae *per eum diem* gesta est succincte et summatim narrant; Marcus effert ea solum quae statim ab apparitione facta et omissa sunt. Quare distingue tempora et concordat narratio.

Apparentem contradictionem *nemini quidquam dixerunt* et Matth. 28,8 et Luc. 24,9 aliqui ita solvere conabantur, ut explicarent : iis videlicet quos cum a sepulcro redirent obvios habebant nihil dixerunt (*Euth. Cai. Salm. Tirinus, Lamy, Calm. Patr. Fil.* etiam *Grotius, Hammond, Knabenb.*), quae tamen acceptio subtilior est nimisque coacta. Pariter nequit admitti quod habent *S. Aug.* (de cons. evang. 3,24. 64) *Bed. Fab.* eos nemini angelorum quidquam dixisse, non respondisse ad ea quae ab angelo audierant; item reiiciendum est eas nihil dixisse custodibus quos iacentes viderant (*S. Aug. Dion.*).

Sicut Petrus per mulierem ad negationem inductus est, ita per mulierem nuntius ei mittitur Iesu resurgentis, ut quem femina fecerat negare, femina faceret confiteri (*Druthmar, Sylv.*). Et *Salmeron* advertit : sicut colloquium angeli cum beatissima Virgine Maria initium fuit nostrae salutis, ita colloquium angelorum post Christum suscitatum cum mulieribus, inter quas Mariae erant, nostrae fuit initium reparationis. Per angelos autem im-

primis conveniebat Christi resurrectionem primum nuntiari, quia qui gloriam eius futuram praedixerat (Luc. 1,32) is etiam gloriam iam praesentem annuntiare debere merito censetur et quia consentaneum erat, ut priusquam se Dominus videndum exhiberet, per aliquos testes corda hominum praepararentur ad fidem, sicut ante ipsum missus fuit Ioannes baptista ad parandam Domino plebem perfectam (*Ians.*). Simul angelorum commercium cum hominibus et eorum nostrae salutis studium illustratur; cf. *Salmeron* t. 11 tract. 11.

b) **Iesus varie se manifestat 16,9-20.**

16,9. Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalene, de qua eiecerat septem daemonia. 10. Illa vadens nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus. 11. Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. 12. Post haec autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam; 13. Et illi euntes nuntiaverunt caeteris : nec illis crediderunt.

14. Novissime recumbentibus illis undecim apparuit; et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis; quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

15. Et dixit eis : Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit;qui vero non crediderit, condemnabitur. 17. Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur : In nomine meo daemonia eiicient, linguis loquentur novis;

18. Serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super aegros manus imponent, et bene habebunt.

19. Et Dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei. 20. Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

16,9. Ἀναστὰς δὲ πρωὶ πρώτῃ σαββάτου ἐφάνη πρῶτον Μαρίᾳ τῇ Μαγδαληνῇ, ἀφ' ἧς ἐκβεβλήκει ἑπτὰ δαιμόνια. 10. ἐκείνη πορευθεῖσα ἀπήγγειλεν τοῖς μετ' αὐτοῦ γενομένοις, πενθοῦσιν καὶ κλαίουσιν. 11. κἀκεῖνοι ἀκούσαντες ὅτι ζῇ καὶ ἐθεάθη ὑπ' αὐτῆς ἠπίστησαν. 12. Μετὰ δὲ ταῦτα δυσὶν ἐξ αὐτῶν περιπατοῦσιν ἐφανερώθη ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, πορευομένοις εἰς ἀγρόν. 13. κἀκεῖνοι ἀπελθόντες ἀπήγγειλαν τοῖς λοιποῖς· οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν.

14. Ὕστερον ἀνακειμένοις αὐτοῖς τοῖς ἕνδεκα ἐφανερώθη, καὶ ὠνείδισεν τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν καὶ σκληροκαρδίαν, ὅτι τοῖς θεασαμένοις αὐτὸν ἐγηγερμένον οὐκ ἐπίστευσαν·

15. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, Πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει· 16. ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται· ὁ δὲ ἀπιστήσας κατακριθήσεται. 17. σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασιν ταῦτα παρακολουθήσει· ἐν τῷ ὀνόματί μου δαιμόνια ἐκβαλοῦσιν· γλώσσαις λαλήσουσιν καιναῖς· 18. ὄφεις ἀροῦσιν, κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν, οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψῃ· ἐπὶ ἀρρώστους χεῖρας ἐπιθήσουσιν καὶ καλῶς ἕξουσιν.

19. Ὁ μὲν οὖν Κύριος, μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ· 20. ἐκεῖνοι δὲ ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχοῦ, τοῦ Κυρίου συνεργοῦντος, καὶ τὸν λόγον βεβαιοῦντος διὰ τῶν ἐπακολουθούντων σημείων.

Legitur haec pars in A C D E F G H K L M S U V X Γ Δ Π al fere omnes c ff^{2} g$^{1\,2}$ l n q vulg sah (v. 20) go (deficit a v. 12) syr (utr, hr); Ir Const Caes Iacob nisib Greg nyss;

merito quoque adduci possunt Hermas, Iust Tatian (cf. *Cornely*, Introd. III p. 94 seq.). De quo loco vide infra.

In v. 9 F mu minusc et codd vulg sat mu Thph addunt *Iesus; primo* omittit ev hier. In v. 10 ev hier illis qui lugebant et flebant cum ipsa. In v. 11 D και ουκ επιστευσαν αυτη. In v. 14 εγκγ. εκ νεκρων A C* X Δ al 20 arm syr (p); et nuntiantibus non crediderunt o q mt lich ken. In v. 18 aliq codd praemittunt και εν ταις χερσιν; item cop arm syr (cu, p). In v. 19 κυριος ις C* K L Δ aliq minusc vulg (excipe am cav dub ept ing for med ken rush lind) cop arm aeth Ir syr (cu, utr). In v. 20 in fine codd pler addunt amen; item am dub fuld hub for med ox harl c o cop aeth.

Aliam quoque evangelii clausulam exhibet L παντα δε τα παρηγγελμενα τοις περι τον πετρον συντομως εξηγγιλαν· μετα δε ταυτα και αυτος ο ις απο ανατολης και αχρι δυσεως εξαπεστιλεν δι αυτων το ιερον και αφθαρτον κηρυγμα της αιωνιου σωτηριας quam k ita (correctis mendis aliquibus) habet latine : omnia autem quaecumque praecepta erant et qui cum Petro erant breviter exposuerunt. Post haec et ipse Iesus apparuit et ab oriente usque in occidentem misit per illos sanctam et incorruptam praedicationem salutis aeternae. Amen. Hisce plane similia etiam habentur in aeth syr (p, marg).

Quod vacuo sepulcro et verbis angeli demonstratur Iesum a mortuis surrexisse, evangelista ulterius tribus Iesu apparitionibus probat, in quarum enarratione id cumprimis effert quam difficiles discipuli se praebuerint ad credendum. Qua re veritas resurrectionis valentissime evincitur, quia postea maxima qua poterant persuasione hanc resurrectionem tamquam fidei fundamentum inconcussum praedicarunt et pro fide Christi vitam et sanguinem fuderunt. Uti saepius per vitam Iesu publicam apostoli a Marco describuntur tardi ad intelligendum et quasi obcaecati (6,52; 7,18; 8,17-21), ita eiusdem indolis in hac quoque parte esse dicuntur. Quemadmodum in initio baptismum et tentationes Christi breviter perstrinxit, ita nunc in fine solum summatim et valde concise narrat de apparitionibus, id unum prae oculis habens ut ipsis rebus gestis Iesum resurrexisse ostendat. In ipsa enarratione et in testibus adducendis aliqua utitur gradatione; apparet Iesus mulieri, dein duobus qui non sunt apostoli (iis hi non adhibent fidem), demum ipsis apostolis. Ex variis Christi apparitionibus sobrie seligit tantum quantum sufficit ad rei veritatem persuadendam; v. 9 *surgens autem mane prima sabbati* i. e. prima die hebdomadis, etiam σάββατον etsi rarius notione hebdomadis adhibetur; ceterum etiam lectio σαββάτων saepius h. l. reperitur, *apparuit primo Mariae Magdalene* ἀναστάς postquam surrexit; disceptant utrum *mane prima sabbati* referri oporteat ad tempus resurrectionis designandum, an ad *apparuit;* illud adoptant *Bed. Alb. Dion. Fab. Cai. Lamy, Schegg, Bisping, Reischl, Schanz, Fil.;* hoc *Vict. Theoph. Euth.* Illud commendari videtur ipsa collocatione et eo quod *apparuit* adiecta alia determinatione *primo* ab antecedentibus seiungitur. Cui acceptioni utique non obstat quod *Theoph. Euth.* obiiciunt neminem scire posse tempus resurrectionis

(cur enim Christus ea de re non potuisset loqui apostolis?), verum potius illud λίαν πρωΐ *valde mane* in v. 2; ne scil. videatur feminas ad sepulcrum venisse valde mane, ergo ante Christi resurrectionem quippe qui non surrexerit nisi mane. Sed dici potest cum *Schanz* illud *valde mane* restringi cum addatur *orto sole*, dum hic *mane* dicatur absolute; « valde congrue dies aeternitatis gloriosorum corporum incipit cum aurora; resurrectio enim Christi est initium universalis resurrectionis omnium corporum, sicut aurora est initium diei » (*Cai.*).

Apparet Mariae Magdalene, *de qua eiecerat septem daemonia;* cf. Luc. 8,2. De hac Maria iam mentio facta 15,40. 47 et 16,1; sed hoc loco id additur, quo magis gratia Christi commendetur, quia illa quae olim fuit habitaculum daemonum (idque probabilissime non sine sua culpa), prae reliquis feminis quae Christo ministraverant Christi apparitione honoratur et gaudio completur. Quare merito *Alb.* illud applicat, ut ubi abundavit delictum superabundaret et gratia (sim. *Ians. Lap. Schanz, Fil.*). Quare perperam asserit *Weiss,* Mariam hic induci tamquam incognitam, quamvis ex 15,40 etc. iamdudum nota sit, ideoque ostendi hanc partem ab alio assutam esse spuriam. Illa enim, uti veteres iam bene perspexerunt, non adduntur, ut quae mulier sit dicatur, sed ut efferatur *quali* pro sua benignitate et clementia Iesus eum honorem et maximam consolationem afferre dignatus sit. Et cur mulier seligatur ad primum nuntium perferendum, hanc affert rationem *S. Ambrosius* (et ex eo *Beda*) : « sicut in principio mulier auctor culpae fuit, vir exsecutor erroris, ita nunc quae mortem viro prior gustaverat, resurrectionem prior vidit, culpae ordine et remedio prior; quae culpam viro transfuderat, transfudit et gratiam veterisque lapsus compensat aerumnam resurrectionis indicio » (in Luc. lib. 10 n. 156; *M.* 15,1843).

Illud *primo* iam *Rupertus*, abbas tuitiensis, ita explicat, ut inter testes qui Christi resurrectionem nuntiare debuerint primo apparuerit Mariae Magdalene (de divinis officiis 7,25; *M.* 170,206) eandemque explicationem alii quoque amplectuntur, uti *Salmeron* tract. 11, *Ians. Mald.* et generatim ita explicari posse, ut prima viderit Dominum inter eos de quibus evangelica narratio mentionem facit, a modo et more loquendi hominum non est alienum et concedunt quotquot sentiunt Dominum primo prae omnibus apparuisse beatissimae matri suae. De qua sententia liceat hic per abundantiam aliqua addere. Eam iam enuntiat *Sedulius* in carmine paschali lib. 5 v. 360 seq.: « Quae (Maria) cum clarifico semper sit nomine mater, Semper virgo manet, huius se visibus astans Luce palam Dominus prius obtulit ut bona mater Grandia divulgans miracula quae fuit olim Advenientis iter haec sit redeuntis et index » (*M.* 19,743); eandemque statuit *Eadmerus*, discipulus

S. Anselmi cantuarensis in libro de excellentia b. Mariae cap. 6, Christum suae dulcissimae matri primo ac praecipue apparuisse (*M.* 159,568; qui liber saepe allegari solet sub nomine ipsius S. Anselmi) et *Rupertus* eam proponit simulque ostendit cur beata Virgo inter testes vel nuntias non enumeretur: « numquid illam nuntiare decebat, ut verba eius tamquam deliramenta viderentur ante apostolos? si enim extraneorum verba feminarum visa sunt eis tamquam deliramenta, quomodo non magis matrem amore filii delirare crederent? verissime ergo matri Filius resurgens apparuit, et illi ante omnes fortasse mortales » (de div. off. l. c.). Et *Alb.* : « matri Mariae virgini beatae apparuit omnium primo, non ut probaret resurrectionem, sed ut eam visu suo laetificaret ».

Pro qua sententia quandoque laudatur quoque S. Ambrosius, quia dicat : vidit ergo Maria resurrectionem Domini et prima vidit et credidit ; vidit et Maria Magdalene quamvis adhuc ista nutaret (de virgin. 3; *M.* 16,270); verum si quis legerit quae s. doctor scribit distinguens *duas* Marias magdalenas in Luc. lib. 10 n. 153 seq. perspiciet eum nequaquam de Maria matre Iesu eo loco esse locutum. Sed etsi s. Ambrosii testimonium invocari nequeat, haec sententia tamen ita evasit communis, ut *Suarez* dicat : « absque ulla dubitatione credendum est Christum post resurrectionem primum omnium matri suae apparuisse; quae sententia ex ipsis terminis adeo est per se credibilis, ut fere sine controversia omnium fidelium et doctorum animis insederit, atque ita docent omnes scriptores catholici qui hanc quaestionem attigerunt » (in 3 p. qu. 55 disput. 49 sect. 1 n. 2). Eandemque sententiam *Ians.* commendat dicens pietatem non parum suadere ut credamus Dominum prius apparuisse matri suae; illamque omnino tenent *Mald. Lap. Sylv.* (lib. 9 cap. 1 qu. 8) *Benedictus* XIV (de festis 8,45), *Fil. Meschler* (Leben Jesu) et merito affirmari potest quod *S. Ignatius* Loyola scribit in libello exercitiorum, cum Scriptura dicat Christum apparuisse multis, licet non nominatim matrem eius exprimat, id nobis tamen relinqui pro certo primum apparuisse matri suae, tamquam intellectum habentibus, ne alioquin iure audiamus illud : adhuc et vos sine intellectu estis!

Maria Magdalene prima affert nuntium apostolis et discipulis v. 10 *illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant lugentibus et flentibus:* ἐκείνη ponitur cum emphasi (aliqui testes addunt δέ), *illa* vadit et nuntiat; proin respicitur ad v. 8; οἱ μετ' αὐτοῦ γενόμενοι potest apostolos designare, vide 3,14, sed etiam sensu latiore discipulos qui ei adhaerere eumque sequi solebant, uti 5,18 dictio usurpatur. Hoc sensu latiore hic adhiberi elucet ex v. 12. Comites autem Iesu ita animos habent luctu de morte Iesu occupatos iisque quae feria sexta evenerant quasi captivatos, ut alia iisque contraria nequeant admittere v. 11 *et illi audientes quia viveret et visus esset ab ea non crediderunt* ἠθετήθη spectatus est; vox habet aliquid sollemnitatis et indicat quam certo Maria affirmaverit se claro et distincto conspectu Iesum vidisse; nihi-

lominus illis visa sunt sicut deliramentum verba ista (Luc. 24,11). Merito carpit hoc loco *Fil.* quanta levitate et audacia Renan asserat quod resurrectio credita sit potissimum effectum esse a Maria Magdalene[1]; similiter non veretur scribere verbum istud surrexit fulguris instar apud discipulos propagatum esse et ubique pro illorum amore facile esse creditum. Verum plane contrarium elucet ex evangeliis. Id altero quoque exemplo ostenditur v. 12 *post haec autem duobus ex his,* scil. qui fuerant cum eo v. 10, sed hi erant ex discipulis uti patet ex Luc. 24,13, quorum unus Cleophas appellabatur, *ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in villam,* in Emmaus scil. εἰς ἀγρόν abeunt rus, in oppositione ad urbem; illis sese manifestavit in forma, in specie externa diversa (ἑτέρᾳ) ab ea scil. quam habuit ante resurrectionem; ita breviter innuere videtur quod Luc. 24,30. 31 narrat; alii quandoque concipiunt: in specie peregrini (*Alb.*); utique tamquam talis cum iis ambulavit, sed in ea non est agnitus; ergo vix in ea forma iis ἐφανερώθη; vel in alia forma ab ea in qua Mariae Magdalene apparuit (*Fab.*); sed nullo indicio suadetur hanc partem referri ad v. 9 ubi in qua forma visus sit neutiquam indicatur; v. 13 *et illi euntes nuntiaverunt ceteris nec illis crediderunt;* Luc. 24,33 invenerunt congregatos undecim et eos qui cum illis erant dicentes : quod surrexit Dominus vere et apparuit Simoni. Quomodo ergo : nec illis crediderunt? ex hac apparente dissonantia statim sequitur hanc partem non esse postea ab alio quodam assutam; ille enim sedulo cavisset ne narrationem suam tali differentia et apparente contradictione redderet suspectam. Sed Marcus hic quoque rem brevi complectitur : ne eorum quidem narratione ita stabilem de resurrectione conceperunt fidem, ut non statim iterum dubitarent; res ita videbatur incredibilis, ut quod dixerant vere surrexisse Dominum mox ipsi iterum in dubium vocarent; id quod ex Luc. 24,37 satis patet. Et si vehementissimae illae commotiones considerantur quibus animi eorum in partes contrarias quasi discerpebantur, non videbitur mirum eos mox iterum dubitatione redditos esse ancipites, cum ipsi Dominum non vidissent et Dominus diceretur quidem apparuisse, at mox iterum evanuisse. Sed talis exsistendi modus eorum intelligentiae vim plane fugiebat. Quid ergo magis obvium quam ut ne illis quidem fidem adhiberent stabilem, firmam, constantem?

1. Et pourtant M. E. Renan, Les Apôtres p. 13, affirme audacieusement « que la gloire de la résurrection appartient à Marie de Magdala. Après Jésus, c'est Marie qui a le plus fait pour la fondation du Christianisme. Sa grande affirmation de femme : il est ressuscité! a été la base de la foi de l'humanité ». Et alibi scribit : « le cri : il est ressuscité! courut parmi les disciples comme un éclair. L'amour lui fit trouver partout une créance facile » (Vie de Jésus, chap. 26; p. 440 éd. 16).

Bene advertit *S. Gregorius* : « quod resurrectionem dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est, quae dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de illorum dubitatione solidamur? Minus enim mihi Maria Magdalene praestitit quae citius credidit quam Thomas qui diu dubitavit. Ille etenim dubitando vulnerum cicatrices tetigit et de nostro pectore dubietatis vulnus amputavit » (hom. in evang. 29,1); similiter *S. Leo*, serm. 73 (al. 71) n. 3; *M.* 54,395.

Ex apparitionibus quae ipsis apostolis fiebant unam commemorat evangelista qua demum illis omnis dubitatio exempta et sublata est v. 14 *novissime* ὕστερον postea (*Fab. Mald. Schanz, Fil.*) *recumbentibus illis undecim apparuit et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis,* discipulorum indolem indocilem et tardam, uti alias, ita hic quoque evangelista verbis sat gravibus effert; atque profecto postquam Iesus saepius adeo clare praedixit se surrecturum tertia die, erat merito exspectandum apostolos visa impletione aliorum vaticiniorum facile nuntio de resurrectione esse credituros. Quare eam Christi reprehensionem omnino meriti sunt, *quia iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt;* quaerunt de qua apparitione hic referatur. Aliqui ob *novissime* et ea quae sequuntur esse ultimam ante ascensionem Domini existimant (*Patr.*). Sed ὕστερον eam notionem non habet; dein haec exprobratio certe non facta est postquam Iesus per quadraginta dies iis se vivum praebuit in multis argumentis apparens eis et loquens de regno Dei (Act. 1,3). Et cum hoc loco narratio sit valde succincta, nullo modo necesse est assumere ea quae v. 15 dicuntur ad eandem pertinere apparitionem. Uti inter v. 19 et v. 20 longius temporis spatium intercedit, ita quoque inter v. 14 et v. 15, id quod etiam inserto *et dixit eis* haud obscure innuitur. Cum *undecim* nominentur, putant aliqui die octavo post resurrectionem factam esse hanc apparitionem; eo enim tempore Thoma quoque praesente et *undecim* aderant et aliqua reprehensio facta est (*Fab. Mald.*). Quam maxime convenire videtur, ut in prima apparitione Iesus eos reprehenderit de eorum incredulitate; proin ipso die resurrectionis vespere (Ioan. 20,19. Luc. 24,36-43) neque obstat quod Thoma absente solum decem apostoli praesentes erant; nam *undecim* nomen est collegii quod usurpari potest etsi unus abest; ita δώδεκα eodem modo adhibetur eo tempore quo non erant nisi undecim (cf. 1 Cor. 15,5 graece; vide *Cornely*, Comment. in 1 Cor. p. 453). Quare haec sententia satis habet probabilitatis (*Lap. Lamy, Bisp. Schegg, Fil.*). Contendit *Weiss* eam designari apparitionem quae Matth. 28,16 narretur, et conqueritur eo

quod *recumbentibus* dicatur apparuisse conditionem et locum plane mutari et ea perperam admisceri quae Luc. 24,41 vel Act. 1,4 describantur. En qua ratione vir criticus agit. Prius sententiam statuit quae cum narratione non congruit (nota *recumbentibus, exprobravit,* ὕστερον non ὕστατον), dein invehitur in evangelistam quod res confundat, mutet, perperam intermisceat!

Ex iis quae Iesus per dies quadraginta apparens eis et loquens de regno Dei docuit pauca refert, sed ea quae pro Romanis maximi ponderis et momenti erant : evangelium esse omnibus, in toto orbe annuntiandum ; sine fide fieri non posse ut quis salutem consequatur ; fidei autem fieri promissiones magnificas. Hisce enim Romanis propagatio evangelii quam maxime commendatur, cui operi Romani manus admovere possunt eo quoque quia Romam homines ex toto imperio convenire solent, ex urbe autem magistratus et milites in varias orbis partes proficisci ad negotia gerenda consuescunt v. 15 *et dixit eis;* quando haec dixerit non notatur, neque in tam concisa narratione erat exspectandum, *euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae,* dictiones seliguntur quam maxime universales ; κτίσις creatura, id quod creatum est (cf. 13,19. Rom. 1,25 ; 8,39 etc.) ; hic intelligitur creatura in mundo adspectabili praecipua i. e. homo ; omni homini, toti generi humano evangelium est annuntiandum (cf. Col. 1,23), omnibus, Iudaeis et gentibus. Ceterum apud talmudistas quoque eo modo adhiberi כל בריה multis exemplis ostendunt *Lightfoot, Wetstein* ad h. l. Quod aliqui monent ipsam quoque creaturam liberatum iri a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei (Rom. 8,21) verum quidem est, at exinde non sequitur *praedicate omni creaturae* hoc loco ita quoque esse explicandum. Nam rebus inanimatis et ratione carentibus non fit κήρυγμα praeconium, annuntiatio sollemnis ; dein in v. 16 statim indicatur qui demum nomine *creaturae* intelligantur.

Iam quo propagationi evangelii alacrius incumbant, ex Christi verbis ea seliguntur quibus necessitas evangelii quam maxime inculcatur v. 16 *qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui vero non crediderit, condemnabitur ;* nam sine fide impossibile est placere Deo (Hebr. 11,6) ; qui non credit iam iudicatus est (Ioan. 3,18). Qui Deo vere credit, promissis eius ac minis veram adhibet fidem, is sedulo quoque mandata Dei custodit. Proinde quae fides cum baptismo ad salutem requiratur satis apertum est et bene advertit *S. Gregorius* (et ex eo *Beda*) : « fortasse unusquisque apud semetipsum dicat : ego iam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet ; vera etenim fides est quae in hoc quod verbis dicit moribus non contradicit. Hinc est enim quod

de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit : qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant (Tit. 1,16); hinc Ioannes ait : qui dicit se nosse Deum et mandata eius non custodit, mendax est » (1 Ioan. 2,4; hom. in evang. 29,3). Ex hisce paucis Christi verbis mirum est, ait *Mald.*, quot haereses natae sint; scil. solam fidem ad salutem satis esse, quando sola a Christo exigi videatur; dein non posse quemquam nisi aetate iam adulta et disciplinae capaci baptizari, cum baptizari ii tantum qui crediderint iubeantur; tertio baptismum non esse ad salutem necessarium, quod Calviniani ex sequentibus verbis colligunt. Qui errores hoc loco refutatione non indigent.

Dein declarat Iesus vim ac praestantiam fidei, qua simul animentur et confortentur ad quaevis pericula subeunda, ne in propagatione evangelii ullis absterreantur obstaculis; v. 17 *signa autem eos qui crediderint haec sequentur : in nomine meo* quia me confitentur et me invocant, vi huius fidei et invocationis, *daemonia eicient;* sicut in evangelio peculiari studio demonstrata est potestas Iesu in daemones et haec quoque potestas apostolis commissa (3,15), ita eandem hoc loco effert primo; nonne in hac quoque re deprehenditur idem evangelista? *linguis loquentur novis*, quae scil. loquentibus novae sunt cum eas non didicerint; γλώσσαις ξέναις, διαλέκτοις ἀλλοεθνέσιν, ut *Euth.* explicat; cf. Act. 2,6-11; v. 18 *serpentes tollent*, non : delebunt vel occident, uti *Euth. Dion. Lap.* explicari posse arbitrantur; nam ad hoc fideles non mittuntur; sed manibus tollent nullo noxae aut vulneris metu; uti exemplum habetur Act. 28,3-6; serpentes venenosi non iis nocebunt, ut simili modo Christus iam antea apostolis locutus erat : ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici et nihil vobis nocebit (Luc. 10,19); huic exemplo de evacuata virtute veneni alterum adiungitur, *et si mortiferum quid biberint non eis nocebit;* exemplum hoc affertur ad demonstrandum velle Deum eos servare quoque ab occultis inimicorum insidiis et machinationibus; *super aegros manus imponent et bene habebunt;* cf. 3,15; hisce illustratur effatum Christi de vi et efficacia fidei; vide 11,22-25. Matth. 17,20; 21,21. Luc. 17,6, et confirmatur quod Christus iam antea dixerat: qui credit in me opera quae ego facio et ipse faciet et maiora horum faciet (Ioan. 14,12).

Hac Christi promissione constat in Ecclesia miracula non esse defutura. Quam crebro ea fuerint in exordio rei christianae, ex Act. et 1 Cor. et scriptoribus ecclesiasticis luculenter patet. Fidenter v. g. Tertullianus apud gentiles asserit : daemones et revincimus et traducimus et de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est (ad Scap. 2; cf. de Spectac. 26) et S. Irenaeus profitetur suis etiam temporibus se testem fuisse παντοδαπαῖς λα-

λούντων γλώσσαις atque : « alii daemones expellunt certissime ac verissime, adeo ut qui eiusmodi malis spiritibus liberati sunt saepe fidem amplectantur et in Ecclesia permaneant; alii praescientiam futurorum sortiti sunt; alii infirmos per impositionem manuum curant et pristinae sanitati restituunt; sed et mortui aliquoties excitati sunt. Quid plura? non potest numerus iniri donorum quae per universum orbem Ecclesia a Deo accipiens in nomine eius qui sub Pontio Pilato crucifixus est Iesu Christi quotidie ad opitulationem gentium operatur »; hisce ex Irenaeo laudatis merito concludit Eusebius multiplicem donorum spiritualium varietatem ad illa usque tempora penes dignos permansisse (h. e. 5,7; *M.* 20,448). Erant quippe haec dona copiosa in exordio rei christianae; « ut enim fides cresceret, miraculis erat nutrienda, quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra iam convaluisse videamus » (S. Greg. hom. in evang. 29,4); at nunquam in Ecclesia cessarunt, uti ex vitis Sanctorum ubertim demonstratur in singulis saeculis. Promissio est generalis, spectans ad universam Ecclesiam et eius utilitatem; verum singula distribuit Spiritus sanctus prout vult pro fine providentiae supernaturalis (cf. *Mald. Ians.*). Sunt qui verba illa interpretentur spiritualiter : si qui ad fidem convertuntur, daemon quasi ex eorum mentibus expellitur; novis linguis loquuntur fideles sancta mysteria sonantes, Dei laudes narrantes; serpentes tollunt ii qui malitiam ex aliorum cordibus auferunt; mortiferum absque damno bibunt qui pestiferas suasiones audientes minime ad peccatum pertrahuntur; aegros sanant qui alios ad virtutem roborant, a vitiis retrahunt (cf. *S. Greg. Bed. Alb. Bernardus*, de ascensione serm. 1,3; *M.* 183,301; *Salmeron* tract. 34); sed bene notat *Mald. :* « dubium non est Christum non de istis loqui signis ».

Quemadmodum evangelista ostendit verba Iesu de sua passione et resurrectione esse impleta, ita pariter docet id quod dixerat de sessione ad dexteram Dei (14,62; cf. 12,36) aeque esse in opus deductum v. 19 *et Dominus quidem Iesus,* nota Iesum in gloria constitutum sollemniore quoque appellatione ὁ κύριος vocari, *postquam locutus est eis, Theoph.* supplet ταῦτα, idemque *Schanz, Weiss;* quodsi etiam suppletur, non sequitur Christum statim post haec verba ascendisse in coelum. In hac enim narratione adeo succincta nexus arctus inter singulas sententias nequit statui et postularetur perperam, uti statim in v. 20 quoque ostenditur. Ceterum cum μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς dicitur sine addito, generatim intelligi potest de sermonibus quibus Iesus post resurrectionem discipulos docuit (cf. *Euth. Alb. Mald. Bisp. Reischl*), *assumptus est in coelum* cf. Act. 1,9. Eph. 4,10 ascendit super omnes coelos, Hebr. 6,20; 7,26; 9,12, *et sedet a dextris Dei,* uti praedixerat synedristis 14,62; cf. Col. 3,1. Hebr. 1,3; 8,1; 10,12; 12,2. 1 Petr. 3,22 etc. i. e. conregnans Patri in omni aequalitate secundum deitatem et fruens potis-

simis bonis Patris secundum humanitatem (*Alb.*); gloria et honore coronatus est etiam secundum humanam naturam; in throno sedere ad dexteram Dei dicit coelitus in sede regali divina potentia Ecclesiam regere et gubernare (*Mald.*).

Apostoli autem verbis Christi obsecuti v. 20 *illi autem profecti,* utique non statim assumpto Domino, neque statim post acceptum Spiritum sanctum; iussi quippe erant testes esse Iesu in Ierusalem, in omni Iudaea et Samaria, et tum demum usque ad ultimum terrae (cf. Act. 1,8) *praedicaverunt ubique Domino cooperante,* uti promiserat Iesus : ecce ego vobiscum sum, et *sermonem,* praedicationem evangelii, *confirmante sequentibus signis,* quomodo enim patratione miraculorum evangelium factum sit credibile et ab hominibus fide apprehensum, satis ex Act. elucet; cf. 1 Cor. 2,4. Rom. 15,19. Gal. 3,5. Quae igitur promissa erant v. 17. 18, Dominus Iesus fideliter in suis et per suos praestitit.

Cum haec pars v. 9-20 a multis declaretur spuria, aliqua addenda sunt. Et primo quidem observandum certe non potuisse librum finiri v. 8 nisi eum mancum et truncatum dicere malueris. Nam annuntiata ab angelo resurrectione mulieres fugiunt, nemini quidquam dicunt. Eo modo evangelium Petri finiri nullo pacto poterat; uti enim Act. 10,40 seq. discimus, Petrus resurrectionis factae non solam mentionem intulit, verum etiam ostendit quomodo Iesus manifestus factus sit testibus praeordinatis, apostolis. Dein postquam discipulis promissum est eos visuros esse Dominum v. 7, merito exspectamus id quoque narratum iri. Et quis non sentiat, postquam evangelista tam sedulo explicuit quomodo singula Christi verba 10,33. 34 impleta essent, eum ultimum illud et gravissimum *resurget* non potuisse tam ieiune dimittere, ut solum diceret de affirmatione angeli nihil esse a mulieribus dictum?

Cum itaque post v. 8 aliqua postulanda sint, inquirendum est sintne ea quae legimus apud tot testes (vide lect. var.) ita conformata ut merito ad Marcum referri possint. Si rem narratam spectamus, fatendum est eam non esse ex aliorum narrationibus conquisitam et compositam; habet enim propria v. 16 seq.; immo habet quae in v. 13 narrationi Lucae haud congruere primo aspectu videntur. Exinde iam certum est ea non esse conscripta tempore posteriore quo libri evangeliorum iam passim innotuerant, sed esse narrata ab eo qui propria traditione apostolica erat edoctus et ea quidem quae distinguenda sit a fonte unde Lucas hausit.

Porro res ipsae narratae conveniunt cum ratione illa particulari quam in reliquo libro Marci deprehendimus. Quam tardi fuerint apostoli ad credendum sedulo notat v. 11. 13; gravioribus verbis hanc eorum indolem a Christo designatam et reprehensam exhibet v. 14; primo loco inter signa enumerat eiectionem daemonum, quam in libro quoque peculiari studio ef-

ferre non omisit. Donum miraculorum describit non in universum, sed exemplis distinctis prolatis, sicut in reliquo libro rerum gestarum narrationem singula quaedam persecutus illustrare ac distinguere solet. Demum ea verba Christi seligit quae Romanis aptissime proponuntur, ut supra iam ostendi. Et si in v. 9-13 brevis est et concisus summam rei solummodo tangens, idem deprehenditur in libri initio strictim narrans baptismum et tentationem Iesu. Attamen non omittit efferre primo apparuisse Iesum illi de qua eiecerat septem daemonia. Nonne id fidelibus Romae qui maiore parte e gentilibus erant peculiari solatio fuisse censendum erit? Cum enim satan sit princeps et deus huius mundi (2 Cor. 4,4) et qui peccatum facit sit eius servus (cf. 2 Petr. 2,19), gentiles non uno nomine solum, sed pluribus in daemonis potestate et servitute erant constituti. Illis itaque singulari consolationi erat audire Iesum primo se gloriosum illi manifestasse quae a septem daemonibus misera et turpi servitute olim erat vexata.

Rem igitur narratam ad librum Marci prorsus convenire nemo negare poterit, dummodo ea quae exposui secum perpenderit. Verum quid iudicandum erit de genere dicendi? Hoc enim genus a Marci dictione alienum esse ac plane remotum contendunt haud pauci. Proinde examinemus singula quae ad id demonstrandum afferuntur.

Primo desiderari dicunt ea quae Marco propria sunt et peculiaria in scribendo; nam non reperiri in hac parte εὐθύς, πάλιν, quibus particulis uti solet adeo frequenter. Sed facile respondetur : εὐθύς non potuit adhiberi nisi fortasse in initio v. 10; reliqua omnia longiore temporis intervallo separantur quam ut ullo modo ea particula possint coniungi. Et cum in ipso v. 10 posuerit scriptor ἐκείνη ut notaretur oppositio ad v. 8, etiam intelligitur cur non sententiam inceperit, uti saepe, καὶ εὐθύς. Potuit quidem πάλιν bis adhiberi in v. 12 et 14; verum num in reliquo libro ubicumque *potuit* poni etiam positum est? Dein accusant brevitatem in narrando [1] quae ab indole libri abhorreat. Sed ob oculos haberi debet quid narrationibus illis tribus voluerit ostendere. Voluit exponere quod dixit angelus : cum videbitis et quod Christus praedixerat se resurrecturum. Atque hoc sufficienter fit, immo non sine pondere quodam fit tribus illis narrationibus brevibus, immediate inter se excipientibus : ἐφάνη, ἐφανερώθη, ἐφανερώθη. Non obstante brevitate affert, uti alias solet, quaedam quae sibi soli propria sunt; ita v. 9 primo, v. 10 flentibus; v. 11 ea refert quae apud duos alios synopticos non habentur; item in v. 13 non crediderunt; item in v. 14 exprobravit incredulitatem et duritiam cordis etc. Sed dicunt deesse id quod in v. 7 erat annuntiatum, Iesum in Galilaea iis appariturum. At ad id quod evangelista sibi proposuit, scil. ut demonstraret sicut reliqua Iesu de se vaticinia (in 10, 33. 34 et alibi) ita illud quoque *resurgam* esse completum, prorsus nihil referebat efferre eum in Galilaea apparuisse.

Dein notantur singulae quaedam expressiones quae a scribendi modo Marci alienae sint. Verum est in v. 9 illud πρωΐ si referatur ad ἀναστάς habere aliquid offensionis propter v. 2; item mirari poteris nunc scribi πρώτῃ σαββάτου, cum v. 2 scriptum sit μιᾷ τῶν σαββάτων. Unde haec post paucas sententias dicendi varietas? Explicant aliqui

1. Vide praeter interpretes *Zahn*, Geschichte des neutest. Kanons II 2 p. 934; Leipzig, Erlangen 1890.

Marcum in v. 2 seq. secutam esse et retulisse narrationem prout vel traditione orali vel scripto iam erat consignata; in v. 9 seq. autem proprio marte rem breviter perstrinxisse, unde cum usum esse forma dicendi quae ipsi magis convenire videretur Romanis (*Cook*). Ceterum ne quis illam varietatem nimis urgeat, notari oportet Marcum etiam alibi eandem rem mutata dictione designare; v. g. 1,18 ἠκολούθουν αὐτῷ, sed 1,20 pro eadem re ἀπῆλθον ὀπίσω αὐτοῦ (neque dici potest id ex Matthaeo forte esse petitum, quippe qui idem in utroque loco habet); quod 1,25 dixerat ἐπιτιμᾶν, 1, 43 exprimit ἐμβριμᾶσθαι; 2,8 διαλογίζεσθαι ἐν ἑαυτοῖς et statim in eodem versu ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν; 2,25 οἱ μετ' αὐτοῦ et statim in v. 26 de iisdem οἱ σὺν αὐτῷ; 3,1 ἐξηραμμένην ἔχων τὴν χεῖρα et 3,3 τὴν χεῖρα ἔχων ξηράν; 3,27 τὰ σκεύη διαρπάσαι et statim eandem rem et eandem mentem exprimit τὴν οἰκίαν διαρπάσει: de turbis quae ad Iesum congregantur dicit modo συνάγεσθαι 2,2; 4,1 (πρός); 5,21 (ἐπί); modo ἔρχεσθαι πρὸς αὐτὸν 2,13; συνέρχεσθαι 3,20; 4,22 κρυπτόν, sed statim mutans dicit ἀπόκρυφον; 5,2 adhibet μνημεῖον sed v. 3 μνῆμα etc.

Ridiculum est quod *Weiss* obiicit v. 9 ἐφάνη, φαίνεσθαι 14, 64 alia prorsus notione adhiberi apud Marcum; sed ante resurrectionem Marcus utique non dicere potuit Iesum *apparuisse*; pro ea re vox igitur seligenda non erat nisi ubi de apparitione sermo fiebat; idem reprehendit poni in v. 10 ἐκεῖνη quae vox scil. semper cum emphasi apud Marcum habeatur. Bene id quidem; sed nonne etiam in v. 10 cernitur emphasis? scil. oppositio ad v. 8? Porro tamquam magnum discrimen extollunt ter adhiberi πορεύεσθαι v. 10. 12. 15 qua voce Marcus nunquam utatur. Sed utitur voce εἰσπορεύεσθαι octies (1,21; 4,19; 5,40 etc.); pariter παρα-, δια- 2,23; 9,30; 11,20; 15,29; immo in 9,30 B* D habent verbum simplex ἐπορεύοντο; num igitur operae pretium est *tale* urgere discrimen? Dein contendunt *Mayer*, *Weiss* in eodem v. 10 τοῖς μετ' αὐτοῦ de discipulis dici sensu latiore prorsus abhorrere ab usu Marci; sed isti non attendunt ad 5,18; pariter 2,25 dicitur de sociis ac comitibus: 4,10 οἱ περὶ αὐτοῦ σὺν τοῖς δώδεκα, et cum eiusmodi dictiones οἱ σὺν αὐτῷ, οἱ παρ' αὐτοῦ reperiantur apud Marcum 2,26; 3,21, frustra illud impugnatur. Etiam offenduntur in v. 11 voce ἐθεάθη, cum θεᾶσθαι alias non reperiatur apud Marcum. Postea exemplis sat multis ostendetur etiam in reliquo libro inveniri ἅπαξ λεγόμενα; dein hoc verbum apte ponitur quo exprimatur Iesum non visum esse *obiter*, sed esse spectatum clare et distincte et sedulo (uti ipse *Weiss* dicit: nicht blos gesehen, sondern beschaut!). Monent ἀπιστεῖν non legi nisi in v. 11 et 16; sed cum neque *Meyer* neque *Weiss* assignet ubi in reliquo libro debuerit vel potuerit adhiberi, hoc loco autem necessario esset usurpandum, haec obiectio merito contemnitur tamquam plane inanis. Neque quidquam ponderis habet quod dicunt prorsus alienum esse a Marco Iesum vocare τὸν κύριον v. 19; nam cum in evangelio Marci ipse Iesus se eo nomine designet 5,19 et 11,3 et cum insuper hoc loco maiestas et gloria Iesu esset declaranda, sane non mirum est eum a Marco non nudo Iesu nomine appellari.

Obiiciunt praeterea inveniri ea in parte voces quae alibi apud Marcum frustra quaererentur; praeter θεᾶσθαι et ἀπιστεῖν (de quibus modo dictum est) proferuntur ὕστερον, μετὰ ταῦτα, ὀνειδίζειν, παρακολουθεῖν, ἐπακολουθεῖν. Deleri oportet ὀνειδίζειν quod pariter habetur 15,32 neque enim opus est ei altero loco prorsus aliam adscribere notionem. Dein παρακολουθεῖν etiam apud Lucam solum semel 1,3 occurrit; sed cui ideirco in mentem venit partem illam spuriam declarare et ad alium transferre scriptorem? Semel ὕστερον quoque apud Ioannem legitur 13,36; num propterea illa pars ei abiudicanda erit? Sed ut pateat talem arguendi rationem esse futilem, ostendamus in reliquo libro frequenter quoque legi ἅπαξ λεγόμενα; ita 1,45 διαφημίζειν; πάντοθεν 1,45; σπόρος 4,26. 27; μηκύνεσθαι 4,27; καρποφορεῖν 4,20. 28 (alias καρπὸν

διδόναι), αὐτομάτη 4,28; θερισμὸς 4,29 (quot igitur uno in loco 4,26-29?); θέρος 13, 28; ἐπιλύειν 4,43; εὐκαιρεῖν 6,31; ἀγαθοποιεῖν 3,4; ἀγνοεῖν 9,32; ἀγρεύειν 12,13; ἀλαλάζειν 5,38; ἐκπερισσῶς 14,31; ἐκπίπτειν 13,25; ἐκπνέειν 15,37. 39; λεπτόν 12,42; καταβαρύνειν 14,40; καταδιώκειν 1,36; κατακόπτειν 5,5; κυλίεσθαι 9,20; ἄμφοδον 11,4; ἀναθεματίζειν 14,71; ἀναστενάζειν 8,12 etc. etc.

Porro obiiciunt *Westcott Hort* (Appendix p. 48) in v. 9 non cerni indicium apparitionem esse factam, dum mulieres reverterentur a sepulcro. Sed falso supponunt v. 9 idem narrari quod Matth. 28,9 refertur; falso item assumunt Iesum statim apparuisse mulieribus exeuntibus a monumento (vide quae ad Matth. 28,9 notavi); in v. 9 tangitur breviter quod Ioannes 20,1-18 pluribus narrat; quare concidit quoque quod illi ulterius opponunt solam Mariam Magdalenam commemorari quamvis nihil dictum sit eam vel ante alias mulieres incessisse vel ab iis recessisse. Pariter offenduntur quod addatur *ex qua ieierat* etc.; id debui addi, cum primo eius mulieris mentio fieret. Sed quam opportune id referatur in v. 9, supra iam exposui. Dein arbitrantur πρῶτον haud bene poni, si v. 9 esse debet continuatio narrationis 16,1-8 inceptae; sed quomodo evangelista loqui potuit et debuit, si dicere voluit Iesum se *primo* prae aliis Mariae vivum ostendisse? Dein πρῶτον non respicit antecedentia, sed ita ponitur ut μετὰ ταῦτα, ὕστερον sequantur in enumeratione. Et cum Iesum surrexisse iam per angelum annuntiatum esset, non video cur v. 9 ἀναστὰς δέ ab hisce criticis et a *Zahn* dicatur esse plane incongruum utpote referens rem quae ab humanis oculis non sit conspecta, dum in reliquis ea solum tangantur quae visa et audita sint a mulieribus. Porro ex hoc initio ἀναστὰς δέ, ex repetita designatione temporis πρωὶ etc. concludunt partem hanc ab origine non annexam fuisse ad 16,1-8. Etiam *Schegg* censet v. 9 seq. esse quaedam fragmenta antiquiora libro Marci, sed apostolica et partem catecheseos antiquissimae.

Externa testimonia si spectantur, ea huic parti omnino favent. Eam iam legisse videtur Hermas, Past. sim. 9,25 et certe Iustinus, qui scribit οἱ ἀπόστολοι ἐξελθόντες πανταχοῦ ἐκήρυξαν; eam quoque a Tatiano agnitam esse *Zahn* omnino affirmat (l. c. p. 924). Quam clarissimum est testimonium S. Irenaei: in fine autem evangelii ait Marcus: ὁ μὲν οὖν Κύριος μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν τοῦ Θεοῦ (c. haer. 3,10; cf. *Cramer* cat. 1 p. 499). Atque Celsus quoque novit 16,9 (cf. Orig. c. Cels. 2,55. 59); Iulianus quoque 16,17 eodem modo traduxit, sicut ethnicus ille contra quem Macarius, episcopus Magnesiae, circa an. 400 scripsit; *Zahn* (l. c. p. 925) probabile censet ethnicum illum esse Porphyrium; quod si ita est, Porphyrius testibus antiquissimis huius partis adnumerandus est. Eam partem novit Marinus qui de ea ad Eusebium scripsit, eam novit Didymus (de Trin. 2,15; *M.* 39,687). Testes quoque gravissimi et omnibus codicibus graecis antiquiores sunt versiones syriaca et vetus latina; pariter habetur ea pars in versione memphitica, gothica. Eius quoque clara mentio est in Constit. apost. 2,7 et 6,15 et 8,1 (*M.* 1,948. 1061; quem ultimum locum aliqui ad Hippolytum referunt; alii tamen librum περὶ χαρισμάτων esse Hip-

polyti negant; cf. *Zahn* l. c. p. 924), in Gestis Pilati, apud Epiphanium, Nestorium (apud S. Cyrillum, adv. Nest. 2,6; *M.* 76,85), Caesarium (*M.* 38, 1178), Gregorium nyssenum (*M.* 46,652); etiam S. Chrysostomus (de quo dubitant Westcott Hort, Appendix p. 40. 45) praebet testimonium in hom. 38,4 in 1 Cor. dicens Iesum Mariae primum apparuisse (*M.* 61,326)[1]. Hisce accedunt codices omnes graeci a saeculo quinto et deinceps. — Itaque testimoniis Patrum ex saeculo secundo itemque versionum syriacae et veteris latinae ex medio saeculo secundo, gothicae ex quarto luculenter constat partem hanc non in una regione, sed in multis variisque, brevi satis per Ecclesiam catholicam esse agnitam. Proinde quod internis rationibus omnino suaderi vidimus, egregie confirmatur testimoniis externis.

Neque quae contra illam partem afferuntur testimonia externa adeo firma sunt, uti ab aliquibus proponuntur. Primus a quo audimus illam partem non in cunctis haberi exemplaribus graecis est Eusebius caesariensis. Eum interrogaverat Marinus quomodo apud Matthaeum videatur Servator ὀψὲ σαββάτων resurrexisse, apud Marcum autem mane una sabbatorum. Ad quod respondet Eusebius, duplicem esse solutionem : « qui caput ipsum, id est sectionem in qua id narratur, delet dicet eam non in cunctis haberi exemplaribus evangelii secundum Marcum; accurati enim codices (τὰ γοῦν ἀκριβῆ τῶν ἀντιγράφων) historiam secundum Marcum in sermone... concludunt ἐφοβοῦντο γάρ. Hoc enim loco in cunctis prope exemplaribus evangelium Marci concluditur. Sequentia vero quae raro in aliquot (σπανίως ἔν τισιν), non in omnibus occurrunt, supervacanea videntur, praesertim si repugnent ceterorum evangelistarum testimonio. Haec fortasse dicet aliquis ((ταῦτα μὲν οὖν εἴποι ἄν τις) detrectans atque omnino perimens superfluam quaestionem. Alius vero quisquam nihil omnino delere audens eorum quae utcunque Scripturae evangelicae commendata fuerunt duplicem esse dicet lectionem, ut saepe alias, et utramque esse recipiendam » (ad Marinum 1,1; *M.* 22, 937). Dein suggerit solutionem, ut post ἀναστὰς δέ ponatur distinctio, et πρωὶ τῇ μιᾷ τοῦ σαββάτου (ita legit) referatur ad sequentia. Negari non potest Eusebium cum dicat in accuratis exemplaribus non haberi partem illam, immo cum asserat in cunctis prope deesse, eam partem potius censere spuriam. Sed si affirmat in cunctis prope exemplaribus evangelium finiri v. 8, bene ob oculos habendum est eum solum loqui posse de iis quae ipse noverit. Marinus tale exemplar nunquam novisse videtur. Quid si Eusebius ad minuendam difficultatem aliqua utitur exaggeratione? quod eo magis artificio oratorio adscribi potest, quia initio solum dixit eam partem non in omnibus haberi exemplaribus. Proinde si duae hae sententiae inter se componuntur, numerus exemplarium quae cum v. 8 finire Eusebius revera novit non videtur esse adeo magnus. Quid si etiam ad iudicium illud qui sint *accurati* codices valuit quod Marino scribit : ea supervacanea videri (περιττὰ

1. Locus alter (in Ascens. D. et in princip. Act. II. n. 8: *M.* 52,781) dubius est sitne a S. Chrysostomo, quamvis valde probabile sit n. 8-10 pertinere ad genuinam s. doctoris homiliam.

ἂν εἴη), *et praesertim* si repugnent aliorum testimonio? Quare ei sententiae Eusebii ne nimium ponderis tribuatur valde cavendum est.

Deest illa pars in codicibus ℵB. Verum ne magna horum codicum auctoritas cuiquam scrupulum iniiciat, tria sunt consideranda. Primo quod supra iam monui, Patrum aliquot et versionum syriacae et italae testimonia esse longe antiquiora quae habeant hanc partem; secundo codicem vaticanum B praebere eo loco spatium vacuum plus quam unius columnae; ex qua re omnes etiam ii qui partem illam spuriam censent merito concludunt scribae eius codicis omnino notum fuisse exsistere partem illam post 16,8, pro qua[1] spatium vacuum reliquit. Et addendum est id fere etiam valere pro codice sinaitico ℵ; nam, uti Tischendorf cum communi criticorum consensu iudicavit, idem scriba qui scripsit novum testamentum in B scripsit quoque sex folia in ℵ et ea quidem folia quae Marc. 15,54 — Luc. 1,56 continent (cf. *Westcott Hort* p. 213; *Zahn* l. c. p. 911; *Gregory,* Prolegomena in edit. 8 Tisch. pars prior, p. 360); et insuper signo aliquo in ipso codice ℵ satis indicatur partem illam esse omissam scriba sibi conscio eius omissionis (cf *Scrivener,* Introduction etc. Addenda et corrigenda p. XIII; *Cornely,* Introd. III p. 99). Tertio bene notandum est hos duos codices probabiliter esse ex iis quinquaginta quos anno 331 Constantinus describi iussit cura demandata Eusebio (vita Constant. 4,36. 37). Ita censuit Tischendorf et Gregory fatetur se nihil habere quod huic Tischendorfii coniecturae opponat; « quamdiu argumenta nova ex inscriptionibus novis novisque codicibus non afferantur, inclinat animus ut arbitrer codices sinaiticum quaternis columnis et vaticanum ternis columnis ex illis quinquaginta fuisse qui τετρασσά et τρισσά scripti sint » (*Gregory* l. c. p. 348). En, si ita, unius habetur Eusebii opinatio, qui cur omitti partem illam iusserit, in responsione ad Marinum satis aperit.

S. Hieronymus in epistola ad Hedibiam (ep. 120,3; *M.* 22,987) ad eandem quaestionem quae Eusebio posita est a Marino, eadem respondit quae apud Eusebium leguntur, quamvis Eusebium non nominet : « huius quaestionis duplex solutio est; aut enim non recipimus Marci testimonium quod in raris fertur evangeliis, omnibus Graeciae libris pene hoc capitulum in fine non habentibus, praesertim cum diversa atque contraria evangelistis ceteris narrare videatur; aut hoc respondendum quod uterque verum dixerit ... ita enim distinguendum est : *cum autem surrexisset,* et parumper spiritu contracto inferendum, *prima sabbati mane apparuit Mariae Magdalenae* ». Eius itaque hac in re testimonium non novum supplet argumentum, sed solum repetit quod apud Eusebium legitur. Eum autem alteram quoque sententiam secutum esse ex eo patet quia cum evangelia graecae fidei redderet et auctoritati (uti ipse loquitur in ep. ad Lucinium, ep. 71,5 et de

1. Eius argumenti vim ut attenuet *Zahn* contendit spatium illud pro v. 9-20 non sufficere; posse enim ibi comparatione instituta inter lineas B et editionis teubnerianae solum scribe lineas 20, non 23 quae requirerentur; proin probabile censet scribam alteram clausulam breviorem ob oculos habuisse. Verum haec nimis brevis est pro illo spatio. Scriba itaque longiorem ob oculos habuisse censeri debet.

viris illustr. 135; *M.* 22,671; 23,717), eam partem omnino retinuit quamvis eam se regulam secutum esse profiteatur : ut veterum librorum fides de hebraeis voluminibus examinanda est, ita novorum graeci sermonis normam desiderat (ep. ad Lucinium l. c.; alias ep. 28); dein in dialogo adv. Pelagianos 2,15 (*M.* 23,550) ita scribit : « in quibusdam exemplaribus et maxime in graecis codicibus iuxta Marcum in fine eius evangelii scribitur : postea cum accubuissent undecim, apparuit eis Iesus et exprobravit incredulitatem et duritiam cordis eorum quia his qui viderant eum resurgentem non crediderunt. Et illi satisfaciebant dicentes : saeculum istud iniquitatis et incredulitatis substantia (cod. vat. sub satana) est quae non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem; idcirco iam nunc revela iustitiam tuam »; itaque in quibusdam exemplaribus et maxime in graecis ad sincerum Marci textum legebatur additum apocryphum hoc discipulorum responsum, quo suam incredulitatem excusant et id postulant quod etiam in Act. 1,6 interrogasse perhibentur. Talis autem textus amplificatio satis quoque ostendit sincerum textum multum fuisse propagatum.

Quae porro obiiciuntur solum ostendunt quod Eusebius nos docuit in quibusdam exemplaribus eam partem non esse lectam. Quod si dicitur in libris S. Athanasii, Basilii, Gregorii naz. Cyrilli alex. Theodoreti eius partis indicia non reperiri, id profecto non evincit hisce omnibus eam partem fuisse ignotam vel in earum regionum exemplaribus omnibus defuisse. Nam primo fortuito fieri potest et quam facillime ut quis etsi multa scribat tamen ad paucos versus non alludat; dein Didymus alexand. ut supra ostensum est novit partem illam; iam Athanasius (298-373) et Didymus (309-394) erant aequales in urbe eadem. Gregorius nyssenus, uti supra vidimus, novit partem illam; proin vix credibile illam ignotam fuisse fratri eius seniori, Basilio; novit Caesarius, frater iunior Gregorii naz.; ergo probabilissime quoque ipse Gregorius; demum in opere Cyrilli alex. leguntur verba Nestorii ex illa parte desumpta. — Maiore probabilitate textus ille ignotus erat Tertulliano et Cypriano. Tertullianus enim in libro de baptismo agit de eius necessitate et de eius ad fidem habitudine; quare merito dici potest, si legisset textum Marci 16,16, sine ulla dubitatione eum fuisse in medium prolaturum. Pariter in disceptationibus Cypriani de baptismo, in libro de testimoniis iure exspectaretur ut allegaretur textus ille futurum fuisse, si eum Cyprianus in suo codice legisset. Sed inde nihil aliud sequitur, nisi quod iam ex codice k et S. Hieronymi verbis scimus eam partem in aliquibus codicibus esse desideratam. Et quod Victor antiochenus de illa parte dicit, pariter ex Eusebio haustum est (cat. Cr. p. 444); sed p. 447 legitur scholion, quo eius sententia oppugnatur : ἀλλ' ἡμεῖς ἐξ ἀκριβῶν ἀντιγράφων ἐν πλείστοις εὑρόντες αὐτὰ καὶ κατὰ τὸ Παλαιστιναῖον Εὐαγγέλιον, ὡς ἔχει ἡ ἀλήθεια Μάρκου συντεθείκαμεν etc. Hisce graviter textus ille vindicatur. Pariter sine ulla dubitatione textum agnoscunt S. Ambrosius et Augustinus. Ille scribit in fine expositionis evang. Luc. : « undecim quoque discumbentibus discipulis et Marcus in fine apparuisse scribit, quando similiter praedicandi his per totum orbem mandat officium »; S. Augustinus vero de verbis 16,16

quartum habuit sermonem in diebus paschalibus (serm. 233; al. de diversis 86).

Quaesitum est etiam, unde acciderit ut pars haec in codicibus omitteretur sat multis, uti ex Eusebio colligi videtur. Ratio sat probabilis assignatur a recentioribus haec : in ecclesia alexandrina ieiunium finiri solebat festumque resurrectionis celebrari media nocte; in aliis ecclesiis circa auroram; priori usui favere videbatur Matth. 28,1, alteri Marc. 16,9 si nimirum (quod multi faciunt) temporis determinatio ad ἀναστάς refertur. Alexandrini igitur ne cui scrupulus iniiceretur partem illam Marci non legisse videntur, ideoque in lectionaria non videtur esse assumpta; unde fieri potuit, ut in codicibus quoque omitteretur. Similiter in cap. 16 epistolae ad Romanos evenisse certum est (cf. *Cornely,* Introd. III p. 98).

Ceterum ea de quaestione pluribus tractarunt Corluy (Études religieuses, philosophiques etc. Nov. 1876, p. 633 seq.); Cornely l. c.; Abbé Martin, Introduction à la critique textuelle du N. T. partie pratique tom. II 1884; Burgon, The last twelve verses of the Gospel according to S. Mark; Oxford, London 1871; Zahn l. c., Westcott et Hort l. c.

Qui eam partem S. Marco vindicant, *Danko* (Historia Revelationis N. T. p. 281) enumerat hos : Wolf, Storr, Kuinoel, Hug, Schott, Himly, Olshausen, Kirchhofer, Guerike, Ebrard, Rink, Bisping, Demaret. — Praeterea *Schanz* addit hos : R. Simon, Bengel, Matthaei, Eichhorn, Saunier, Feilmoser, Scholz, Schleiermacher, de Wette, Schwarz, Lange, Bleek, Reithmayr, Maier, Patrizi, Hilgenfeld, Keil. Hisce adde (praeter catholicos fere omnes) Burgon, Salmon, Scrivener.

Ex actis Concilii tridentini elucet Patres Concilii cum declararent libros sacros cum omnibus suis partibus esse pro sacris et canonicis suscipiendos, voluisse inter alia etiam hanc partem 16,9-20 tueri; cf. *Theiner,* Acta genuina Conc. trid. I p. 71 seq. ex quibus patet Cardinalem tridentinum merito dixisse, decretum « ea intentione factum esse existimo, ne de particulis illis (Marci cap. ult. Lucae cap. 22, Ioannis cap. 8) amplius dubitari possit ». De qua re vide Stimmen aus Maria-Laach tom. 21 p. 86 et tom. 23 p. 302 seq. Proinde etsi non declaratum est eam partem esse a Marco conscriptam, tamen satis definitum est eam esse sacram et canonicam i. e. inspiratam.

INDEX

PROLEGOMENA 1

I. — De sancto Marco 1
II. — De evangelio secundum Marcum 6
III. — De conscriptione evangelii secundum Marcum 15
IV. — De subsidiis interpretationis 19

Exordium 1,1-13 22

PRIMA PARS 1,14-9,49 39

1. — *Initium praedicationis Christi* 1,14-45 39
a) Vocantur quattuor discipuli 1,14-20 39
b) Eiicitur spiritus immundus 1,21-28 44
c) Socrus Petri sanatur 1, 29-34 54
d) Iesus relinquit Capharnaum 1,35-39 58
e) Sanatur leprosus 1,40-45 62

2. — *Pharisaeorum in Iesum odium* 2,1-3,6 66
a) Sanatio paralytici 2,1-12 67
b) Vocatio Matthaei 2,13-17 74
c) Quaestio de ieiunio 2,18-22 80
d) Pharisaeorum cavillatio et malitia 2,23-3,6 84

3. — *Electio et institutio apostolorum* 3,7-6,29 93
a) Electio apostolorum 3,7-19 94
b) Accusatio de Beelzebub 3,20-30 102
c) Qui sint cognati Messiae 3,31-35 109
d) Parabola seminantis 4,1-20 111
e) Aliae de regno Dei parabolae 4,21-34 121
f) De sedata tempestate 4,35-40 131
g) Sanatur daemoniacus 5,1-20 136
h) Resuscitatur filia Iairi 5,21-43 144
i) Iesus in patria sua 6,1-6 155
k) Mittuntur apostoli ad praedicandum 6,7-13 159
l) De morte Ioannis baptistae 6,14-29 164

4. — *Varia Iesu itinera et ulterior institutio apostolorum* 6,30-9,49 . . 172
a) Multiplicatio panis 6,30-44 172
b) Iesus ambulat super mare 6,45-56 178
c) Disceptatio cum pharisaeis 7,1-23 182
d) Iesus in regionibus phoenicia et decapolitana 7,24-37 194
e) Altera multiplicatio panis 8,1-9 203

f) Cavendum esse a fermento pharisaeorum 8,10-21 207
g) Caecus sanatur 8,22-26. 213
h) Iesus in regione Caesareae Philippi 8,27-39 216
i) Transfiguratio Christi 9,1-12 228
k) Sanatur puer daemoniacus 9,13-28 237
l) Iesus docet de passione et humilitate 9,29-36 245
m) De imprudenti zelo et scandalo 9,37-49 249

ALTERA PARS 10,1-15,47. 259

1. — *Aliqua doctrinae capita* 10,1-45 259
a) Matrimonium esse indissolubile 10,1-12 259
b) Iesus benedicit parvulos 10,13-16 264
c) De divitiarum periculis et mercede paupertatis 10,17-31 267
d) Iesus docet de sua passione et de humilitate 10,32-45. 276

2. — *Iesus in Ierusalem ante passionem* 10,46-12,44. 284
a) Caecus prope Iericho 10,46-52 285
b Sollemnis in urbem ingressus 11,1-11. 288
c) De ficu sterili et profanatione templi 11,12-26 296
d) De perversitate synedristarum 11,27-33 305
e) Parabola de vinea 12,1-12. 308
f) Quaestio de tributo 12,13-17 314
g) Quaestio de resurrectione 12,18-27. 318
h) Quaestio de primo mandato 12,28-34. 322
i) Ultima in templo verba 12,35-44 329

3. — *Sermo Christi eschatologicus* 13,1-37. 335
a) Praedicuntur tribulationes 13,1-13 336
b) De ruina urbis et altero Christi adventu 13,14-31 344
c) Esse vigilandum 13,32-37. 354

4. — *Enarratur passio Christi* 14,1-15,47 359
a) Coena in Bethania 14,1-11 359
b) Coena paschalis 14,12-26 367
c) Oratio Iesu in horto 14,27-42. 378
d) Iesus comprehenditur 14,43-52. 389
e) Iesus coram synedristis 14,53-65 393
f) Petri negatio triplex 14,66-72. 399
g) Iesus coram Pilato 15,1-15 403
h) Iesus illuditur et crucifigitur 15,16-28 409
i) Iesus in cruce illuditur et moritur 15,29-39 418
k) Iesus sepelitur 15,40-47 425

TERTIA PARS 16,1-20. 429
a) Angelus annuntiat Iesum surrexisse 16,1-8 429
b) Iesus varie se manifestat 16,9-20 435

A. M. D. G.

LIBRARY FRANCISCAN MONASTERY
3140 Meramec Street,
ST. LOUIS, MO.

P. LETHIELLEUX, Éditeur, 10, rue Cassette, Paris

NOTRE SEIGNEUR JÉSUS CHRIST

DANS SON SAINT ÉVANGILE

Par M. l'Abbé **H. LESÊTRE**, du clergé de Paris

Avec imprimatur DE SON ÉM. Mgr RICHARD, CARDINAL-ARCHEVÊQUE DE PARIS

Beau vol. grand in-8°, raisin (XII-594 pp.), orné de gravures. . . . . 7 fr. 50

Le même, relié demi-chagrin, tranches jaspées. . . . . 10 fr. 00

Le même, relié demi-chagrin, tranches rouges . . . . . 11 fr. 00

NOTRE SEIGNEUR JÉSUS CHRIST

SA VIE ET SES ENSEIGNEMENTS

Par M. l'Abbé S. E. FRETTÉ, du clergé de Paris

Deux forts volumes in-8° carré, ornés de cartes et de plans. *Franco*. . . . . 12 fr. 00

PRIX DES RELIURES EN PLUS PAR VOLUME :

Demi-chagrin, plats toile, tranches jaspées, *net*. . . . . 2 fr. 50

Demi-chagrin, plats toile, tranches rouges, *net*. . . . . 3 fr. 50

APOLOGIE — CONTROVERSE

LA

QUESTION BIBLIQUE

D'après une nouvelle école d'Apologistes chrétiens

Par Mgr E. GRANDCLAUDE

Prélat de la maison de S. S. Léon XIII, vicaire général, supérieur du grand séminaire de Saint-Dié

Brochure in-12. *Franco*. . . . . 1 fr. 00

Depuis quelque temps de graves polémiques se sont élevées au sujet de la question biblique. Mgr Grandclaude, dans ce petit opuscule court et substantiel, a entrepris, avec un succès digne d'éloge, de rétablir la discussion sur son véritable terrain. Nous engageons vivement nos lecteurs à se procurer cette brochure, qui, répandue à grand nombre, ne manquera pas de faire beaucoup de bien. (*La Croix.*)

LE

RATIONALISME

DANS LA FOI

Discussion théologique avec Mgr D'HULST

Par M. l'Abbé Paulin MONIQUET

Brochure in-12. *Franco* . . . . . 1 fr. 50

Cette brochure est destinée à combattre les tendances dangereuses d'une nouvelle école catholique. — L'auteur se présente au public armé de documents des plus intéressants appelés à jeter beaucoup de lumière sur ces questions brûlantes très discutées en ce moment dans le public catholique.

LA QUESTION BIBLIQUE ET L'EXÉGÈSE

Par M. le Chanoine MAGNIER

ANCIEN PROFESSEUR D'ÉCRITURE SAINTE AU GRAND SÉMINAIRE DE SOISSONS

Brochure grand in-8°. *Franco*. . . . . 1 fr. 50

P. LETHIELLEUX, Éditeur, 10, rue Cassette, Paris

LA SAINTE BIBLE AVEC COMMENTAIRES

TEXTE LATIN DE LA VULGATE, TRADUCTION FRANÇAISE EN REGARD

AVEC INTRODUCTIONS GÉNÉRALE ET PARTICULIÈRES, ATLAS GÉOGRAPHIQUE ET ARCHÉOLOGIQUE ET COMMENTAIRES

THÉOLOGIQUES, MORAUX, PHILOLOGIQUES, HISTORIQUES, ETC.

Rédigés d'après les meilleurs travaux anciens et contemporains

Par MM. BAYLE, CLAIR, CRELIER, DRACH, FILLION, GILLET, LE HIR, LESÊTRE et TROCHON

Avec imprimatur de Son Ém. Mgr l'Archevêque de Paris

Brefs de Pie IX et de Léon XIII et nombreuses Approbations épiscopales

Cette publication a été entièrement revisée par M. l'Abbé VIGOUROUX, prêtre de Saint-Sulpice

PROFESSEUR D'ÉCRITURE SAINTE AU SÉMINAIRE SAINT-SULPICE, A PARIS

28 volumes grand in-8° raisin (NOUVELLE ÉDITION) **brochés**..... **175 francs**

Le même ouvrage relié en 25 volumes, atlas compris..... **216 francs**

Les premières éditions formaient 40 volumes ; pour répondre aux désirs exprimés par beaucoup d'ecclésiastiques, nous avons réuni plusieurs volumes ensemble tout en suivant l'ordre du Canon. — Chaque partie de la Bible se vend séparément.

Cette magnifique publication, aujourd'hui complètement terminée, honorée de Brefs élogieux de LL. SS. les Papes Pie IX et Léon XIII, *répond à un réel besoin; elle a sa place marquée dans tous les presbytères. Cet ouvrage vaut à lui seul toute une bibliothèque; des concurrences, plus ou moins heureuses, ont été tentées en ces derniers temps; mais aucune n'est parvenue à prendre la place de cet ouvrage unique en son genre, d'une unité parfaite, malgré le nombre des collaborateurs qui y ont attaché leur nom, grâce au concours intelligent et dévoué de* M. l'abbé Vigouroux. *Les exigences actuelles de la science ne permettent plus à un homme d'entreprendre seul une œuvre semblable; c'est ce qu'ont très bien compris les éditeurs et collaborateurs de cet ouvrage, auxquels les savants du monde entier ont prodigué les plus grands éloges.*

ENSEMBLE DÉTAILLÉ DE LA PUBLICATION

PRIX DES VOLUMES VENDUS SÉPARÉMENT :

Trochon. **Introduction générale.** Archéologie, Géographie, etc. 2 forts volumes.	
— Tome I. Inspirat., Canon., etc. (590 p.)..	11.50
— Tome II. Archéologie, Géographie, etc. (700 p.).....	13.00
Leblanc. **Langage symbolique** (partie du tome Ier de l'Introduction). (212 p.).....	5.50
Crelier. **Introduction au Pentateuque.**	
— **Genèse.** (500 p.).....	10.00
— **Exode et Lévitique.** (VII-316, 180 p.).	10.50
Trochon. **Nombres et Deutéronome.** (IV-208 et IV-220 p.).....	9.00
Clair. **Josué.** (140 p.).....	2.70
— **Juges et Ruth.** (190 p.).....	3.60
— **Les Rois.** 2 vol. (424-592 p.).....	22.00
— **Les Paralipomènes.** (404 p.).....	8.60
— **Esdras et Néhémias.** (XVI-144 p.)....	3.40
Gillet. **Tobie, Judith et Esther.** (236 p.).	5.00
Lesêtre. **Le Livre de Job.** (272 p.).....	6.00
— **Les Psaumes.** (XCII-704 p.).....	16.50
— **Les Proverbes.** (256 p.).....	2.40
Motais. **L'Ecclésiaste.** (192 p.).....	3.60
Le Hir. **Le Cantique des cantiques.** (VIII-142 p.).....	2.80
Lesêtre. **L'Ecclésiastique.** (300 p.).....	6.00
— **La Sagesse.** (152 p.).....	3.80
Trochon. **Introduction aux Prophéties.** (CXX p.).....	3.40
— **Isaïe.** (304 p.).....	6.00
Trochon. **Jérémie et Baruch.** (448 p.) ..	9.40
— **Ézéchiel.** (360 p.).....	7.80
— **Daniel.** (280 p.).....	6.00
— **Les Petits Prophètes.** (532 p.).....	11.50
Gillet. **Les Machabées.** (312 p.).....	6.80
Fillion. **Introduction aux Évangiles.** (150 p.).....	2.80
— **S. Mathieu.** (570 p.).....	13.00
— **S. Marc.** (220 p.).....	5.00
— **S. Luc.** (420 p.).....	9.40
— **S. Jean.** (LIV-390 p.).....	10.50
— **Synopsis Evangelica.** (XX-140 p.)...	3.60
Crelier. **Actes des Apôtres.** (XVIII-339 p.).	7.80
Drach. **S. Paul.** (CIV-810 p.).....	17.10
— **Épîtres catholiques.** (236 p.)..... ..	4.50
— **L'Apocalypse.** (280 p.).....	5.30
— **Oratio Manasse-Esdras.** (III-IV)....	1.00
Merz. **Table homilétique ou Thesaurus biblicus.** (682 p.).....	10.00
Tables générales. — Analytique, Chronologique, etc.....	12.00
Ancessi. — **Atlas géographique et Archéologique** pour l'étude de l'Ancien et du Nouveau Testament. 20 cartes géographiques en trois couleurs et 20 planches archéologiques teintées avec *Dictionnaire spécial* pour chaque partie. In-4°, *broché*, net, 9.00 ; *cartonné*, net, 10.50 ; *relié*, net.....	12.00

TYPOGRAPHIE FIRMIN-DIDOT ET Cie. — MESNIL (EURE).

31084

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8 C001 V036
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISIIS

3 0311 00015 8027

BS
475 31084
.C6C8 Cornely, Rudolph, 1830-1908
AUTHOR
V.36 CURSUS SCRIPTURAE SACRA.E
TITLE

DATE DUE	BORROWER'S NAME

220.6 C977c v.31

STUDENTS 1967
LIBRARY

BEFORE TAKING BOOK

from library, remove slip from this pocket; put your name and date on it and place it in the box provided for the same.

WHEN RETURNING BOOK

return the slip to the pocket and replace the book in its proper place.

A BOOK IS NO GOOD UNLESS YOU CAN FIND IT WHEN YOU NEED IT.

Your cooperation in keeping an orderly library will enable you to get the best service possible from your library.

3 0311 00015 8027